JMAldrich

A. L. MELANDER
From the Library of
J. M. ALDRICH

SMITHSONIAN
JUL 31 1961
LIBRARY

595.7
Z61
t.5-6
Ent.

DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

J. M. ALDRICH
National Museum
WASHINGTON. D. C.

Auctore

PH. D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD.; EQUITE AURATO REG. ORDINIS DE WASA; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVIER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ, MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI CORRESPONDENTE.

TOMUS QUINTUS.

LUNDÆ,
EX OFFICINA LUNDBERGIANA,
SUMTIBUS REGIIS.
1846.

SMITHSONIAN LIBRARIES

Nobilissimo

Dom. OL. IMM. FÅHRÆUS,

Consiliario a Statu,
Regii Ordinis de Stella Polari
cum magna Cruce Commendatori,
Scientiæ Entomologicæ Cultori
atque Fautori Eximio

venerabunde dicat

J. W. Zetterstedt.

Divis. 2:da. Species pallescentes, h. e. aut totæ aut corpore tantum ex parte flavæ.

A. Seta antennarum plumata. Majusculæ.

*). Oculi in utroque sexu distantes. *(Coenosia).*

121. *A. Fungorum:* cinerea, antennis, palpis tarsisque nigris; antennarum basi, macula frontali, callis humeralibus, scutelli apice, abdomineque toto, rufo-testaceis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. ♂ 2½, ♀ 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 696. 156. ♂♀. *Musca* De Geer. Ins. 6. 89. 18. T. 5. f. 5. 6. Fall. Muscid. 89. 121. ♂♀. *Coenosia* Meig. Dipt. 5. 211. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum & graminosis, feminæ fungos terrestres ad putredinem abientes sæpe visitantes, per Scandinaviam, 8 Jun.—1 Octob., vulgaris; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia, Ostro- & Westrogothia, passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Helsingia ad Jerfsö; in Jemtlandia ex. gr. ad diversorium Upland; in Lapponia meridionali raro; in Dania, D. *Staeger.* — Larvæ in fungis, pupæ in terra degunt. — Imagines in fenestris interdum errabundæ deprehenduntur.

♂♀. Oblonga. Frons vix prominens. Caput albo-micans. Oculi magni, nudi, in utroque sexu per orbitas cinereas & vittam frontalem nigram macula supra antennas fulva l. ferruginea & alia in vertice trigona cinerea notatam remoti, in mare tamen propiores. Antennæ longiusculæ & validiusculæ, nigræ, basi rufæ, seta distincte plumata. Epistoma subperpendiculare, infra oculos breviter descendens. Palpi subcylindrici, nigri. Thorax cinereus, lineis dorsalibus subquatuor fuscis obsoletis, macula utrinque humerali rufo-testacea; in femina vitta media

ferruginante. Scutellum cinereum, limbo apicali rufo-testaceo. Abdomen in ♂ conico-cylindricum, rufo-flavum, subpellucidum, ano rotundato, haud inflexo, subtus stylis 2 testaceis suffulto; in ♀ ovato-oblongum, rufo-testaceum, incisuris plerumque tenuissime nigris; in utroque sexu leviter albo-micans (in bene conservatis); linea dorsali interdum fusca & segmentis præsertim posticis margine apicali parce setosis. Alæ subhyalinæ, flavedine leviter tinctæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes, transversus ordinarius mox ante medium areæ insertus, subobliquus, paullo inflexus. Costa subnuda seu brevissime subciliata, spinula in ♂ vix ulla, in ♀ parva. Squamæ mediocres, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres pallidi. Pedes mediocres, parce setulosi, cum coxis flavi, tarsis nigris. Pulvilli albi, in ♂ longiores quam in ♀.

Var. b. ♂. paullo minor, antennis etiam basi nigricantibus, macula humerali rufa deficiente; in ceteris var. a. simillima. In Scania ad Lindholmen 10 Jul. 1838 semel.

122. *A. Graminum:* rufo-testacea, antennis, palpis pedibusque concoloribus; thoracis disco metathoraceque nigricantibus. ♂. (Long. 1 ¾ lin.).

Hab. in Suecia media rarissime; in gramine ad villam Lärketorp in parœcia Mjölby prope Skenninge Ostrogothiæ mense Julio specimen descriptum inveni.

♂. Species distincta & pulchra. Rufo- l. flavo-testacea, subnitens. Caput rotundatum, subtransversum seu paullo latius, quam longum, rufo-flavum, albo-micans. Oculi mediocres, subexserti, oblongi, nudi, ferruginei, per frontem latam late distantes. Frons minime prominens, postice puncto ocellorum obscuro. Antennæ longiusculæ, validæ, fusco-testaceæ, basi flavidæ, apice subrotundatæ; seta distincte, sed non dense plumata, obscura. Epistoma infra oculos minime descendens, nec apice reflexum, seta mystacina utrinque unica, atra. Thorax

testaceo-rufus, nitens, disco dorsali nigro-fusco, limbo laterali & postico rufo. Scutellum flavum, nitens. Metathorax niger. Abdomen lineare, depressum, flavum, nitens, incisuris tenuissime nigris & parce setosis. Anus subclavatus, stylis ordinariis subtus suffultus. Alæ hyalinæ, flavedine leviter tinctæ. Nervi: longitud. 3 & 4 paralleli; transversi perpendiculares, recti, fuscedine non cincti, horum ordinarius nonnihil ante medium areæ insertus. Costa inermis, spinula nulla. Squamæ parvæ, ciliatæ, albidæ, valvula superiore inferiorem tegente. Pedes mediocres, toti flavi, femoribus breviter & tenuiter pubescentibus, tibiis parce nigro-spinulosis. Pulvilli parvi, albi. — Affinis *Scatomyzæ* generi, sed oculis oblongis &c. diversa.

**). Oculi in mare cohærentes aut subcohærentes.

a. Oculi in ♂ dense, in ♀ tenuiter hirti.

123. *A. pallida:* tota ferrugineo-flava, tarsis nigris. ♂♀. (Long. circiter 2½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 115. 56. ♂♀. & *Aricia* Ejusdem 7. 314. 23. *Musca* Fabr. Antl. 295. 53. Fall. Muscid. 89. 122. ♂♀. *Aricia* Macq. Buff. 2. 289. 16. ♂♀. *Musca testacea* De Geer. Ins. 6. 87. 16.

Hab. in foliis fruticum, succo exstillante Quercus, &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, 2 Jul.—28 Aug., passim frequens; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Smolandia; in Ostrogothia ex. gr. ad Gusum *(Wahlberg)* & Lärketorp; in Ölandia ad Ottenby non parce; in Gottlandia ad Ruthe &c.; in Dania circa Hafniam, D.D. *Fabric.* & *Staeger.* (E S:t Sever Galliæ eandem quoque a D. *Leon Dufour* obtinui).

♂♀. Magnitudo circiter *Muscæ domesticæ.* Ovata. Tota flava, subnitens, thoracis dorso in ♂ plerumque lutescente, & abdominis apice in ♀ infuscato; corpore in utroque sexu setis

nigris parce vestito. Caput pallidum, albo-micans. Frons minime prominens. Oculi magni, oblongi, obscure ferruginei, in ♂ arcte cohærentes, in ♀ late distantes. Antennæ longiusculæ, modice latæ, incumbentes, flavæ (in ♀ apice sæpe fuscescentes), seta distincte plumata, fusco-nigra. Articulus 2:dus superne nigro-setulosus. Epistoma perpendiculare infra oculos parum descendens, apice non reflexum. Setæ mystacinæ atræ. Palpi subcylindrici, flavi. Abdomen breviter ovatum. Alæ flavidæ. Nervi: longit. 3 & 4 versus apicem sensim subdivergentes; transversus ordin. subobliquus, rectus, ante medium areæ insertus. Costa vix ciliata, spinula nigra minuta. Squamæ mediocres, flavidæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem ad dimidium tegente. Halteres pallidi. Pedes mediocres, flavi, parce nigro-setulosi. Tarsi nigri. Pulvilli in ♂ majores, quam in ♀.

124. *A. Populi:* ferrugineo-flava, thoracis disco dorsali, metathorace, abdominis apice tarsisque obscuris. ♂. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 115. 55. *Aricia* Macq. Buff. 2. 289. 15. Meig. Dipt. 7. 314. 22. *Musca pallida* Fall. Muscid. 89. 122. descript. var.: "thoracis dorso in mare interdum infuscato."

Hab. in foliis Populi tremulæ per Sueciam meridionalem & mediam, 25 Jun.—27 Aug., passim; scilicet in Scaniæ nemoribus ad Räften, Absa, Grönby, Lemmeströ-skog prope Börringe (D. *Sjörén*), Esperöd &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; in Ölandia ad Ottenby; in Calmaria ad diversorium Isbult; in Dania ad Dyrhaven prope Hafniam plures mares legit D. *Dahlbom* mense Julio 1844.

♂. Simillima priori, sed thoracis disco & metathorace obscuris præcipue dignoscitur. *Mas:* oculi arcte cohærentes dense hirti. Frons supra antennas flava. Thoracis discus aut totus obscu-

rus aut vittis 4 subconfluentibus fuscis, humeris, lateribus & scutello toto semper ferrugineo-flavis. Abdomen flavo-subpellucidum, incisuris certo situ omnium tenuissime, & apice irregulariter, fuscis. Reliqua ut in mare præcedentis.

125. *A. scutellaris:* schistaceo-nigra, thoracis lineis 4 nigris; epistomate albo-micante; antennarum basi, palpis, humeris, scutello, abdomine pedibusque ferrugineo-flavis, tarsis atris; alarum nervo transverso ordinario leviter fusco, subinfuscato. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Musca Fall. Muscid. 90. 123. ♂; genuina.

Hab. in foliis fruticum per Scandinaviam meridionalem & mediam, 10 Jul.—10 Sept., passim; nempe in Scania ad Lund, Abusa, Grönby & Esperöd; in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)* & Lärketorp; e Dania sub nomine: »*Aricia testacea* Meig. & Macqv. seu *M. scutellaris* Fall.« in utroque sexu a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Priori iterum valde similis & affinis; sed capite thoraceque ad maximam partem nigricantibus, nec ferrugineis, antennarum articulo ultimo toto nigro, ut & nervo transv. ordinario magis flexo & infuscato, facile dignota. Caput nigrum, albo-micans. Frons non prominens. Antennæ nigræ, articulis 1 & 2 rufescentibus, seta sat longe & distincte plumata. Palpi sat validi, subcylindrici, flavi. Thorax nigricans, callo humerali, scutello, & sæpe macula ad scutellum utrinque, rufo-ferrugineis. Nervi transversi leviter infuscati, horum ordinarius nonnihil flexus. Cetera ut in priore. Oculi *maris* arcte cohærentes, dense hirti; *feminæ* per orbitas albidas & vittam frontalem latam nigram late remoti, tenuiter puberuli.

Obs. Anthomyia testacea Meig. Dipt. 5. 116. 57. *(Hylemyia* eadem Meig. Dipt. 7. 316. 59. *Aricia* eadem Macq. Buff. 2. 290. 17. seu *Musca* eadem Fabr. Ent. Syst. 4. 320, 32), cui Cel. Auctor ut synonymon allegavit *Muscam scutellarem* Fall.,

alia certe videtur species, per "oculos nudos, setam antennarum breviter plumatam, ut & nervum transversum ordinarium perpendicularem, rectum", a nostra *A. scutellari*, quæ Fallenii est identica, satis superque distincta.

Obs. Individuum femineum nostræ *Anthom. scutellari* simillimum, exceptis antennis totis nigris, sub nomine: "*Aricia testacea* Meig.", nuperrime a Nobil. D. *Leon Dufour* e S:t Sever Galliæ obtinui; sed cum *Meigen* l. c. suam *Anthomyiam testaceam* "antennarum basi ferruginea" ("zwei erste Glieder rotgelb") expressis verbis describit, & in specimine misso antennæ *totæ* nigræ inveniuntur, hoc specimen gallicum mihi dubium videtur. (Cfr. etiam *Ar. testacea* Leon Dufour Annal. des Sc. Natur. 2. Tom. 12. Extr. p. 34. 9 Tab. 2. fig. 57. Pupa).

126. *A. abdominalis:* obscure cinerea, antennarum basi, palpis, callis humeralibus, scutelli apice, abdomine pedibusque rufo-flavis; thoracis lineis 2, tarsisque nigris, abdominis maculis 4 brunneis; alarum nervis transversis rectis, infuscatis. ♂. (Long. 2 lin.).

Staeg. in litteris 24 Oct. 1842.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; duo tantum specimina vidi, unum in Scania prope Lund Jul. inventum, alterum in Dyrhaven juxta Hafniam Daniæ a D. *Staeger* 6 Aug. 1842 captum mihique ad describendum benigne communicatum.

♂. Similis *Anth. uliginosæ* (128), sed oculis arctius cohærentibus & dense hirtis, puncto humerali rufescente, scutello summo margine testaceo, nec punctis lateralibus nigris ornato, abdominis lineola dorsali media (inter maculas) fusca deficiente, &c., abunde diversa. Caput cinereum l. griseum. Frons minime prominens. Palpi flavi. Thorax obscure cinereus, lineis 2 nigris & vestigio vittarum 2 lateralium ejusdem coloris. Abdomen ovatum, flavo-subpellucidum, maculis 4 subtrigonis fuscis in segmentis 2 & 3. Puncta fusca ad basin setarum etiam

adsunt. Versus anum umbra fusca quoque observatur. Alæ hyalinæ, nervis ut in *Anth. pallida* (123) directis, at transversis ordinariis fuscedine perspicue cinctis. Costa nuda, spinula nulla. Squamæ mediocres, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem ad dimidium tegente. Halteres pallidi. Pedes cum coxis flavi, pilosi, tarsis nigris, pulvillis mediocribus, albis.

127. *A. cincta:* cinerea, capite albicante; antennis palpis, thoracisque lineis 2, nigris; abdomine basi flavo-subpellucido, linea dorsali interrupta maculisque 4, nigro-brunneis; pedibus nigro-piceis, tibiis obscure testaceis; alarum nervis transversis infuscatis, ordinario inflexo. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; duo tantum exempla lustravi in Scania ad Abusa prope Lund capta.

♂. Simillima priori, a qua tamen antennis totis palpisque nigris, oculis non arcte cohærentibus, scutello toto cinereo, immaculato, abdomine tantum basi flavescente, nervo transv. ordinario paullo flexo, ut & pedibus obscure piceis, nec flavidis, vere dignoscitur. Ab *Anth. uliginosa* (128), cui quoque valde similis, oculis hirtis, antennarum basi pedibusque non testaceis, palpis obscuris, &c., mox distinguenda. Caput argenteo-micans. Frons leviter subprominula. Oculi per orbitas angustissimas albas & vittam frontalem angustatam paullulum subdistantes. Antennæ lineares, seta distincte plumata. Palpi subfiliformes. Thorax cinereus, lineis 2 mediis & vitta utrinque laterali rudimentaria, nigris. Abdomen ovatum, cinereum, segmentis 1 & 2 flavo-pellucidis, linea dorsali interrupta & maculis 4 in segmentis 2 & 3, brunneo-nigricantibus. Alæ, squamæ & halteres omnino ut in priori, excepto nervo transverso ordin. magis inflexo. Pedes rufo- l. piceo-nigri, tibiis paullo dilutioribus.

b. Oculi in utroque sexu nudi.

128. *A. uliginosa:* cinerea, capite albicante; antennarum articulo ultimo, thoracis lineis 4, tarsisque, ni-

gris; antennis basi, palpis pedibusque, flavicantibus; abdomine basi flavo-subpellucido, linea dorsali interrupta maculisque 4, thoracis disco punctis binis scutellique lateribus, nigro-brunneis; alarum nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto. ♂♀. (Long. 1¾—2¼ lin.).

Meig. Dipt. 5. 121. 67. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 81. 100. ♂♀. *Spilogaster* Macqv. Buff. 2. 294. 1. ♂♀. Tab. 17. f. 2. ♂. — *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 317. 85.

Hab. in foliis fruticum pratorum & nemorum, libentes locis paludosis, sed etiam in fenestris cubiculorum errabunda, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 24 Maj.—4 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd, Raflunda &c.; in Smolandia, D.D. *Boheman* & *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c. sat frequens; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Gothem, Garde, Fårön &c., non parce; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Dania prope Hafniam, D. *Dahlbom.* (E Glogavia a D. *Zeller*, & e S:t Sever a D. *Leon Dufour* quoque communicata).

♂♀. Simillima *Anth. abdominali* (126) & *Anth. cinctæ* (127), sed ab illa oculis maris non arcte cohærentibus, macula humerali rufa nulla, abdomine basi tantum flavo, ab hac antennis basi, palpis pedibusque flavo-rufescentibus, nervo transv. ord. subrecto, & ab utraque oculis nudis, maculis thoracis discoidalibus binis & scutelli lateralibus totidem nigro-brunneis, mox differt. Caput ut in priori constructum, & distantia oculorum etiam similis. Antennarum seta longe plumata. Palpi albidi. Abdomen maris omnino ut in priori constructum & coloratum; feminæ magis cinerascens. Alæ, squamæ & halteres exacte ut in *Ant. abdominali.* Pedes cum coxis fusco-flavi, tarsis nigris. Pulvilli maris magni, albi. Oculi feminæ per orbitas cinereas & vittam frontalem obscuram macula trigona cinerea postice instructam, sat late distantes.

Obs. Huic quoque valde affinis & similis est *Anth. clara* Meig., quam in individuo masculo e S:t Sever Galliæ nuper mihi misit D. *Leon Dufour;* sed europæ meridionalis incola, magnitudine majore, antennis totis palpisque nigris &c. vere distincta, Scandinaviæ non inhabitat.

129. *A. graminicola:* cinerea, antennarum articulo ultimo tarsisque nigris; thoracis macula utrinque humerali rufescenti testacea; antennis basi, palpis, abdomine pedibusque flavis; alarum nervis transversis rectis non infuscatis. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in gramine horti ad Esperöd in parœcia Tranås Scaniæ 29 Jul. 1820 exemplum descriptum detegi.

♀. Similis omnino *Anth. Fungorum* (121) & *Anth. scutellari* (125), sed a priori palpis pallidis, nec nigris, & macula frontali flava nulla, a posteriori colore magis cinereo (h. e. minus obscuro), thoracis lineis obscuris vix ullis, scutello limbo tantum apicali flavo, nec toto flavo, nervo transverso ordin. rectissimo, squamis sub alis paullo minoribus, vix ciliatis, valvula superiore inferiorem fere tegente, & ab utraque magnitudine paullo minore, fronte multo latiore tota cinerea, linea frontali media angusta impressa, nigricante, ut & nervis transversis minime infuscatis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis, abunde dignota.

B. Seta antennarum breviter plumata aut pubescens. Mediæ aut minores.

130. *A. postica:* cinerea, capite albicante; antennarum articulo ultimo, thoracis lineis 4, abdominis apice tarsisque, nigricantibus; antennis basi, palpis, abdominis lateribus antice late, pedibusque, flavis; alarum nervo

transverso ordinario recto; *mas:* oculis magnis, arcte cohærentibus, subtilissime puberulis. ♂. (Long. 2½ fere 3 lin.).

An *Anthom. posticata* variet. Meig. Dipt. 5. 190. 187? ♂. *Musc. scutellaris* v. *β.* Fall. Muscid. 90. 125. ♂.

Hab. in foliis fruticum præsertim Alni, per Sueciam meridionalem & mediam, 2 Jul.—15 Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c. aliquoties capta; in Gottlandia ad Gothem semel etiam visa.

♂. *Anth. Populi* (124) & *scutellari* (125), affinis & subsimilis, sed ab illa antennis apice nigris, thorace scutelloque totis cinereis, ab hac scutello cinereo, immaculato, nec flavo, nervo transv. ordin. exacte recto (nec leviter flexo), immaculato (nec infuscato), & ab utraque antennarum seta subtiliter & tantum breviter pubescente, nec plumata, ut & oculis tenuissime & vix nisi microscopice hirtulis, vere diversa. Ovata. Caput argenteo-micans. Frons non prominens. Antennæ mediocres, nigro-fuscæ, articulis 1 & 2 semper, ultimo basi sæpe, flavo-ferrugineis. Palpi subcylindrici, flavi. Thoracis lineæ 4 nigræ minus perspicuæ. Humeri sordide albo-testacei. Abdomen ovatum, flavo-subpellucidum, certo situ leviter albo-micans, incisuris posticis & vitta dorsali media dentata, versus anum (in segmentis 3 & 4) valde dilatata, fuscis l. brunneis; postice nigro-setosum. Alæ cinereæ, basi pallidiores. Nervorum directio, squamæ & halteres ut in *Anth. pallida* (123). Costa nuda; spinula nulla. Pedes cum coxis flavi, nigro-setosi, tarsis nigro-fuscis, Pulvilli mediocres, albi.

131. *A. maculiventris:* obscure cinerea, capite albicante; antennis, palpis, thoracis lineis 4, abdominis apice tarsisque nigricantibus; scutelli apice, abdomine pedibusque flavis; alarum nervo transverso ordinario leviter flexo; *mas:* oculis magnis, arcte cohærentibus, subtiliter puberulis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Hab. in Suecia meridionali valde rara; in Scania ad Lund marem, & ad Esperöd (in parœcia Mellby) feminam inveni.

♂♀. Priori valde affinis & simillima, sed per antennas & palpos tota nigra, thoracem magis nigricantem, scutelli cinerei limbum apicalem, abdominis vittam dorsalem fuscam minorem, breviorem vix nisi in segmentis 2 apicalibus observandam, ut & nervum transversum ordinarium leviter inflexum, nec rectissimum, vere diversa. Antennarum seta quoque evidentius pubescens & oculi in ♂ breviter quidem, sed perspicue hirtuli. Squamæ sub alis flavidæ. Reliqua ut in præcedente. *Femina:* oculi nudi per orbitas albidas & vittam frontalem latiusculam, atram modice distantes.

132. *A. mollicula:* læte cinerea, capite cano; antennis, palpis, abdomine l. toto l. basi, pedibusque flavo-albis; antennarum articulo primo, thoracis lineis 2, tarsisque nigricantibus; nervo transverso ordinario subrecto; oculis in utroque sexu distantibus, nudis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 605. 157. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 1825. p. 90. 126. ♂♀. vera. — *Coenosia nemoralis* Meig. Dipt. 1826. p. 212. 3. ♂♀. T. 45. f. 9. — Macq. Buff. 2. 315. 6. ♂♀.

Hab. in pratis & pascuis per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, 2 Jul.—15 Sept., passim frequens, in copula multoties capta; scilicet in tota Scania ubique vulgaris; in Smolandia, Ostro- & Westrogothia non rara; in Gottlandia ad Nähr, Gothem, Westerby, Thorsborg, Stenkyrka, Ahlskog, Östergarn, Fårön, Martebo, Westö, Kyllej, Öja, Garde, &c. copiosissime; in Nericia; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Helsingia ad

Löfvik; in Jemtlandia in ipsum cacumen alpis Åreskutan 4000 ped. supra mare adscendens; in Ångermannia ad Hernösand; deinde rarescit, et in Lapponia non nisi rarissime obvia; in Norwegia ad Thynæs & Levanger, passim; e Dania (sub nomine: *Coenos. nemoralis* Meig.) in pluribus exemplis utriusque sexus a D. *Staeger* communicata. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, e Lubeca a D.D. *Behrens* & *Milde*; e Gryphia a D. *Dahlbom* & e Glogavia a D. *Zeller*, etiam missa).

♂♀. Parva, subcylindrica. Frons non prominens. Caput albicans. Oculi oblongi, orbitis parallelis albidis & vitta frontali subangustata, nigra, non late remoti. Antennæ elongatæ, lineares, albidæ, seta pubescente. Epistoma infra oculos haud descendens. Palpi cylindrici, albi. Proboscis nigra. Thorax lineis binis remotis, brunneis. Scutellum cinereum, immaculatum. Alæ cinereæ, basi pallidiores. Nervi: longit. 3 & 4 subparalleli l. versus apicem leviter divergentes; transversi perpendiculares, recti, modice remoti; horum ordinarius aperte ante medium areæ insertus. Costa inermis; spinula nulla. Squamæ parvæ, albæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Halteres albi. Pedes cum coxis albi, nigro-setulosi. Tarsi obscuri. *Mas:* antennæ albæ, articulis basalibus atris, superne puncto apicis albo. Abdomen cylindricum, flavo-album, postice sæpe macula irregulari fusco-ferruginea, & in segmento 3:tio puncto utrinque nigro. Anus inflexus. Vestigium punctorum fuscorum in segmentis 2 & 4 interdum etiam adest. Tarsi albicantes. Pulvilli mediocres. *Femina:* antennæ fusco- l. sordide albidæ, articulis basalibus nigris, puncto apicis albo. Abdomen lanceolatum, aut totum flavum; aut fuscum, basi plus minus late albo-flavum, interdum tantum 1:mo segmento pallidum. Tarsi atri. Pulvilli parvi.

Var. b. ♂♀. similis var. a.; sed antennæ totæ nigricantes, puncto tantum apicis articuli 2:di albo, & abdomen obscure cinereum, basi flavum l. pallidum. Squamæ sub alis valvula supe-

riore inferiorem non tegente. Forte *Coenosia murina* Meig. Dipt. 5. 215. 8?. ♀. — Vix specie distincta. Hab. parcius cum var. a. cum cujus mare etiam in copula juncta aliquoties observata. Individuum masculum minutum antennis nigris & abdominis apice obscuro in Ostrogothia ad Wadstena die 5 Aug. & altera vice in Medelpadia 17 Jun. 1841 quoque deprehendi. Cum *Anth. tricolore* infra n:o 152, nervis transversis approximatis prædita, individuum hocce non confundendum.

C. Seta antennarum nudiuscula aut nuda. Oculi nudi. Mediæ aut minores.

Tribus 1:ma. Thorax obscurus: nigricans aut cinerascens (lateribus anguste scutelloque interdum flavicantibus). Cfr. Conspectus p. 1631.

α). Frons haud prominens.

*. Squamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente.

133. *A. rufipes:* nigricans, antennis, palpis tarsisque nigris; pedibus flavis, femoribus anticis interdum fuscis; alis leviter fuscanis, basi squamisque sordide flavicantibus, nervo transverso ordinario subflexo; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso, lutescenti subpellucido, incisuris lineaque dorsali interrupta nigricantibus. ♂. (Long. 2—2 $\frac{2}{3}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 186. 178. ♂. Zett. Ins. Lapp. 692. 136. ♂. *Musca* Fall. Muscid. 85. 111. ♂. (♀ ibidem allata forsan ab hac specie separanda, & sub nomine: *A. viduata* in hoc opere p. 1710 n:o 86 occurrit.)

Hab. in Scandinaviæ hortis & lucis, 12 Jul.—15 Aug., passim; ♂ sub arborum umbra choreas ducit; scilicet in

Scania ad Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Gusum, teste D. *Wahlberg;* in Jemtlandia boreali ad Ristansfors in parœcia Undersåker semel; in Lapponia Umensi ad novacculum Nästansjö rarissime; e Dania a D. *Staeger* sub nomine: »*Anthomyia flavipes var. c.*» missa.

♂. Oblonga, opaca. Oculi magni, arctissime cohærentes, in viva ferruginei. Frons vix l. parum prominens, macula supra antennas trigona, nigra. Antennæ longitudine fere epistomatis, modice latæ, totæ nigræ, apice rotundatæ, seta nuda. Epistoma albidum, perpendiculare, infra oculos haud descendens, nec apice reflexum. Palpi subfiliformes, apice parum crassiores; nigri, pilosi, basi sæpe pallidi. Thorax nigricans l. obscure cinerascens, lineis dorsalibus nigris haud perspicuis. Scutellum concolor. Abdomen angustatum, lineare, depressum, luteum, subpellucens, incisuris nigris, setosis, & linea dorsali interrupta, nigro-brunnea; dorso (in bene conservatis) certo situ leviter albo-micans. Anus nonnihil crassior. Alæ non latæ, levissime fuscanæ, basi paullo dilutiores. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli, horum 3:tius in ipso apice alæ excurrens; transversi modice remoti, horum ordinarius subobliquus & subinflexus. Costa inermis; spinula nulla. Squamæ sordide albidæ l. leviter subbrunnescentes, ciliatæ, valvula superiore inferiorem paullo ultra dimidium tegente. Halteres pallidi. Pedes mediocres, cum coxis lutei l. sordide flavi, setulosi, femoribus anticis sæpissime obscurioribus. Femora postica paullo longiora, subangustata. Tarsi omnes nigri l. fusci. Pulvilli longiusculi, albi.

134. *A. transversa:* cinerea (♂), aut fusco-rufo-testacea (♀); antennis obscuris, basi scutelloque apice testaceis; palpis pedibusque flavis; abdomine lutescenti subpellucido, incisuris nigricantibus; alarum nervo transverso ordinario flexo; squamis albidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso; *femina:* oculis

late remotis, macula supra antennas fulva, abdomine oblongo-ovato, acuto, tarsis simplicibus. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 203. 212. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 92. 131. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum & succo destillante Qvercus per Scandinaviam meridionalem & mediam, 8 Jul.—5 Sept., passim, minus frequens; ♂ choreas in aëre ducit uti præcedens; nempe in Scania ad Räften, Abusa, Lindholmen, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Lärketorp rarius, ipse; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Simillima mari prioris; sed differt: antennis basi fusco-ferrugineis, palpis flavis, thorace canescente, scutelli margine apicali rufo-testaceo, abdomine sublatiore, flavo-fulvo, nec luteo, linea dorsali fusca vix ulla, pedibus pallidius flavis, ut & tarsis minus infuscatis. *Femina:* fronte lata, grisea, antice flava, in medio nigra; thorace rufo-testaceo, dorso griseo; verisimiliter hujus.

135. *A. capucina:* nigricans, antennis totis tarsisque apice concoloribus; palpis pedibusque flavis; abdomine lutescenti subpellucido, incisuris nigricantibus; alis squamisque leviter fuscanis, nervo transverso ordinario flexo; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; in Scania ad Abusa; e Dania sub nomine: »*Musca flavipes* Fall.« mihi 1842 quoque communicata.

♂. Priori iterum simillima; sed thorace obscuriore, antennis totis nigricantibus, ut & alis totis squamisque subfuscanis, dignoscitur. Nervus transvers. ordin. distincte inflexus. Squamæ

sat magnæ, ciliatæ, brunnescentes. Tarsi nigri l. fusci, basi plerumque indeterminate testacei. De cetero ut in præcedente. Variat scutello aut toto obscure griseo, aut apice indeterminate testaceo. Ab *Anth. flavipede* (148) in variis vere diversa.

136. *A. latitarsis:* nigricans (♂), aut glauco-cinerea (♀); capite albicante; antennis breviusculis, latis, fuscis, basi rufis; palpis, scutelli apice pedibusque flavis; tarsis nigris; abdomine ferrugineo-luteo, incisuris nigris; alis levissime fuscanis, nervo transverso ordinario subrecto, squamis albidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus abdomine lineari, depresso; *femina:* oculis late remotis, macula supra antennas fulva, abdomine oblongo-ovato, acuto, tarsis posterioribus apice dilatatis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Staeger in litteris 21 Oct. 1842. ♀.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis foliis fruticum & succo exstillante Quercus, 8 Jul.—15 Aug., minus frequens; in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Abusa, Lindholmen, Krageholm, &c; in Smolandia, D. *Ljungh*, raro; ♀ e Dania a D. *Staeger* missa. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. *Anth. transversæ* (134) valde affinis & similis; sed magnitudine paullo minore, thorace in ♂ obscuriore, in ♀ cinereo (nec subrufescente), nervo transverso ordinario minus flexo, fere recto, ut & abdomine in ♂ nonnihil angustiore, & tarsis posterioribus apice in ♀ dilatatis, vere distincta. Frons levissime prominens. Antennæ latiusculæ, fusco-nigræ, apice rotundatæ, articulis 1 & 2 rufo-flavis. Seta nuda. Palpi longiusculi, flavi, extrorsum nonnihil crassiores. Thorax vix lineatus. Scutelli apex plus minus late rufescens. *Mas:* oculi magni; macula supra antennas trigóna nigra, ex orbita oculorum argentea duobus lateribus inclusa. Thorax obscurus. Alæ leviter

fuscanæ, nervo transv. ordin. subobliquo. Tarsi omnes simplices. *Femina:* oculi mediocres, sat late distantes. Vitta frontalis nigra (raro rufescens), postice macula trigona cinerea, antice macula sublunata plus minus lata, fulva, ornata. Alæ levissime fuscanæ, nervo transv. ord. subperpendiculari. Tarsi 4 posteriores articulis 3 ultimis depressis & sensim dilatatis, ita ut horum tarsorum articuli 1 & 2 modice angusti, cylindrici, fusci, sequentes 3 depressi, atri & horum 3:tius obcordatus, 4:tus transversus paullo latior, & ultimus adhuc magis dilatatus. — De cetero ut in *A. transversa.*

137. *A. consobrina:* cinerea, capite albicante; antennis totis tarsisque nigris; palpis, scutelli apice pedibusque flavis; abdomine ferrugineo-luteo, incisuris nigris; alarum nervo transverso ordinario subrecto, squamis albidis; *femina:* oculis sat late distantibus, striga, supra antennas fulva, abdomine ovato, acuto, tarsis simplicibus. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in succo Quercus ad Lindholmen Scaniæ 10 Jul. cum priori in 2 exemplis inventa.

♀. Similis *Anth. capucinæ* (135); sed magnitudine minore, thorace cinereo, nervo transv. ord. recto, &c., dignoscitur. A ♀ præcedentis, cui etiam similis, antennis totis nigris, flavedine supra antennas tantum strigam transversam tenuem (seu marginem frontis summum), nec maculam dilatatam, efficiente, ut & tarsis simplicibus, differt. Antennæ mediocres, seta nuda. Vitta frontalis latiuscula nigra, macula verticis cinerea. Palpi ut in priore. Scutellum margine apicali indeterminate testaceo. Incisuræ abdominis nigræ tenues. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter subdivergentes; transversus ordin. subobliquus fere in medio areæ insertus. Squamæ non magnæ, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. De cetero ut in diagnosi aut in præcedente.

138. *A. invisa:* glauco-cinerea, antennis elongatis, fusco-nigris, basi, palpis, scutelli apice, abdomine pedibusque, flavis; tarsis obscuris; alis cinereis, basi pallescentibus, nervo transverso ordinario flexo, squamis albis; *mas:* oculis arcte cohaerentibus, abdomine lineari, depresso. ♂. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund semel deprehendi.

♂. Similis omnino *Anth. transversæ* (134): sed abdomine paullo angustiore, flavo, nec luteo, & toto immaculato, nec incisuris nigris, diversa. Antennæ longiusculæ, lineares, nigricantes, apice rotundatæ, articulis 1 & 2 rufescentibus, seta nuda. Macula supra antennas trigona testacea. Oculi magni. Palpi subfiliformes, pallide flavi. Scutellum testaceum, basi indeterminate & levissime cinerascens. Abdomen lineare, angustatum, depressum, flavum, omnino immaculatum, nigro-pilosum, dorso certo situ levissime albo-micans, setis incisurarum nigris distinctioribus præsertim ad latera. Anus haud inflexus. Alæ subcinereo-hyalinæ, nervis: basi sordide albidis; longitudinalibus 3 & 4 versus apicem subdivergentibus; transverso ord. obliquo, flexo, ante medium areæ inserto. Squamæ sat magnæ, albæ, ciliatæ, valvula superiore inferiorem tantum ad dimidium tegente. Halteres flavi. Pedes cum coxis pallide flavi, tarsis præsertim versus apicem nigricantibus.

139. *A. pallicornis:* cinerea, antennis totis, palpis pedibusque flavis; abdominis basi alisque albidis, nervo transverso ordinario recto, squamis niveis; *femina:* oculis modice late remotis. ♀. (Long. 1 lin. & paullo ultra).

Hab. in Suecia media rarissime; in insula Ölandia semel capta.

♀. Parva. Caput canum. Frons minime prominens. Oculi mediocres, sat late distantes, vitta frontali latiuscula nigra, antice

rufescente, postice per maculam elongato-cordatam cineream divisa. Antennæ modice longæ, potius breviusculæ, augustatæ, totæ flavæ, seta nuda. Epistoma infra oculos non descendens. Palpi parvi, albidi. Thorax & scutellum late cinerea, immaculata. Abdomen ovatum, segmentis 1 & 2 albo-pellucidis, 3 & 4 cinereis. Alæ albicantes. Nervi: longitud. 3 & 4 paralleli; transvers. ord. perpendicularis, rectus, longe ante medium areæ insertus. Costa breviter subciliata, spinula nulla. Squamæ mediocres, albæ, valvula superiore inferiorem vix ad dimidium tegente. Halteres albidi. Pedes cum coxis toti pallide flavi, tarsis haud obscuris. Femora validiuscula. Forte *Coenosiæ* generis?

140. *A. alma:* cinerea, antennis, abdominis punctis 6, alarum nervis transversis femoribusque nigricantibus; palpis, antennis basi tibiis tarsisque flavis; abdomine basi albido; oculis in utroque sexu remotis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 188. 184. ♀. *Anth. spuria* Zett. Ins. Lapp. 693. 112. ♂♀. — Not. sub *Musca uliginosa* Fall. Muscid. p. 81. 100.

Hab. in pratis & pascuis, & aridis & uliginosis, interdum ad littora maris, 2 Jun.—1 Sept., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Abusa, Esperöd, Sandhammar &c., non infrequens; in Smolandia D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Lärketorp (♀ in Abiete, Sept.), Fylla prope Wadstena, Gusum &c.; in Gottlandia ad Stenkyrka, Öja, &c.; ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele raro; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Wahlberg*; e Dania a D. *Staeger* sub nomine: "*Anth. alma* Meig.?" ♀ in unico specimine communicata. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Glogavia a D. *Zeller*, exempla mascula missa).

♂♀. Auctorum *Coenosiæ* generis. Caput omnino ut in priori constructum. Oculi in ♂ modice, in ♀ paullo latius remoti, vitta frontali exacte ut in præcedente picta. Antennæ breviusculæ, nigræ, basi rufæ, seta subnuda seu vix visibiliter puberula. Palpi albidi. Thorax & scutellum canescentia, immaculata. Abdomen cinereum, segmentis 2 basalibus albidis, punctis 6 rotundatis in segmentis 2, 3 & 4, lineaque dorsali nigricantibus; in mare cylindricum, ano rotundato, inflexo, in ♀ ovato-lanceolatum, ano acuto; punctis segmenti 2:di duobus nigris per fasciam transversam, in medio dilatatam, cineream, in ♂ plerumque, in ♀ semper, connexis. Alæ albo-hyalinæ, nervis transversis rectis, infuscatis, horum ordinario paullo ante medium areæ inserto. Nervi long. 3 & 4 paralleli. Costa nuda. Squamæ mediocres, albæ, parum ciliatæ, valvula superiore inferiorem ad dimidium tegente. Halteres albidi. Pedes cum coxis nigro-cinerei, geniculis summis tibiis tarsisque flavo-ferrugineis, horum articulo ultimo unguibusque, nigris. — Cum *A. uliginosa* (128), cui abdominis pictura valde similis, non confundi debet. Affinis etiam *A. pallipalpi* (46).

Var. b. ♀. oculis in viva obscure brunneis, abdomine basi vix albo-diaphano, incisuris tenuiter albis, fronte lata; de cetero var. a. simillima; an spec. distincta?

Zett. l. c. var. b. ♀. In ligno Pini recenti ad Wittangi Lapponiæ Tornensis 14—15 Jun. nec non ad Björkvik Nordlandiæ Norwegicæ 15 Jul. 1821 rarius capta. ♂ in Scania.

Var. c. ♀. duplo minor, alarum nervis transversis haud infuscatis, alias var. b. simillima.

Zett. l. c. var. c. ♀. In arenosis ad Wittangi 15 Jun., ad Kengis Lapponiæ Tornensis 22 Aug., & ad Johannis Ro Botniæ borealis 2 Sept. 1821 inventa. — Etiam in Gottlandia.

141. *A. litoralis:* cana, antennis rufis, apice obscuris; macula frontali, palpis pedibusque flavis; abdominis basi albida; tarsis fuscis; alis cinereis, nervo transverso ordinario recto, squamis niveis; *femina:* oculis modice late remotis. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; in litore maris ad Baflunda prope Esperöd Scaniæ 27 Jun. inventa. (In Helgolandiæ litore maris Jul. 1838 a Cl. D. *Dahlbom* quoque lecta).

♀. Duabus proxime præcedentibus valde similis & affinis; sed ab *Anth. pallicorni* antennis rufis, articulo ultimo versus apicem seu exactius a medio ad apicem obscuro l. fusco, nec totis flavis, & ab *Anth. alma* femoribus flavis, nec nigris, alis immaculatis, nec nervis transversis fuscedine cinctis, ut & abdomine nullis punctis nigris notato, differt. Alæ subhyalinæ, vix l. parum albidæ. Costa inermis. Pedes saturate flavi, tarsis nigricantibus l. obscuris. Cetera ut in *A. alma.*

142. *A. pingvicula:* tota obscure brunnea, nitens; antennis basi palpisque flavis; abdominis incisuris tenuissime albis; alis fuscanis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subconvergentibus, transverso ordinario recto; squamis albidis; *mas;* oculis modice late remotis, abdomine cylindrico. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; ad villam Abusa prope Lund Scaniæ specimen descriptum ante plures annos inveni.

♂. *Coenosiæ* generis. Minuta. Tota fusca, brunnea, nitida. Caput ut in *Anth. pallicorni* (139) constructum. Vitta frontalis nigricans, subnitens, summo margine antico (supra antennas) luteo. Antennæ breviusculæ, nigricantes, articulis 1 & 2 flavis. Palpi pallidi. Abdomen cylindricum, brunneum, nitidum, incisuris tenuissime albis. Anus rotundatus, inflexus. Alæ fuscanæ, ima basi dilutiores. Nervi: longitud. 3 & 4 versus apicem paullo convergentes, horum nempe 3:tius fere pone summum apicem alæ in margine excurrens; transversi subperpendiculares, recti, ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Costa nuda, spinula nulla. Squamæ parvæ parum ciliatæ, sordide

albidæ l. leviter brunnescentes, valvula superiore inferiorem non omnino tegente. Halteres pallidi. Pedes validi, parce pilosi. Coxæ & femora dilutius brunnea. Tibiæ obscuræ. Tarsi nigri. Pulvilli parvi, albi.

143. *A. rufina:* glauco-cinerea, antennis totis, palpis tarsisque nigris; abdomine pedibusque flavis, alis cinereis, nervo transverso ordinario (in ♂) subflexo; squamis albidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali fusca, nervo transv. ordinario subrecto. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Musca Fall. Muscid. 92. 132. ♂. *Anthomyza ocreata* (errore typograph. *ochreata*) Zett. Ins. Lapp. 697. 160. ♀.

Hab. ♂. in Scania rarius: ad Abusa bis lecta; & pupa cylindrica, nuda, brunnea, ad Lund capta, exclus. 23 April; ♀ ad Lycksele Lappon. Umensis semel inventa.

♂. Simillima *Anth. invisæ* (138), a qua antennis totis palpisque nigris, macula frontali supra antennas trigona nigra, nec testacea, scutello toto cinereo, squamis sub alis sordide albidis, ut & tarsis totis atris, solummodo distincta. Femora antica leviter fusca. Cetera omnia ut in *A. invisa.* Ab *Anth. rufipede* (133) abdomine immaculato statim dignoscitur. — ♀ forte hujus; similis mari, sed ut in diagnosi differt.

Obs. Coenosia rufina Meig. Dipt. 5. 213. 4. ♀., cui ut synonymon Cl. Auctor allegavit *Muscam rufinam* Fall., alia est species "palpis rufis" prædita, mihi non rite cognita.

144. *A. hamata:* obscure cinerea, antennis totis, palpis tarsisque nigris; abdomine pedibusque testaceis; alis cinereis, basi squamisque sordide flavidis, nervis longitudinalibus 3 & 4 apice subconvergentibus, transverso ordinario subrecto; *femina:* oculis non late remotis, ab-

domine subovato, pedibus muticis. ♀. (Long. 2½ lin. mensur. Suec.)

Limnophora hamata Macq. Buff. 2. 312. 10. T. 17. f. 6. ♂.

Hab. in Scandinavia forte rarissime, mihi non obvia, a Nobil. D. *Staeger* in 2 exemplis sub nomine allato mecum benigne communicata.

♀. Caput magnum, perpendiculare, antice totum convexum, fronte & facie ante oculos non prominulis. Oculi magni, oblongi, ferruginei per orbitas albas & vittam frontalem modice latam, nigram (in altero specimine ferrugineam) paralleliter & non late distantes. Antennæ longitudine fere epistomatis, validiusculæ nigræ, seta elongata, nuda, basi incrassata. Palpi tenues, nigricantes. Thorax schistaceus, lineis 2 mediis nigris, humeris canis. Scutellum cinereum. Abdomen oblongo-ovatum, testaceum, opacum, tenuiter nigro-pubescens, sed vix setulosum. Alæ cinereæ, basi flavicantes. Nervi: longit. 3 & 4 versus apicem leviter subconvergentes, horum 3:tius in summo apice alæ excurrens; transversus ordinarius subobliquus, levissime flexus, nonnihil ante medium areæ insertus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ mediocres, seu proportione potius minusculæ, ciliatæ, sordide flavidæ, valvula superiore inferiorem ultra dimidium tegente. Halteres pallidi. Pedes mediocres, cum coxis luteo-flavi, pubescentes & parce nigro-setulosi. Coxæ anticæ ad dimidium cinerascentes. Tarsi omnes nigri, pulvillis parvis, albis.

♂, a D. *Macquart* desciptus, scutello subflavescente, abdomine conico, depresso, pedibus anticis brunneis, aculeo curvato ad basin coxarum intermediarum (in figura l. c. hæc "pointe recourbèe à la base des hanches intermediaires" ut squama flava ad basin coxarum posticarum repræsentatur), ut & fasciculo pilorum ad partem posteriorem femorum intermediorum, &c., secundum Cl. Auctorem dignoscitur a femina, cui de cetero similis fuerit; mihi ignotus.

145. *A. impar:* nigricans (♀), aut cinerea (♀); capite albicante, puncto supra antennas niveo; antennarum articulo ultimo, palpis tarsisque nigris; antennis basi, pedibus abdomineque ovato flavis; alis subfuscanis (♂), aut hyalinis (♀), nervo transverso ordinario subrecto; squamis flavidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis. ♂♀. (Long. fere 2½ lin.).

Hab. in Scandinaviæ borealis provinciis interioribus silvaticis, 22 Jun.—15 Aug., passim; scilicet per totam Jemtlandiam borealem ab Hofverberget, Åreskutan & Mullfjellen (regione silvatica) usque ad Skalstugan, frequens; in Norwegia ad Ostre Næs & Suulstuen in jugo alpino situm quoque non raro obvia.

♂♀. Affinis *Anth. rufinæ* (143), sed paullo obscurior (præsertim ♂), & antennis basi rufescentibus, puncto supra antennas albissimo, nervo transverso ord. magis recto, abdomine ovato, convexo, &c., facile dignoscenda. Caput maris ut in *rufina:* feminæ canum, oculis mediocribus per orbitas cinereas & vittam frontalem latiusculam nigram (in juvenilibus piceam) modice distantibus. Thorax vestigio linearum 2 nigrarum. Scutellum plerumque apice ferrugineum. Abdomen nitidum rufoflavum, postice setulosum. Anus maris haud inflexus. Alæ ut in *Anth. rufipede* (133) & *invisa* (138), sed nervo transv. ord. subperpendiculari & magis recto. Squamæ & halteres ut in præcedente. Pedes cum coxis rufo-flavi, nigro-pilosi (præcipue in ♂), tarsis atris. Pulvilli albi, in ♂ parvi, in ♀ minuti. Variat ♀ vitta frontali vel tota nigra, vel antice fulva

146. *A. hians:* nigricans (♂), aut cinerea (♀); capite albicante, puncto supra antennas niveo; antennarum articulo ultimo, palpis tarsisque nigris; antennis basi, pedibus abdomineque ovato flavis, hoc incisuris nigris; alis subfuscanis (♂), aut hyalinis (♀), nervo transverso ordi-

nario subrecto; squamis flavidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis. ♂♀. (Long. fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 698. 167. ♀.

Hab. cum priori, sed paullo frequentius & latius divulgata, Jun.—Aug. obvia; scilicet in Jemtlandia tota vulgaris; ex hac provincia in Helsingiam descendit, ibique ad Storbyn in paroecia Färila parce visa; e Jemtlandia quoque jugum alpinum transcendit & in Norwegia ad Suul &c. non infrequenter lecta; in Lapponia Kemensi & ad Munioniska Lapponiæ Tornensis specimina feminea descriptioni Ins. Lapp. hujus speciei typica detecta 1821.

♂♀. Priori ut ovum ovo simillima, ejusque forsan mera varietas; sed incisuris abdominis tenuiter quidem, at distincte, uti in *Anth. transversa* (134) &c., nigris differt; & ex ambabus uterque occurrit sexus, unde ut diversas habui & descripsi, donec copulatio l. aliæ observationes eas conjungere in posterum fortasse svadeant. — Nomen triviale ab apertura oris magna datum.

147. *A. mutata:* nigra, antennis totis, palpis pedibusque concoloribus; capite albicante; abdomine ovato, flavo ferrugineo; alis leviter fuscanis, nervo transverso ordinario subrecto; *mas:* oculis arcte cohærentibus; *femina:* oculis modice remotis. ♂♀. (Long. 2–$2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 203. 213. *Musca* Fall. Muscid. 92. 133. ♂♀. typica.

Hab. in Scania rarius; in Ostrogothia ad Gusum. D. *Wahlberg.*

♂♀. Magnitudo, statura & color duarum proxime præcedentium, iisque de cetero simillima, sed thorace nigriore, antennis totis pedibusque in utroque sexu, nigris, distincta. Nervus transv. ordin. levissime flexus. Abdomen subnitidum. Pedes simplices. *Mas:* puncto supra antennas niveo. Abdominis incisuræ tenuissime nigræ. Tibiæ posticæ testaceæ. *Femina:* oculis per orbitas latas, albas, & vittam frontalem subangustatam, nigram, modice disjunctis. Abdomen ferrugineo-flavum, immaculatum. — Melius forte in *Ariciæ* genere reponenda.

Obs. Ab *Aric. semicinerea* n:o 111, cui subsimilis, antennarum seta nuda, nec subplumata, &c. dignoscitur.

**. Squamæ sub alis parvæ: valvula superiore inferiorem totam tegente.

†). Palpi flavi (summo apice interdum fusci).

148. *A. flavipes:* obscure brunnea, capite albicante; antennis basi, palpis pedibusque flavis; femorum posteriorum annulo apicali tarsisque fuscis; abdomine livido, incisuris nigricantibus; alis squamisque flavidis, nervo transverso ordinario recto; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, angusto, depresso. ♂. (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 195. 197. Zett. Ins. Lapp. 692. 137. ♂. *Musca* Fall. Muscid. 90. 125. ♂. typica.

Hab. in hortis, pratis & lucis mense Julio minus frequens; scilicet in Scania ad Abusa, Esperöd, &c., passim; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena, D. *Dahlbom;* in Gottlandia ad Öja parce; in Jemtlandia ad Stalltjernstugan raro; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Stöttingsfjellet; in Norwegia in alpe Dovre, D. *Boheman* (specimen nempe

Insectis Lapponicis sub nomine *A. rufipes* introductum), ad Thynäs & Levanger, ipse; e Dania a D. *Stæger* missa.

♂. Magnitudo fere & summa *Anth. rufipedis* (133) similitudo, sed colore corporis paullo dilutiore, subbrunneo, antennarum basi, pedibusque lætius flavis, femorum posteriorum annulo apicali dilute brunneo (interdum obsoleto), alis squamisque forte magis infuscatis, his subæqvis, valvula superiore inferiorem tegente, nervo transverso ord. magis recto, tarsis dilutioribus, ut & palpis flavis, nec nigris, abunde differt. Oblonga. Seta antennarum subtiliter puberula. Abdomen coarctatum, depressum, pilosum, livido-subpellucidum, certo situ leviter albo-micans (in exemplis bene conservatis), incisuris nigris, & certo luminis situ linea etiam dorsali fusca, obsoleta. Anus crassior. Halteres flavi. Pedes toti cum coxis flavi, tarsis testaceis, interdum fuscis l. brunneis. Variat thorace dilute brunneo, disco dorsali intensius fusco. — In speciminibus Lapponicis, quæ etiam sæpe paullo minora sunt, femora antica plerumque subfuscata & abdomen parum pellucidum. Frons supra antennas obscura, in junioribus testacea.

Var. b. ♂. palpis summo apice femoribusque anticis leviter infuscatis. In Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila 21 Aug. 1840 in uno specimine a D. *Dahlbom* lecta.

Obs. Feminam *Anth. vittigeræ* in copula cum mare *A. flavipedis* ad Esperöd Scaniæ semel (26 Jul. 1818) junctam deprehendi. An copulatio hybrida?

149. *A. flavo-scutellata:* testaceo-fusca, capite, antennarum basi, palpis totis, scutello pedibusque flavis; tarsis obscuris; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario recto, sqamis albidis; *mas:* oculis magnis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso, testaceo, apice fusco; *femina:* oculis modice remotis, abdomine lanceolato, rufo-flavo. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 697. 162. ♂♀.

Hab. in Suecia boreali & Lapponia, 29 Jun.—30 Jul. capta, rarissime; scilicet in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet parcissime; in Lapponia Tornensi marem ad Juckasjervi, feminam ad lacum insignem Torneåträsk inveni; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*. (Sub nomine: „*Anthomyia* (Phyllomyia) *agaricina* Bouch." mas etiam a D. *Zeller* e Glogavia communicatus).

♂. Parva, mollis. Fusco-testacea, thoracis dorso paullo obscuriore, fusco aut canescente. Caput rufescenti flavum, albo-micans præsertim orbitæ oculorum argenteo-micantes. Frons levissime prominula, supra antennas flava. — Palpi toti pallide flavi. Antennæ validiusculæ, brunneæ, articulis 1 & 2 flavis. Thorax flavo-canescens. Scutellum pallidum. Abdomen angustum, lineare, depressum, pilosum, testaceum, segmentis 2 ultimis paullo infuscatis. Anus crassior. Alæ subhyalinæ, basi pallidæ, nervis ut in priori directis. Halteres pallidi. Pedes pallide flavi, coxis & femoribus anticis leviter cinereo-micantibus. Tarsi testacei l. fusci. — Cum *Anth. ephippium* (174) non confundenda.

♀ forte hujus? Similis mari descripto, sed oculis per orbitas albas & vittam frontalem latiusculam fulvam, postice cineream modice disjunctis, thorace supra cinereo, subtus cinereo-rufescente, scutello cinereo, margine flavo, ut & abdomine lanceolato-ovato, rufo-ferrugineo, parum piloso, differt.

150. *A. tenera:* testacea, thorace cinereo-canescente; antennis, palporum, abdominis femorumque posteriorum apice, tarsisque, nigricantibus; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario recto, squamis albidis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, angusto, depresso; *femina:* oculis modice remotis, abdomine lanceolato. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins Lapp. 697. 165. ♂♀.

Hab. in Succia superiore & Lapponia, 27 Jun.--30 Jul., minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Gusum (sub nomine: »*transversa?*» a Cel. *Wahlberg* in unico specimine masculo communicata); in Jemtlandia boreali ad Skalstugan & ad radicem alpium Mullfjellen 6 individua mascula inveni; in Lapponia Umensi ad Novaccolum Nästansjö 2 mares quoque legi; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock ♂ a D. *Andersson* captus; feminam tantum unicam in monte subalpino Stöttingsfjellet Lapponiæ Umensis d. 1 Aug. 1832 deprehendi.

♂♀. Duabus proxime antecedentibus valde similis; sed ab *Anth. flavipede* (148) magnitudine plerumque duplo minore & abdominis incisuris vix obscurioribus, ab *Anth. flavo-scutellata* antennis fere totis, femorumque posteriorum annulo apicali (interdum obsoleto), obscuris, & ab utraque palpis flavis, apice nigris, distincta. Oblonga, mollis. Caput albicans. Frons levissime prominula, macula supra antennas plerumque testacea. Antennæ validiusculæ, sæpissime nigræ, basi interdum subrufescente. Palpi flavi, apice determinate nigri, quæ nota constans speciem in primis distingvit. Thorax cinereus, subtus interdum (forte in juvenilibus) obscure rufo-testaceus. Scutellum cinereum, apice sæpe testaceo. Alæ subhyalinæ. Nervi: longit. 3 & 4 subparalleli, transversus ordinarius subperpendicularis, rectiusculus, distincte ante medium areæ insertus. Costa nuda; spinula nulla. Halteres pallidi. Pedes cum coxis flavi, femorum posteriorum annulo apicali plerumque, & tarsis semper, fuscis l. obscuris. *Mas:* abdomine lineari, coarctato, depresso, piloso, fusco- l. sordide flavo, incisuris 2 ultimis late obscuris, unde apex abdominis obscurus videtur. Vestigium lineæ dorsalis interruptæ, fuscæ, etiam sæpe observatur. Anus crassior. Pulvilli sat magni, albi. *Femina,* forte hujus? paullo discrepat. Caput flavum. Oculi per vittam frontalem nigram, antice flavo-marginatum, sat late disjuncti. Antennæ nigræ, basi rufescentes. Palpi flavi, apice nigri. Pleuræ rufo-testaceæ. Abdo-

men lanceolatum rufo-ferrugineum, pubescens, subnitens, incisuris tenuiter, & linea dorsali, fuscis. Pulvilli parvi, albi. Reliqua ut in mare.

Var. b. ♀. testaceo-cana. Caput albo-flavescens, vertice grisescente. Antennæ validæ, totæ nigræ. Palpi flavi, summo apice nigro. Abdomen ovato-lanceolatum, pallide flavo-testaceum, apice acutum, segmentis 3 & 4 ultimis leviter canescentibus. Pedes flavi, coxis anticis basi leviter canis. Femora antica fere tota, & posteriora annulo apicali, fuscescentia. De cetero ut in ♀ varietatis a. An nov. sp. aut femina genuina *Anth. teneræ?* E Gusum Ostrogothiæ specimen unicum mihi benevole communicavit Cel. *Wahlberg.*

151. *A. zonata:* testacea, thoracis dorso cinereo; palpis, aldomine pedibusque flavis; antennarum articulo ultimo, palporum apice, abdominis incisuris, tarsisque nigris; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario recto, squamis albis; *femina:* oculis modice remotis, abdomine ovato-oblongo, acuto. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 697. 163. ♀.

Hab. in Suecia meridionali, media & Lapponia mense Julio rarius; scilicet in Scania ad Esperöd semel; in Ostrogothia ad Lärketorp, D. *Dahlbom*, ad Gusum, D. *Wahlberg;* in umbrosis Lapponiæ Umensis ad Wilhelmina specimen typicum inveni; in Botn. boreali ad Bredåker in paroccia ÖfverLuleå atque ad Tjomotis & Qvickjock Lapponiæ Lulensis, ubi in utroque sexu capta fuerit, testante Prof. *Wahlberg.*

♀. Valde similis *Anth. limbatellæ* infra n:o 166, sed fronte vix l. levissime tantum prominula, ut & abdominis incisuris anguste at determinate nigris. Caput pallidum, albo-micans præcipue in orbitis oculorum. Oculi mediocres per vittam frontalem latam, antice fulvam, medio nigram, postice macula triangulari

cinerea notatam, sejuncti. Antennæ validæ, nigræ, apice rotundatæ, articulis 1 & 2 rufis; seta nuda. Os antice subreflexum. Palpi flavi, summo apice nigri. Thorax rufo-testaceus, disco dorsali a capite ad scutellum cinereus, humeris rufo-testaceis. Scutellum testaceum. Metathorax cinereus. Abdomen flavum, pubescens, subnitidum, incisuris nigris. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervi: longit. 3 & 4 fere paralleli, sat late remoti; transversus ordin. rectus modice ante medium areæ insertus. Costa nuda, spinula nulla. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ. Halteres pallidi. Pedes cum coxis flavi, simplices, tarsis obscuris. Femora postica reliquis paullulum longiora & fere graciliora. — ♂ mihi ignotus.

152. *A. tricolor:* cylindrica, cinerea, capite albicante; antennis elongatis, angustis tarsisque nigris; palpis totis pedibusque flavo-albis; abdomine albo, linea dorsali apiceque obscuris; alis hyalinis, nervis transversis approximatis, rectis; *mas:* oculis remotis. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Coenosia bicolor Staeger in litt. 21 Oct. 1812.

Hab. in Dania, forte raro, mihi in Scandinavia non obvia, a D. *Staeger* in uno exemplo mecum communicata.

♂. *Anth. molliculæ* (132) & præsertim ejus var. b. ♂ simillima; sed abdomine basi latius albo, & præprimis nervis transversis ante medium alæ approximatis certe diversa. Caput album. Oculi per orbitas albas & vittam frontalem nigram, antice supra antennas anguste flavo-marginatam, postice macula cinerea notatam, modice disjuncti. Frons minime prominens. Antennæ lineares, nigræ, seta nuda. Palpi albi. Thorax cinereus, dorso obsolete fusco-bilineato. Abdomen angustum, subcylindricum, segmentis: 1 & 2 albis, vitta dorsali inæquali, brunnea; 3 & 4 cinereis, punctis 2 in singulo fuscis. Nervi: long. 3 & 4 paralleli; transversi perpendiculares, recti, horum ordinarius longe ante medium areæ insertus. Costa nuda, spinula nulla. Squamæ parvæ, albæ. Halteres albidi. Pedes cum coxis pallide flavi; tarsis nigris. Pulvilli parvi, albi.

Obs. Nomen triviale *bicolor* adoptari non potest tamdiu hæc species ad genus *Anthomyzæ* refertur, quia jam alia species hoc nomine insignita datur, & sub n:o 157 hujus operis descripta.

††). Palpi l. toti l. ad maximam partem nigri; basi sæpe flavi.

153. *A. ruficeps:* subnitida, nigra, capite rufo; antennarum articulo ultimo, palpis; vertice (in ♀) tarsisque nigris; abdomine pedibusque flavis; illo incisuris nigris; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario subrecto, squamis albis; *femina:* abdomine ovato, acuto. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 698. 166. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in ripa ad lacum Wojmsjön in paroecia Wilhelmina d. 11 Jul. 1832 specimen unicum inveni.

♀. Similis *Anth. hianti* (146), sed capite magis rufescente, puncto supra antennas niveo deficiente, ut & valvula superiore squamarum sub alis inferiorem totam tegente, dignoscenda. Oculorum distantia & color vittæ frontalis exacte ut in *Anth. zonata* (151). Antennæ etiam omnino ut in illa. Epistoma rufo-flavum, leviter albo-micans. Palpi nigri, ima basi flavi. Thorax nigricans, non perspicue lineatus. Scutellum concolor. Abdomen ferrugineo-flavum l. fulvum, nitidum, incisuris distincte nigris. Nervi: longitud. 3 & 4 paralleli; transversus ord. subrectus, paullo ante medium areæ insertus. Squamæ albæ. Halteres pallidi. Pedes ut in *A. zonata* constructi & colorati.

Obs. Anth. ruficeps Meig. Dipt. 5. 177. 162. ♂. alia est species, mihi ignota.

154. *A. transgressa:* cinerea, capite albicante; antennis totis, palpis, femoribus anticis tarsisque omnibus nigricantibus; abdomine pedibusque ferruginantibus; alis

sordide hyalinis, nervo transverso ordinario recto, squamis albidis; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali sæpissime nigra, abdomine oblongo, acuto. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

Hab. in Suecia media & Lapponia mense Julio minus frequens; scilicet in Ostrogotia ad Lärketorp rarissime; in Jemtlandia ad Mullfjellet raro; e Jemtlandia transscendit jugum alpinum, & ad Suulstuen latere Norwegico parce lecta; in Lapponia Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*, qui 2 exempla mihi misit.

♀. Parva, cinerea, opaca. Caput sphæroideum, albicans, fronte haud prominente. Oculi mediocres, subrotundati, per orbitas angustas albas, & vittam frontalem latam nigram, antice interdum flavo-maculatam, modice disjuncti. Antennæ mediocres, nigræ, seta nuda. Palpi nigri, raro basi flavicantes. Abdomen sordide ferrugineum, subnitidum, incisuris vix obscurioribus. Alæ sordide hyalinæ. Nervi: longit. 3 & 4 paralleli; transversus ordin. subperpendicularis, rectissimus, paullo ante medium areæ insertus. Costa subnuda; spinula nulla. Halteres pallidi. Pedes subfusco-ferruginei. Coxæ præsertim anticæ cinerascentes. Femora antica & interdum etiam tibiæ anticæ, obscura. Tarsi omnes nigri. — In speciminibus 2 Lulensibus, de cetero in omni puncto invicem simillima, variat tamen vitta frontalis in uno tota nigra, in altero nigra, antice fulva. Idem etiam de exemplis Jemtlandicis valet. Color abdominis pedumque fusco-ferrugineus & femora antica obscura constantiores notas sine dubio præbent. — Species vero satis ambigua.

♂. an hujus? Oculi oblongi, arcte cohærentes. Triangulus supra antennas flavus. Palpi nigri, ima basi flavi. Abdomen lineare coarctatum, depressum, pilosum, segmentis 1 & 2 sordide ferrugineis, rudimento lineæ dorsalis fuscæ; 3 & 4 nigricantibus, ano crasso. Femora antica nigra, posteriora brunnea, tibiis omnibus fusco-testaceis. Ad Åreskutan Jemtlandiæ in uno specimine 31 Jul. 1840 lecta.

155. *A. guttifrons:* cinerea, capite albicante; antennis, palpis extrorsum, tarsisque nigris; pedibus abdomineque ferrugineo-flavis, incisuris tenuiter nigris; vitta frontali (in ♀) atra, antice macula fulva; alis hyalinis, nervo transverso ordinario recto; *femina:* abdomine oblongo-ovato, acuto. ♀. (Long. 2 lin.).

Hab. in Suecia rarissime, 3 tantum exempla lustravi, unum in Ostrogothia captum, alterum a D. *Gyllenhal* e Westrogothia missum, & tertium ad Mullfjellet Jemtlandiæ 28 Jun. 1840 a me inventum.

♀. Valde similis & affinis priori, a qua tantum magnitudine plerumque paullo majore, macula supra antennas cordata, fulva, palpis basi pallidis, ut & abdomine pedibusque lætius ferrugineo-flavis, differt. Antennæ validæ, atræ, basi in altero exemplo rufescentes. Incisuræ abdominis tenuissime nigræ. Coxæ & femora ferrugineo-flava, non infuscata. Reliqua ut in præcedente.

156. *A. rotundicornis:* cinerea, epistomate angusto albo; antennis rotundis, palpis, femoribus anticis tarsisque omnibus nigricantibus; fronte fulva; abdomine livido; pedibus flavis; alis cinereis, nervo transverso ordinario recto; *mas:* oculis remotis, abdomine lineari, angusto. ♂. (Long. $1\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby semel lecta.

♂. A prioribus in multo recedit; an hujus generis? sed oculorum forma, setæ mystacinæ & directio nervorum in alis *Anthomyzam* produnt. Opaca. Oculi magni, oblongi, sat late distantes. Orbitæ angustæ, albæ. Frons minime prominens, non parallela, sed antice nonnihil angustata; tota fulva, macula verticis parva, cinerea; parce setosa. Antennæ breves,

atræ, articulo ultimo orbiculari, seta elongata, nuda, basi parum incrassata. Epistoma perpendiculare, ante oculos minime exsertum, nec infra oculos descendens; sub antennis angustissimum, totum album. Setæ mystacinæ paucæ. Palpi retracti. Thorax & scutellum cinerea, immaculata. Abdomen valde angustum, subdepressum, pilosum, ferrugineo-fuscum, ano parvo, rotundato, inflexo, ferrugineo. Nervi: longit. 3 & 4 paralleli; transversus ord. perpendicularis, rectus in medio areæ insertus. Costa omnino nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, albidæ. Halteres flavidi, clava magna. Pedes mediocres, flavi, subnudi, femoribus anticis totis, tarsisque omnibus apice, obscuris. Pulvilli non magni albi.

β). Frons plus minus distincte prominula. Alarum nervus transversus ord. rectus. Sqvamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem tegente. Oblongæ.

*. Palpi toti flavi.

157. *A. bicolor:* cæsia, capite argenteo-micante; antennis, vitta frontali tarsisque nigris; palpis, abdomine pedibusque ferrugineo-flavis; *mas:* oculis non arcte cohærentibus, abdomine angusto, subcylindrico, femoribus anticis nigris; *femina:* oculis modice remotis, abdomine oblongo, acuto. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. Antennæ nigræ, articulis 1 & 2 obscure rufis.

Wiedem. Zool. Mag. 1. 77. 26. typica. Meig. Dipter. 5. 185. 177. Zett. Ins. Lapp. 696. 158. ♂♀. *Musca* Fall. Muscid. 91. 128. ♂♀. certe. *Pegomyia* Macq. Buff. 2. 351. 4? (insufficienter descripta).

Var. b. ♂♀. (jam ♂ jam ♀ in copula cum var. a). Antennæ totæ nigræ.

Anth. mitis Meig. Dipt. 5. 183. 173. ♂♀. videtur. Forte etiam eadem Macq. Buff. 2. 351. 2?

Hab. utraque varietas mixta in foliis fruticum ex. gr. Salicis, Betulæ &c., per totam Scandinaviam præsertim in provinciis meridionalibus & mediis, 20 Maj. — tota æstate — 15 Sept., vulgatissima, multoties in copula capta; scilicet in Scania tota copiose; in Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, frequens; in Ölandia & Gottlandia raro; in Nericia & Uplandia, passim; in Dalecarliæ alpibus, D. *Boheman*; in Jemtlandia ad Faxelfven, Mullfjellet, Skalstugan &c.; in Lapponia Umensi ad Barrsele; in Lapponia Lulensi ad Jockmock & Qvickjock, D. *Wahlberg*; in Norwegia ad Alstahaug, Levanger, Garnæs Værdaliæ, Björkvik Nordlandiæ &c., passim; in Dania freq. *Larvæ* in foliis Rumicis crispæ captæ; *pupæ* cylindricæ, nudæ, obscure brunneæ exclus. Dec., D. *Sundewall.* (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Kilia a D. *Wiedemann* plures imagines missæ).

♂♀. Caput argenteum. Frons modice porrecta. Antennæ validiusculæ, 1. totæ nigræ, 1. basi rufescentes, seta omnino nuda. Epistoma subperpendiculare, apice non reflexum. Palpi subfiliformes, flavi. Thorax schistaceus, vestigio linearum nigrarum, Scutellum concolor. Abdomen ferrugineo-flavum, tenuiter nigro-pubescens, incisuris nigro-setosis. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervi: longit. 3 & 4 subparalleli seu versus apicem tantum levissime divergentes; transversus ord. subperpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus. Squamæ ciliatæ, albidæ. Halteres pallidi. Pedes mediocres, setulosi. *Mas:* oculi non arcte cohærentes, sed per orbitas tenues, albas, & vittam frontalem subangustam, nigram paullulum sejuncti. Abdomen subcylindricum flavo-ferrugineum, levissime albo-micans, plerumque linea dorsali (in segmentis 1 & 2) obsoleta, & inter-

dum macula oblonga obliqua utrinque in segmento 3:tio. Anus rotundatus, stylis 2 brevibus obtusis subtus suffultus. Costa alarum haud ciliata; spinula nulla. Pedes ferruginei, coxis fere totis cinereis, femoribus anticis saltem extus nigricantibus, tarsis omnibus atris, apice pilosis, pulvillis longis, albidis. *Femina:* oculi per orbitas latas, albidas, & vittam frontalem sat latam, nigram (interdum piceam l. ferrugineam) mediocriter distantes. Abdomen oblongum, flavo-ferrugineum, immaculatum, apice acutum. Costa alarum breviter subciliata, spinula parva. Pedes cum coxis ferruginei, immaculati, coxis anticis antice sæpe macula cinerea. Tarsi omnes atri, parum pilosi, pulvillis parvis albis.

Obs. Ne hæc species suæ subdivisionis typica, cum aliis affinibus confundatur, prolixiorem dedi descriptionem.

158. *A. strigipes:* cana, capite rufescenti albo; antennarum articulo ultimo, femorum anticorum vitta supera, tarsisque omnibus nigris; antennis basi vittaque frontali fulvis; palpis, abdomine pedibusque flavo-testaceis; *femina:* abdomine oblongo-ovato. ♀. (Long. 2—2½ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali, 22 Jun.—5 Aug., minus frequens; scilicet in paroecia Undersåker: ad Ristansfors, Åreskutan (ad radicem), Mullfjellet & Skalstugan, inventa.

♀. Summa prioris similitudo; sed fronte forte nonnihil magis exserta, capite rufo-, l. flavo-albo, antennis basi (artic. 1 & 2) vittaque frontali intensius & magis determinate fulvis, alis basi subpallescentibus, abdomine subovato, ut & femoribus anticis a basi & fere ad apicem superne striga nigricante notatis, certe differt. Anus acutus, abdomine concolor, nec niger. — Species propria certe est.

159. *A. calyptrata:* canescens, capite rufescenti albo; antennarum articulo ultimo tarsisque nigris; antennis basi, vitta frontali, palpis, abdomine pedibusque flavo-

ferrugineis; scutello margine apicali testaceo; *femina:* abdomine ovato-oblongo. ♀. (Long. 2½ lin.).

Hab. in Suecia meridionali & media rarissime; duo tantum individua lustravi, unum in Scaniæ silva Räften prope Lund a D. *Dahlbom* 30 Aug. detectum, & alterum in Ostrogothia ad Wadstena 8 Sept. a me deprehensum.

♀. Simillima priori, a qua vero antennarum basi vittaque frontali magis flavo-ferrugineis, nec pure fulvis, scutello cinereo, margine toto apicali testaceo, nec scutello canescente immaculato, nervo transverso ordinario levissime flexo, nec adcurate recto, ut & femoribus anticis totis flavo-ferrugineis (in altero exemplo umbra fusca superne observatur), dignoscitur. Nec cohabitant.

160. *A. scapularis:* cinerea, capite flavo-albo; antennarum articulo ultimo, vertice tarsisque nigris; antennis basi, palpis pedibusque flavis; humeris pleurarumque macula utrinque rufescentibus; abdomine obscuro, basi pallido; femoribus annulo apicali fusco; *femina:* abdomine oblongo, acuto. ♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarissime; ad radicem alpis Mullfjellet 27 Jun. 1810 semel lecta.

♀. Parva, angusta. Frons paullo prominens. Oculi non magni. Vitta frontalis latiuscula, antice late flava, a medio ad occiput nigra, macula ocellorum cinerea. Antennæ sat validæ, nigro-fuscæ, basi flavæ, seta nuda. Epistoma flavo-album, apice subreflexum. Palpi filiformes, pallide flavi, pilosi. Thorax & scutellum læte cinerea, haud lineata. Humeri & utrinque macula pectoris, rufescentia. Abdomen elongatum, acuminatum, subdepressum, subnitens, pubescens, nigricans, segmento 1:mo sordide flavo, 4:to testaceo, vagina exserta brevi, atra, nitida. Alæ subhyalinæ, basi leviter pallescentes. Nervi ut in *Anth. bicolore* (157) directi. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ

parvæ, ciliatæ, albidæ. Halteres pallidi. Pedes mediocres, parce setulosi, cum coxis flavi, femoribus anticis superne vitta, posterioribusque annulo apicali latiusculo, brunneis. Tarsi obscuri.

161. *A. pubipes:* cinerea, capite albicante; antennarum articulo ultimo, thoracis lineis 2 tarsisque nigris; palpis pallide flavis; antennis basi, abdomine, pedibusque hirsutis, rufo-testaceis; *femina:* vitta frontali lata, ferruginea. ♀. (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Norwegia ad Alstahaug prope Levanger i paroecia Skogn, ubi exemplum descriptum 8 Jul. 1810 inveni.

♀. Per magnitudinem paullo majorem, palpos albidos, thoracem distictius lineatum, pedes densius hirtos & tarsos validiusculos a proxime præcedentibus præcipue distingvitur. Frons porrecta. Oculi subrotundi, per orbitas tenues, cinereas & vittam frontalem latam, luteam, late disjuncti. Macula verticis trigona, cinerea. Antennæ mediocres, nigræ, apice rotundatæ, articulis 1 & 2 rufescentibus, seta subtiliter puberula. Epistoma subdeclivum, rufo-flavum, albo-micans, infra oculos descendens, apice brevissime flexum. Palpi subcylindrici, flavo-albidi, nigro-pilosi. Setæ mystacinæ plures. Thorax cinereus, antice lineis 2 mediis subapproximatis tenuibus & utrinque maculis 2 lateralibus, vittas indicantibus, brunneis. Scutellum cinereum. Abdomen oblongum, ellipticum, subdepressum, opacum, rufo-testaceum, pube tenui depressa, nigra parce vestitum, & incisuris ad latera setulis nigris adspersis. Alæ longiusculæ, cinereæ, basi dilutiores. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli; transversus ordinarius perpendicularis, rectus, paullo ante medium areæ insertus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, longe ciliatæ, albæ. Halteres pallidi. Pedes validiusculi, cum coxis rufo-ferruginei, femoribus fusco-hirtis, tibiis nigro-spinosis, tarsis præsertim versus apicem obscuris, pulvillis mediocribus albis.

**. Palpi l. toti l. apice nigricantes.

162. *A. nigritarsis:* cæsia, capite albo-corneo; antennarum articulo ultimo, palporum apice, tarsisque nigris; antennis palpisque basi, abdomine pedibusque flavo-ferrugineis; *mas:* oculis cohærentibus, triangulo supra antennas testaceo, abdomine lineari, subdepresso, rufo, apice interdum obscuro, femoribus anticis nigricantibus; *femina:* oculis modice remotis, vitta frontali flava, abdomine oblongo, rufo, immaculato, femoribus anticis superne vitta nigra. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 696. 159. ♂♀. Sub *Musca bicolore* Fall. Muscid. 91. 128 etiam latet.

Hab. in foliis Salicis, Betulæ &c., per Scandinaviam, 20 Jun.—15 Aug., mihi ubique obvia, in copula etiam aliquoties deprehensa; scilicet in Scania, Ostro- & Westrogothia, passim; in regionibus Sueciæ borealibus frequentius occurrit, & in Jemtlandia tota a Faxelfven, Ristansfors, Åreskutan & Mullfjellet usque ad Skalstugan, tota æstate vulgaris; e Salstugan jugum alpinum transscendit & latere Norwegico ad Kongstuen & Suul, in ipso jugo sitos, plura individua lecta; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina, & Tornensi ipso alpium jugo, parce a me lecta; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock ♀ a D. *Wahlberg* deprehensa; e Dania sub nomine »*Anth. fulgens* Meig.« ♀ missa. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. *Anth. bicolori* (157), & *strigipedi* (158) simillima, sed ab illa vitta frontali etiam in ♂ fulva l. flava, nec nigra & oculis in ♂ paullo magis cohærentibus (licet non arctissime); & ab hac, cui adhuc propior, uti quoque ab *A. bicolore* palpis apice plus minus late, interdum fere totis, nigris, mox dignota. An-

tennæ præsertim in ♀ latiusculæ, sed modice longæ. Oculi in viva rufi. *Mas:* abdomine angusto, subdepresso, rufo, opaco, apice interdum fusco-maculato; incisuris in bene conservatis exemplis leviter albo-micantibus. Pulvilli mediocres. *Femina:* abdomine ovato-oblongo, rufo, immaculato, sæpissime nitido. Pulvilli parvi.

Var. b. ♀. similis feminæ var. a; sed abdomen testaceum, opacum, linea dorsali obsoleta, fusca. Femora antica interdum immaculata. Pupæ cylindricæ, nudæ brunneæ, ad Lund Scaniæ captæ, Aug. exclusæ.

Var. c. ♂. similis omnino mari var. a; sed abdomen obscurum, incisuris albidis. E Dania sub nomine: "*Anth. nigritarsis*" a D. *Staeger* communicata.

Obs. Anth. fulgentem Meig. Dipt. 5. 183. 172, cujus mas a Cl. Auctore "triangulo supra antennas nigro, albo-micante" (in nostra flavo), & "scutello ferrugineo" (in nostra cinereo) describitur, ad nostram *A. nigritarsem* ut synonymon referre non potui.

163. *A. stupida:* cinerea, capite albicante; antennis totis, palporum apice tarsisque nigris; macula frontali fulva; abdomine rufo-testaceo; palporum basi pedibusque flavis, femoribus anticis superne, posterioribusque macula apicali, fuscis. ♀. (Long. circiter 2 lin.).

Hab. in Suecia præsertim boreali, 22 Jun.—30 Aug., minus frequens; scilicet in silva Räften prope Lund Scaniæ semel; in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan, passim.

♀. Similis priori, sed plerumque paullo minor, & antennis totis nigris, femoribusque posterioribus superne ad apicem macula fusca, in primis distingvitur. Caput non rufum, sed albo-micans. Vitta frontalis antice fulva, medio nigra, postice macula cinerea notata. Palpi apice plus minus late nigri. Thorax

cinereus, nec cæsius. Abdomen oblongo-ovatum, acutum, subopacum. Femora antica supra leviter fusca.

Obs. Ad Neuenkirchen Germaniæ jam 20 Maj. 1842 Cl. *Dahlbom* exemplum femineum legit, quod tantummodo palpis totis nigris, & femoribus posterioribus immaculatis a specie descripta differt.

164. *A. lurida:* obscure cinerea, capite nigro, argenteo-micante; antennis, palporum apice tarsisque nigris; abdomine livido (♂), aut fulvo (♀); incisuris obscuris; pedibus flavis, femoribus anticis fuscis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso; *femina:* oculis remotis, abdomine ovato, nitido. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Jemtlandia boreali rarius; ad Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan 22 Jun.—21 Jul. 1840 tria individua mascula & unicum femineum deprehendi.

♂. Colore obscuriore & abdomine livido, incisuris nigricantibus ab affinibus dignoscitur. Frons subprominens, triangulo supra antennas nigro. Antennæ validæ, nigræ, basi piceæ, seta nuda. Abdomen lineare, depressum, pilosum, opacum, fusco-flavum l. lividum, incisuris tenuiter nigris subtus albo-marginatis, in individuo obscuriore abdomine toto fusco, incisuris albis. Anus crassior. Alæ ut in priori. Squamæ mediocres, longe ciliatæ, albæ. Halteres pallidi. Pedes mediocres, luteo-flavi, pilosi, femoribus anticis obscuris. Tarsi atri. Pulvilli mediocres, albi.

♀. Similis mari, sed differt: oculis minoribus, (in mortua) rufis, sat late remotis; fronte nigra, macula supra antennas cordata fulva; thorace cinereo; abdomine ovato-oblongo, acuto, fulvo, nitido, subnudo, incisuris distincte atris; alis minus fuscanis; femoribus anticis levissime fuscis; pulvillis parvis.

165. *A. notabilis:* grisea, capite rufescente; antennis, vertice, palporum apice tarsisque nigris; macula frontali fulva; humeris, scutello abdomineque testaceis, inci-

suris obscuris; pedibus flavis; *femina:* abdomine oblongo-ovato, acuto. ♀. (Long. fere 3 lin.).

Hab. in Dania, D. *Staeger*, qui specimen unicum pro descriptione benigne communicavit; in Jemtlandia boreali ad radicem alpis Mullfjellet 27 Jul. 1840 exemplum quoque unicum ipse inveni, & denique individuum tertium e messe Lapponiæ Lulensis 1843 a D. *Andersson* obtinui.

♀. Similis *Anth. Fungorum* (121), sed seta antennarum nuda seu subtilissime tantum puberula &c. certe diversa. Oculi mediocres. Frons subprominens, vitta lata, nigra, antice macula cordata fulva & postice alia minore trigona cinerea. Antennæ validæ, nigræ, basi piceæ. Epistoma subperpendiculare, rufescens, albo-micans. Palpi testacei, a medio ad apicem atri, pilosi. Thorax griseus, opacus, humeris & pectore antice testaceis. Scutellum testaceum. Abdomen testaceum, pube tenui, depressa, nigra adspersum. Incisuræ nigro-setosæ, 2 mediæ tenuiter obscuræ. Apex ani summus ater. Alæ latiusculæ, præsertim basi flavidæ. Nervi: long. 3 & 4 versus apicem subdivergentes; transv. ord. subperpendicularis, rectus, mox ante medium areæ insertus. Costa parum ciliata; spinula nulla. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ. Halteres pallidi. Pedes mediocres, cum coxis flavo-testacei, parce nigro-setosi, tarsis fuscis, in primis versus apicem obscuris. Pulvilli parvi, albi.

166. *A. limbatella:* cana (♂), aut testacea (♀); thoracis disco cinereo; capite rufescente albo-micante; antennarum articulo ultimo, palporum summo apice tarsisque nigricantibus; antennis basi, scutello, abdomine pedibusque flavis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso, apice fusco; *femina:* oculis modice remotis, abdomine oblongo-ovato, acuto. ♂♀. (Long. 2 fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 697. 161. ♂♀.

Hab. in Suecia media & boreali atque Lapponiæ regione sylvatica, libenter in paludosis, 22 Jun.—30 Jul., passim; scilicet in Ölandia, D. *Wahlberg;* in Gottlandia rarius; in Jemtlandia ad Åreskutan & Stalltjernstugan parce; in Lapponia Umensi ad Stensele & Wilhelmina; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, ♀, D. *Wahlberg;* in Norwegia ad Alstahaug atque in inferalpinis Nordlandiæ ut ad Evenäs & Hacksten raro.

♂♀. Affinis *Anth. flavo-scutellatæ* (149) & *teneræ* (150); sed fronte nonnihil magis prominente &c., diversa. Ab *Anth. nigritarsi* (162), cui quoque valde similis, antennis paullo longioribus, scutello in utroque sexu thoracisque limbo in ♀ testaceis, differt. Caput ut in *A. nigritarsi*, oculi in ♂ arctius cohærentes, & palpi in ♂ & ♀ apice tantum nigricantes. Macula supra antennas in ♂ & ♀ fulva. Femora antica in ♂ sæpe fusca, posteriora annulo apicali in utroque sexu interdum obsoleto brunneo. Reliqua ut in diagnosi aut in *A. nigritarsi*. Variat præterea secundum ætatem plus minus pallescens, transitum ad seqventes efficiens. *Anth. Winthemi* Meig. forte huic Tribui subjecta sub n:o 177 quærenda.

Tribus 2:da. Thorax pallidus, interdum vitta dorsali obscura. Seta antennarum nudiuscula. Costa alarum inermis. Oculi nudi.

a). Squamæ sub alis mediocres, valvula superiore inferiorem non tegente. Majores.

†. Nervus long. 1:mus apice setulosus. Conica.

167. *A. inanis:* conica, flava, capite argenteo, micante; thorace antice vitta abbreviata obscura; antennis, palpis pedibusque pallidis; alarum nervis: longitudinali 1:mo apice setuloso, transverso ordinario rectiusculo;

mas: oculis subcohærentibus; *femina:* oculis anguste distantibus. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 189. 186. ♂♀ & Dipt. 7. 328. 96. — *Musca* Fall. Muscid. 91. 127. ♂♀. typica. *Pegomyia* Macq. Buff. 2. 353. 16. ♂♀.

Hab. in fruticibus & locis umbrosis, per Sueciam meridionalem & mediam, 15 Jun. — tota æstate — 10 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Hagalund, Gusum, &c., non rara; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Gottlandia ad Ejsta, Ruthe &c.; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* sed supra hanc provinciam in Suecia non nisi rarissime obvia; sub nomine *Anth. insignita* olim vendita; in Dania quoque passim frequens, D. *Staeger.* Mas arroganter sedit pedibus posticis longis; cito avolat, at mox ad eundem locum revertit.

♂♀. Per corpus angustatum & conicum (præcipue in ♂), antennas (in ♀) totas pallide flavas, pedes posteriores elongatos, ut & nervum longit. 1:mum versus apicem setulis 6—8 brevibus in utroque sexu, armatum, ab affinibus facile dignoscenda. Caput argenteum. Facies convexa, fronte non prominente, setosa. Oculi magni, brunnei, æneo micantes; in ♂ per orbitas albas anguste remoti, in ♀ per orbitas albas & vittam frontalem angustatam nigram non late (paullo tamen latius quam in ♂) sejuncti. Punctum supra antennas album. Antennæ mediocres seu breviusculæ, in ♂ totæ pallide flavæ, in ♀ ferrugineæ versus apicem fuscescentes; seta tenuissime puberula. Epistoma perpendiculare apice non reflexum. Palpi mediocres, flavi. Thorax ferrugineo-flavus, antice leviter albo-micans, vitta dorsali e capite ad medium thoracis nigra, e vittis tribus confluentibus constante. Abdomen ad incisuras (inprimis ad latera) nigro-setosum; in ♂ elongato-conicum, flavum, subpellucidum,

ano parvo, haud inflexo, appendiculis 2 brevibus subtus suffulto; in ♀ oblongum, flavo-ferrugineum. Alæ cinereo-subpallescentes. Nervi: longitudinales 3 & 4 subparalleli, transversus ord. leviter subflexus, paullo ante medium areæ insertus. Spinula costæ parva. Sqvamæ flavido-albidæ, breviter ciliatæ. Halteres pallidi. Pedes flavi, parce setosi, tibiarum calcaribus apicalibus distinctioribus. Tarsi subfusci. Pulvilli albi, in ♂ elongati, in ♀ parvi.

††. Nervus long. 1:mus inermis. Ovatæ.

168. *A. varians:* ovata, flava aut ferruginea; antennarum articulo ultimo tarsisque plerumque obscuris; alarum nervo transverso ordinario recto; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine oblongo; *femina:* oculis sat late distantibus, abdomine ovato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Var. a. ♂♀. tota flava l. ferruginea, fronte thoracisque disco testaceis; antennarum articulo ultimo tarsisque nigricantibus.

Zett. Ins. Lapp. 698. 168. var. a. ♀.

Var. b. ♀. flava, thoracis dorso testaceo; antennarum articulo ultimo, vitta frontali lata, tarsisque, nigris; abdominis apice subinfuscato.

Zett. l. c. var. b. ♀.

Var. c. ♀.; similis var. b., abdomine toto nigricante, basi tantum flavo.

Zett. l. c. var. c. ♀.

Hab. in silvis Sueciæ borealis & Lapponiæ, 27 Jun.—1 Sept., passim minus frequens; scilicet var. a. in Jemtlandia ad Mullfjellet (♂), in Lapponia Umensi ad Stensele, ut & in Norwegia ad Evenäs Nordlandiæ; var. b. in Jemtlandia ad Hofverberget, & in Bottnia boreali ad Haparanda prope Torneå, raro; var. c. in Ostrogothia ad

Lärketorp, & in Lapponiæ Umensis paroecia Frederica parcissime, ipse; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg*. (Mas varietatis a. ad Hamburgum lectus mihi a D. *Dahlbom* quoque communicatus).

♂♀. Robusta. Caput ut in priori, sed antennæ paullo longiores, seta puberula. Oculi in ♂ arcte cohærentes, in ♀ per orbitas & vittam frontalem latam late sejuncti. Abdomen maris oblongum, subconvexum, ano subtus appendiculis suffulto; feminæ ovatum. Thorax immaculatus certo situ lineis albo-micantibus. Alarum nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leviter divergentes; transversus ord. subperpendicularis, rectus; omnes nudi, inermes, flavedine fusca interdum leviter cincti; spinula costæ minuta Pedes mediocres. Pulvilli in ♂ mediocres, in ♀ parvi. Reliqua ut in præcedente. Variat magnitudine, variat etiam colore ut in diagnosibus indicatum.

169. *A. flaveola:* ovata, flava aut ferruginea; antennarum articulo ultimo tarsisque obscuris; alarum nervo transverso ordinario paullo curvato; *mas* oculis arcte cohærentibus, abdomine angustato, subdepresso; *femina:* oculis late distantibus, abdomine ovato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 202. 211. *Musca* Fall. Muscid. 91. 129. ♂♀. typica (exclus. syn. Fabr., teste *Meigen).*

Hab. in fruticibus, præsertim in Alnetis mihi obvia, per Sueciam meridionalem & mediam, 10 Jun.—15 Sept., ♂ rarissime, ♀ passim; scilicet in Scania ad Abusa, Esperöd, &c.; in Ostrogothia ad Wadstena, Gusum &c.; in Ölandia ad Borgholm & Ottenby (in utroque sexu); in Gottlandia ad Sanda & Wamlingbo raro; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Uplandia ad Holmiam, testante D. *Wahlberg;* sed longius versus septentrionem non nisi rarissime occurrit, & varietas obscura in Lapponia Lu-

lensi ad Qvickjock a D. *Andersson* capta. (E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. Simillima priori, a qva tantummodo differt: nervo transverso ordinario paullo flexo, nec recto. Abdomen maris quoque nonnihil angustius & magis depressum. Thorax interdum fusco-testaceus, & abdomen aliquando macula hinc inde indeterminata, fusca. Varietates vero vitta frontali nigra numquam observavi. De cetero ut in præcedente.

Var. b. ♀. simillima var. a., sed thorax fusco-testaceus & abdominis incisuræ tenuissime obscuræ. Sub nomine "*A. stercorea*" e Gusum Ostrogothiæ a D. *Wahlberg* communicata.

Obs. Ab *Anth. pallida* (123), cui etiam valde similis, seta antennarum subnuda, nec plumata, hæc species aperte differt. — *Musca flaveola* Fabr. est *Dryomyza vetula* Fall., teste Cel. *Meigen* l. c.

170. *A. diaphana:* ovata, flava aut ferruginea; antennis subtestaceis; pedibus dilutius flavis, tarsis obscuris; alarum nervo transverso ordinario distincte inflexo; *mas:* oculis arcte cohærentibus, antennis testaceis, abdomine ovali, subdepresso, piloso & setoso; *femina:* oculis late distantibus, antennarum articulo ultimo obscure brunneo, abdomine ovato. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Wied. Zool. Mag. 1. p. 81. 31. Meig. Dipt. 5. 189. 181. ♂♀. & 7. 328. 95. *Musca* Fall. Muscid. 92. 130. ♂♀. *Pegomyia* Macq. Buff. 2. 353. 15. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, per hortos & prata Succiæ meridionalis & mediæ, 2 Jul.—10 Sept. mihi obvia, passim; in copula juncta sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Fogelsång, Räften, utrinque Esperöd &c., non rara; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia in Krogarängen prope Wadstena, ad Gusum & aliis locis; in Gottlandia & ad Holmiam, teste D. *Wahlberg.*

♂♀. Simillima iterum duabus proxime antecedentibus, sed forma abdominis in ♂, & nervo transverso ordin. in litteram S flexo in utroque sexu, ut videtur distincta. Caput totum testaceum. Antennæ elongatæ, in ♂ testaceæ, in ♀ articulo ultimo obscuro; seta tenuissime & vix visibiliter puberula. Reliqua ut in *A. flaveola*. Varietates quasdam obscuriores non vidi.

b). Squamæ sub alis parvæ, valvula superiore inferiorem tegente. Nervus transv. ord. rectus. Mediæ. Oblongæ.

171. *A. tunicata:* nigro-cinerea, capite, thoracis dorso, scutello pedibusque ferrugineis; antennis, palpis tarsisque nigris; alis cinereis, basi squamisque sordide flavidis, nervo transverso ordinario subrecto; *femina:* oculis late remotis. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in alpibus Dalecarlicis & Lapponia Lulensi ad Qvickjock, mihi in 2 exemplis pro descriptione a D. Detectore *Boheman* amice communicata.

♀. Species pulchra & distincta. Setosa, opaca. Caput rufescens. Frons prominens. Oculi non magni, per orbitas grisescentes & vittam frontalem latam fulvam, postice macula ocellorum trigona, grisea notatam, sat late sejuncti. Antennæ latæ, modice longæ, totæ atræ, seta omnino nuda. Epistoma subperpendiculare, infra oculos descendens, apice paullo reflexum. Palpi elongati, subcylindrici, atri. Proboscis sat longa, crassiuscula, pendula, nigra. Thorax nigro-cinereus, dorso toto rufo-ferrugineus, humeris levissime stramineo-micantibus & macula ante scutellari fusca. Scutellum rufo-ferrugineum. Abdomen oblongo-ovatum, acuminatum, obscure cinereum, ad incisuras setulosum. Alæ cinereo-hyalinæ, basi & costa sordide flavescentibus. Nervi: longit. 3 & 4 versus apicem paullo divergentes; transversus ord. subperpendicularis, leviter flexus,

paullo ante medium areæ insertus. Costa a basi ad medium subciliata; spinula adest. Squamæ parvæ, ciliatæ, fusco-flavæ. Halteres flavidi. Pedes mediocres, setulosi, ferruginei, postici paullo longiores. Coxæ omnes cinereæ. Femora antica superne vitta nigricante, ad apicem non extensa. Tarsi atri. Pulvilli parvi, albi.

172. *A. vittigera:* testacea; antennarum articulo ultimo, thoracis vitta dorsali angusta, continua, abdominis incisuris tenuiter, tarsisque, nigris; palpis pedibusque flavis; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso, apice fusco, femoribus annulo apicali brunnescente; *femina:* oculis modice remotis, abdomine oblongo, acuto. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 697. 164. ♀.

Hab. in foliis fruticum per hortos, prata & pascua Scandinaviæ, 27 Jun.—15 Sept., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Räften, Tranås, Esperöd &c., non rara; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c., frequens; in Westrogothia, Illustr. D. *Fåhræus*; in Ölandia parce; in Gottlandia raro; in Nericia ad Kärr; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia ad Faxelfven, Mullfjellet &c., haud parce; in Bottnia boreali ad Storsand in paroecia ÖfverLuleå, D. *Wahlberg*; in Lapponiis: Umensi ad Åsele, Lulensi ad Qvickjock *(Boheman)*, & Tornensi ad Kihlangi; in Norwegia a Thynäs & Garnæs Verdaliæ usque ad Alten & Kautokeino Finmarkiæ passim; e Dania a D. *Staeger* communicata. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa).

♂♀. Statura corporis & structura partium ut in priori, sed magnitudine minore & pictura alia abunde dignota. Rufo-testacea, subnitida. Frons leviter prominens. Oculi sat magni, in ♂

arcte cohærentes, triangulo antico ferrugineo, puncto verticis nigro; in ♀ per orbitas tenues albas & vittam frontalem latiusculam, antice fulvam, in medio & postice nigram, puncto ocellorum cinereo, modice disjuncti. Antennæ longiusculæ, brunneæ, basi flavo-testaceæ, seta tenuissime puberula. Epistoma perpendiculare, infra oculos nonnihil descendens, apice haud reflexum; albo-micans. Palpi graciles, extrorsum clavati, pilosi; toti pallide flavi. Thorax ferrugineus, vitta dorsali a capite ad scutellum ducta, angustata, simplici, nigricante; humeris pallido-micantibus. Scutellum concolor. Abdomen: in ♂ lineare, angustum, depressum, pilosum, testaceum, opacum, incisuris & postice fuscum, ano crassiore; in ♀ oblongo-lanceolatum, ferrugineum, nitidum, ad latera pilosum, incisuris nigris. Alæ omnino ut in priori, sed nervus trarsv. ord. magis rectus & costa minus ciliata; spinula vix ulla. Squamæ parvæ, ciliatæ, albidæ. Halteres pallidi. Pedes mediocres, parce setulosi, toti flavi, tarsis nigris. Femora ad apicem superne macula fusca in ♂ semper, in ♀ interdum & obsolete, prædita. Pulvilli albi, in ♂ mediocres, in ♀ parvi.

173. *A. gilva:* tota flava; antennarum articulo ultimo tarsisque nigricantibus; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso; *femina:* oculis modice remotis, abdomine oblongo, apice acuto. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Anthom. vittigera var. b. ♀. Zett. Ins. Lapp. 697. 164.

Hab. in pratis Scandinaviæ mediæ & borealis, 27 Jun.—20 Jul., passim; in copula aliqvoties etiam inventa; scilicet in Gottlandia præsertim in pratis graminosis juxta littus maris ex. gr. ad Nähr & Östergarn, sat frequens; in Jemtlandia ad Mulifjellet rarius; in Lapponia Tornensi, D. *Deutsch;* in Norwegia ad Thynæs & Levanger, parce; e Dania sub nomine: »*Pegomyia* (Anthomyia) *ephippium* var. c.» a D. *Staeger* ut frequens incola communicata.

♂♀. Priori ut ovum ovo simillima, nec nisi colore differt. Etenim est tota pallida, antennarum articulo ultimo & tarsis tantummodo obscuris. Sed hæc nota constans videtur cum in utroque sexu, in copula juncto capto, obtinet. Vix igitur specimina præcedentis juvenilia. Vestigium vittæ thoracis in lineola dorsali abbreviata dilute brunnea obsoletissima, interdum observatur. Vertex etiam feminæ aliquando fuscescit. Ab *Anth. pallida* (123), & *diaphana* (170), quibus etiam colore valde similis, differt; nempe: ab illa antennarum seta nuda, nec plumata, & oculis nudis, nec hirtis, ab hac squamis sub alis parvis, valvula superiore inferiorem totam tegente, & nervo transv. ord. recto, & ab utraque magnitudine minore.

174. *A. ephippium:* testacea, antennarum articulo ultimo tarsisque nigricantibus; thoracis disco cinereo; femoribus apice superne macula fusca; *mas:* oculis arcte cohærentibus, abdomine lineari, depresso; *femina:* oculis sat late remotis, abdomine oblongo-ovato, acuto. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Hab. in Scandinavia mense Julio, passim; scilicet in Scania mihi raro obvia; in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena; in Norwegia ad Thynæs & Levanger, non parce; in Dania frequens, D. *Staeger.*

♂♀. Simillima iterum *Anth. vittigeræ* (172), etiam quood discrimen utriusque sexus, sed thoracis disco toto dilute cinereo (limbo laterali testaceo), nec vitta dorsali nigricante, ut & incisuris abdominis non obscuris, maculis tantum irregularibus, indeterminatis, fuscis, hinc inde in dorso abdominis interdum instructa, discrepat. Valde quoque similis *Anth. flavo-scutellatæ* (149) & *teneræ* (150), sed a priori thorace fere toto testaceo, disco tantum dorsali cinereo, & a posteriori palpis totis pallidis, differt. Variat thorace disco cinereo, antice lineolis 2 brunneis. Metathorax plerumque bilineatus.

Var. b. ♂. monstrosa: nervulo transverso inter nervos longitud. 3 & 4 locato præter transversum medium, juxta transversum ordinarium & ei fere opposito, & id in utraque ala. — E Dania a D. *Staeger* communicata.

Species omissæ.

Mihi quidem innotuit, sequentes *Anthomyzæ* species in Scandinavia deprehensas fuisse; sed cum eas lustrare & comparare ipsi non licuerit, neque iis certum locum designare possum, eas tam hoc modo publicare volui.

175. *A. æqualis:* "cana; thorace sublineato, abdomine oblongo, immaculato; tibiis testaceis, nervo transversali alarum nigro. 3 lin." ♀.

Meig. Dipt. 5. 99. 28. ♀. *Hylemyia* Meig. Dipt. 7. 316. 40.

Hab. in Dania mense Aug., D. *Staeger.*

♀. Caput albicans. Vitta frontalis lata, nigra, didyma. Palpi & antennæ nigra, seta plumata. Thorax obsoletissime fusco-bilineatus. Abdomen oblongo-ovatum. Alæ subhyalinæ. Nervi transversi fuscedine cincti; horum ordinarius subinflexus. Squamæ & halteres sordide albida. Spinula costalis nulla. Pedes nigri, tibiis testaceis. — Locus in serie systematica in vicinitate *Anth. conicæ* n:o 18 videtur.

176. *A. Hyoscyami:* "dilute cinerea, abdomine lineari depresso: linea dorsali interrupta nigra; palpis antennisque basi & pedibus rufis. 2 lin." (Long. 1½ lin. mensur. Suec.).

Meig. Dipt. 5. 182. 171. ♂♀. & Ejusdem 7. 327. 81. Wahlberg Act. Holm. 1838. 9. Panz. Fn. 108. t. 13. ♂. *Musca* Reaum. Ins. 3 Memoir. 1. T. 2. f. 13—17. *Pegomyia* Macq. Buff. 2. 350. 1. ♂♀.

Hab. in Uplandia ad Holmiam, D. Prof. *Wahlberg*, qui in parenchymate foliorum Hyoscyami nigri plures larvas paullo ante florescentiam herbæ invenit.

♂♀. Caput argenteum. Oculi nudi. Antennæ nigræ, articulis 1 & 2 ferrugineis, seta nuda. Palpi flavi, apice nigri. Thorax glaucus, obsolete fusco-trilineatus. Alæ hyalinæ, nervo transv. ord. perpendiculari, recto. Squamæ & halteres alba. Pedes ferruginei, tarsis nigris. *Mas:* oculis cohærentibus; abdomine lineari; *femina:* oculis per vittam frontalem latam, nigram, disjunctis; thorace non nigro-micante; abdomine elliptico. — Locus inter *Anth. conformem* (77), & *laticornem* (79), aptissimus videtur.

177. *A. Winthemi:* "thorace cæsio; abdomine ovato rufo: incisuris nigris; antennarum basi palpis pedibusque rufis. 3 lin." ♀.

Meig. Dipt. 5. 186. 179. ♀. & 7. 328. 88. *Pegomyia* Staeg. in litt.

Hab. in Dania mense Junio, teste D. *Staeger.*

♀. Caput albicans. Vitta frontalis lata, nigra. Antennæ latiusculæ, nigræ, basi ferrugineæ, seta nudiuscula. Oculi nudi. Palpi ferruginei. Thorax glaucus, subimmaculatus. Alæ pallide brunnescentes, basi flavidæ. Nervus transvers. ordin. perpendicularis rectus. Squamæ albidæ. Halteres flavi. Pedes ferruginei, tarsis nigris. Coxæ anticæ etiam ferrugineæ. — Locus forsitan juxta *Anth. rufipedem* (133), aut *nigritarsem* (162), sed certiorem commonstrare non valeo, dum conditio frontis prominentiæ & valvularum in squamis sub alis proportio a Cl. *Meigen* silentio omnino prætermittuntur.

Obs. E specimine typico *Chinochiræ atræ*, quam in Muscariarum Familia post *Cyrtoneuram* p. 1359 hujus operis descripsi, a Cel. Profess. *Boheman* nuperime mecum communicato, comparato cum nostra *Anthomyza pingvicula* p. 1759 n:o 142,

persvasissimum jam mihi est, has duas ut distinctas species delineatas formas ad unam eandemqvæ speciem esse referendas, ita nempe ut *Cinochira atra* tamquam genuina & matura in Familia Muscariarum sub nomine designato retinenda, & *Anthomyza pingvicula* e numero specierum exclusa solummodo tamquam varietas juvenilis ejusdem *Cinochiræ atræ* (ut etiam recte admonuit D. *Boheman)* sit habenda. Nec desunt formæ intermediæ abdomine pedibusque plus minus rufescentibus variantes, testante Eodem *Boheman.* In Smolandia hoc Dipteron rarum quoque captum fuerit, in Scania & Ostrogothia primum inventum. Individua 2 mascula, quæ nunc ante oculos habeo longitudinem tantum 1 lineæ habent. Squamæ sub alis albidæ, majusculæ, valvula superiore inferiorem vix ad dimidium tegente. Conferantur præterea quæ de hoc insecto l. l. c. c. afferuntur.

---

136. LEPTOPA Zett.

Corpus minoris magnitudinis, valde angustum, tenerum, setulosum. Antennæ deflexæ, breves, apice rotundatæ, seta dorsali, capillari, subnuda, biarticulata, articulo 1:mo brevissimo, 2:do ima tantum basi subincrassato. Oculi mediocres, oblongi, nudi, in utroque sexu distantes, ferruginei, unicolores. Frons parum prominens. Epistoma infra oculos haud descendens, sed setulæ mystacinæ plures ad os utrinque in carinula parva quasi ciliatim locatæ. Vibrissæ nullæ. Os subtus ad genas pilosulum. Palpi retracti, parvi, simplices. Thorax sutura media transversa. Abdomen angustum, 4-annnlatum, segmentis margine apicali præsertim ad latera parce setulosis. Alæ ut in *Aricia* & *Anthomyza*, at nervi: transversus ordinarius paullo propius ad marginem interiorem alæ retractus, & auxiliaris non ad medium costæ extensus, sed nonnihil ante nervum transversum medium cessans. Costa nuda. Squamæ minutæ, breviter ciliatæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres nudi. Pedes tenues, simplices, parce setulosi, mutici, toti pal-

lidi. Ungves & pulvilli in utroque sexu parvi. *Color* pallidus. *Motus* ut in *Anthomyza.* *Habitatio* in Betuletis per Lapponiam Norwegicam littoralem. *Differentia sexus; mas:* oculi modice, nec late, remoti, subappropinquantes; abdomen angustissimum, filiforme, ano rotundato, non inflexo, stylis 2 brevibus, obtusis, subtus ut in *Codylura* suffulto; *femina:* oculi late remoti; abdomen lanceolatum, acutum. *A. Cordyluris*, quibus habitu etiam similis, antennis brevioribus & oculis oblongis, differt.

1. *L. filiformis:* tota pallide flava, oculis ferrugineis; puncto ocellorum obscuro; abdominis vitta dorsali dilute fusca. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 698. 1. ♂♀. *Cordylura pallida* var. *β.* minor. ♂. Fall. Scatomyzides. 8. 4. certissime. *Cordyl. flaveola* Zett. Ins. Lapp. 735. 45. ♂♀. var. abdomine toto pallido, eadem omnino.

Hab. in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norwegicæ, passim; in silva betulina ad Björkvik & Eveuäs prope Ofodenfjord 14—18 Jul. 1821 quatuor paria in copula juncta detegi; in Dovre, D. *Rosenschöld;* in insulis lacus Randijaur Lapponiæ Lulensis, D. Prof. *Wahlberg;* e septentrione in Sueciam mitiorem rarissime descendit & ad Lärketorp Ostrogothiæ semel lecta.

♂♀. Augusta, subcylindrica, tota flava, antennarum seta, setis mystacinis & corporis atris. Caput rotundatum seu fere paullo longius quam latum, albido-corneum. Antennæ breves, concolores, seta basi testacea. Setulæ in genis seu sinu oris interiori paucæ. Abdominis vitta dorsalis indeterminata, dilute fusca, in ♂ præsertim perspicua, in utroque sexu interdum valde obsoleta. Alæ in ♂ paullo angustiores, quam in ♀; pallescentes. Nervi longitudinales 3 & 4 pone transversum ordinarium, licet per se leviter curvi, tamen invicem exacte paral-

leli; horum 3:tius in summo apice alæ excurrens. Nervus transv. ordinarius perpendicularis, subrectus seu leviter tantum inflexus, distincte ante medium areæ insertus, unde segmenta nervi longitudinalis 2 & 3 fere æque longa. Costa mutica; spinula nulla. Squamæ flavidæ. Halteres albidi, clava sat magna. Pedes mediocres, non validi; pallidi, tarsis testaceis. Setæ mystacinæ in angulo oris elevato parvo rotundato utrinque 6—8 nigræ, & in genis subelongatis etiam setæ 4—6 ejusdem coloris. — Feminam oviparam & ova oblonga cylindrica nuda alba vidi.

137. LISPA Latr.

Corpus mediæ raro minoris magnitudinis, oblongum, pubescens & setosum. Antennæ deflexæ, mediocres, articulo ultimo elongato, apice subobtuso, seta dorsali plumata. Oculi oblongi, exserti, nudi, in utroque sexu remoti, juxta antennas angulati. Frons parum prominens. Vibrissæ nullæ. Palpi exserti, basi tenues, apice dilatati, cohleariformes. Thorax sutura media transversa. Abdomen 4-annulatum. Alæ incumbentes, plerumque hyalinæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli, sæpissime recti; transversus ordinarius subobliquus, rectus, fere in medio l. mox ante medium areæ insertus. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ majusculæ, breviter ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem non tegente. Halteres mediocres, subtecti. Pedes mediocres, simplices, parce setulosi. Ungves & pulvilli in utroque sexu parvi. *Color* nigricans; opacus. *Motus* celer; lateraliter currit, interdum retrograda. *Habitatio* ad aqvas; ad littora & ripas maris, lacuum stagnorumque, lapidibus sæpe insidens. *Larvæ* aquaticæ? *Differentia sexus* in structura ani ægre investigatur, ea enim in utroque sexu externe fere similis; per comparationem vero *mares* abdomine paullo angustiore, ut & oculis nonnihil propioribus, &c., a *feminis* discrepantes inveniuntur. Typus generis: *Lispa tentaculata.*

1. *L. tentaculata:* nigricans, abdomine supra maculis subtrigonis albis; palpis flavis, albo-micantibus. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Mas: maculis abdominis albidioribus, distinctis, articulis tarsorum anticorum 2, 3 & 4 testaceis, primo 2:do breviore, apice spina terminato;

Fem.: maculis abdominis cinereis, obsoletioribus, tarsis anticis nigris, articulo primo 2:do longiore, mutico; in copula.

Latr. Genera 4. 347. Fall. Muscid. 93. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 226. 3. ♂♀. Tab. 45. f. 15. Macq. Buff. 2. 314. 2. Zett. Ins. Lapp. 699. 1. ♂♀. *Musca* Degeer Ins. 6. 86. 15.

Hab. ad aqvas per Scandinaviam, 10 Jun. — tota æstate — 20 Novembr., vulgaris, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, vulgaris; in Ölandia, passim; in Gottlandia ex. gr. ad Ejsta, Hoburg, Lummelund &c., frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Glösbo, D. *Dahlbom;* in Lapponiis: Lulensi, D. *Boheman*, in Umensi & Tornensi frequenter, ipse; in Nordlandiæ Norwegicæ inferalpinis maritimis ex. gr. ad Björkvik non raro; in Dania freq., D.D. *Staeger & Drewsen. Larvæ* in stagnis, etiam in stercore humano degunt, teste D. *Bouchè.* Status nymphæ 3 hebdomad. E pupa cylindrica, lævi, glabra & brunnea, imago 29 Jul. exclusa. (♀ e Glogav. a D. *Zeller* missa).

♂♀. *Musca domestica* nonnihil minor. Caput flavido-cinerascens. Frons & epistomatis apex leviter prominentia. Antennæ nigræ. Palpi extrorsum valde dilatati, rotundati, concavi. Thorax obscure cinerascens, obsolete fusco-lineatus. Abdomen ovatum, subdepressum, parce setulosum, brunneo-nigrum, dorso utrinque maculis 4 lateralibus, subtrigonis, & in medio seg-

mentorum 2 & 3 macula subrotundata, albidis. Segmentum basale fere totum albicans. Alæ hyalinæ. Halteres sordide testacei. *Mas:* frons lata, vitta didyma nigra; pedes nigri, antici: tarsorum articulo 1:mo modice longo, nigro, subtus breviter & rigide ciliato, apice spina elongata lutea articulo sequenti plerumque incumbenti & tunc ægre observanda; articulo 2:do duplo longiore, basi coarctato, toto flavido; 3 & 4 plerumque etiam testaceis; 5:to nigro; metatarsus posticus subtus basi etiam rigide ciliatus. *Femina:* frons latissima, vitta didyma; pedes toti nigri, antici: matatarso articulo sequente fere duplo longiore, inermi, basi tubtus breviter ciliato; de cetero ut in ♂.

Var. b. ♀. simillima var. a., tibiis testaceis. An juvenilis? In Scania ad Silfåkra 9 Jul. 1836 semel.

2. *L. uliginosa:* nigro-brunnea; abdomine cinerascente, maculis tribus paribus obscure fuscis; palpis tibiisque ferrugineis. ♂♀. (Long. 2½ fere 3 lin.).

Fall. Muscid. 93. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 226. 2 Macq. Buff. 2. 314. 3.

Hab. cum priore, 6 Jun.—10 Aug., passim, minus longe versus septentrionem procedens; scilicet in Scania ad litora marina prope Esperöd, Raflunda &c., sed etiam ad fluminum & lacuum interiorum ripas ut ad Kjellby prope Lund, Silfåkra &c., haud rara; in Ostrogothia ad Gusum; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Ölandia, D. *Boheman;* in Gottlandia ad paludem Hellvig parce; e Dania a D. *Staeger* communicata. (Circa Gryphiam jam mense Majo a Cel. *Dahlbom* collecta).

♂♀. Valde similis priori, a qua vero corpore nonnihil longiore & forte angustiore, colore obscuro in brunneum vergente, palpis vix ita dilatutis & concavis, abdomine in mare longiore,

subcylindrico (ano rotundato), in utroque sexu cinerascente, dorso macularum trigonarum obscure brunnearum, nitidarum pare in singulo segmentorum 1, 2, 3, segmento 4:to fere toto nigro-brunneo, ut & tibiis testaceis tarsisque maris simplicibus, certe diversa. Palpi flavi, albo-micantes. Halteres testacei.

3. *L. tenuipalpis:* "grisea, immaculata; epistomate sordide aureo; palpis clavatis, pallidis; pedibus nigro-cinerascentibus, geniculis tibiis tarsorumque basi testaceis. ♂. (Long. vix 2 lin.)" *Stenh.*

Stenh. in litteris 22 April. 1845.

Hab. in litore marino inter gramina humiliora insulæ non longe a continente remotæ, in paroecia Jonsberg Ostrogothiæ, ubi incunte Julio 1843 a D. *Chr. Stenhammar* detecta.

♂. Species mihi tantummodo per litteras Indagatoris cognita, quare descriptionem hujus ob palpos solito tenuiores anomalæ *Lispæ* mihi benigne communicatam transscriptam reddam. — "Magnitudo fere *L. tentaculatæ* l. paullo minor. Palporum "forma proxime accedit ad *L. uliginosam*, sed palpi in hac "nova specie multo minus dilatati quam in *L. uliginosa*, com-"presso-clavati. De cetero a *L. uliginosa* præter coloris di-"versitatem, differt statura breviore, minus angustata. — Ob-"longa, setosa. Vertex sordide aureus, vitta didyma punctoque "stemmatum nigris. Epistoma ut in reliqvis *Lispis* impressum, "apice emarginatum, sordide aureum, præsertim certo situ ni-"tens, setis mystacinis utrinque unica valida, duabusque bre-"vissimis. Oculi elliptici, margine antico angulato. Antennæ "lineares epistomate parum breviores, nigræ, apice articuli 2:di "pallide testaceo, seta fusca fere ad medium plumata. Palpi "pallidi, certo situ albo-micantes. Occiput superne grisescens, "inferne cum genis cinerascens. Thorax & scutellum flavo-"grisea. Metathorax, pectus & venter subtus a plumbeo cine-

"rascentia. Abdomen griseum, vestigio macularum obsoletissi-"marum fuscescentium in segmentis tertio & qvarto, ano ap-"pendiculato. Lamellæ anales 4 inæquales. Squamæ majusculæ "totæ albæ (nec margine flavescentes). Halteres pallide testacei. "Alæ albido-hyalinæ, nervis basi pallidis. Pedes simplices, ut "in *L. uliginosa* articulati. Coxæ & trochanteres obscure ci-"nerascentes, femoribus concolores. Metatarsus pedum omnium, "tarsique intermedii fere toti obsoletius, testacei".

4. *L. litorea:* nigro-brunnea; abdomine cinerascente, maculis lateralibus trigonis obscure fuscis; palpis pedibus nigris. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Muscid. 94. 3. ♀. typica. Meig. Dipt. 5. 227. 4.

Hab. in litore maris Bahusiæ ex. gr. ad Marstrand, D.D. *Gyllenhal* & *Wahlberg*; in Umbellatis 23 Jul. 1818 ad Esperöd Scaniæ specimen femineum ipse legi; e Dania a D. *Staeger* communicata.

♀. Similis *L. tentaculatæ*, sed thorace supra magis brunnescente, antennis nonnihil brevioribus, palpis atris, ut & abdominis maculis obscuris tantum ad latera perspicuis, facile dignoscitur. Frons brunnescens, vitta didyma, nigra. Antennæ atræ. Epistoma cinereum. Palpi ut in *tentaculata* constructi, sed atri, nec flavi. Thoracis lineolæ dorsales fuscæ tenues obsoletæ. Abdomen depressum. Alarum nervi obscuri. Halterum clava fusca. Pedes nigri, immaculati.

5. *hydromyzina:* cana, abdomine concolore; antennis pedibusque nigris; palpis flavis; alis albidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Fall. Muscid. 94. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 228. 7. ♂♀. Macq. Buff. 2. 315. 7.

Hab. in Sueciæ meridionalis litoribus marinis austra-

libus, 15 Jul. — 15 Aug.; passim, in copula etiam aliquoties capta; nempe in Scania australi ex. gr. in litore maris ad Limhamn, Esperöd, Raflunda &c.

♂♀. Prioribus minor, colore corporis alarumque albicante mox dignota. Caput album, immaculatum. Antennæ haud longæ, nigræ, seta breviuscula. Palpi flavi, leviter albo-micantes. Thorax canus immaculatus. Abdomen ovatum, subdepressum, canum, opacum, in ♂ ano utrinque puncto atro, in ♀ segmento qvarto basi utrinque macula transversa brunnea. Alæ albicantes. Halteres fusci. Pedes simplices, nigri, cinereo-micantes, tibiis ima basi testaceis.

6. *L. pygmæa:* obscure cinerea, subimmaculata; antennis pedibusque nigris, palpis, geniculis tibiisque testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Muscid. 94. 5. ♀. typica. Meig. Dipt. 5. 227. 5.

Hab. in Sueciæ meridionalis & mediæ litoribus marinis australibus, 8 Jul.—30 Aug., minus frequens; scilicet in Scania australi, ut ad Limhamn, Esperöd & Raflunda, passim; deinde tantum in insula Gottlandia juxta paludem Hellvig mihi raro obvia.

♂♀. Similis *L. uliginosæ*, sed multo minor, colore magis cinerascente, abdomine fere immaculato, ut & genubus ferrugineis, certe distincta. Cinerea. Antennæ modice longæ, nigræ. Vitta frontalis didyma, nigra. Palpi dilatati (sed non rotundati), flavi. Abdomen oblongum, subnitens, parum setosum; in ♀ immaculatum l. lineola tantum dorsali fusca obsoleta; in ♂ magis sybcylindricum, dorso maculis 4 subtrigonis, fuscis, obsoletis, ano rotundato. Alæ cinereo-hyalinæ. Squamæ albæ. Halteres testacei. Pedes cinerascenti nigri, genubus tibiisque ferrugineis.

Fam. 27. EPHYDRINÆ. *)

138. OCHTERA Latr.

Corpus mediæ magnitudinis, oblongum, subnudum, duriusculum. Antennnæ breves, incumbentes, articulo ultimo ovali, compresso, basi seta dorsali pectinata, radiis supernis 3—4. Caput nudum,

---

*) *Dispositionem synopticam Descriptionesque generum & specierum* hujus Familiæ, doctissime & admiranda exactitudine elaboratas atque 37 figuris partes corporis eximias repræsentantibus illustratas in Actis Reg. Acad. Scient. Holmiens. sub titulo: *Försök till Gruppering och Revision af de Svenska Ephydrinæ*, 1844 pag. 75—272, dedit Reverend. Doctor *Christ. Stenhammar*. Dispositionis autem ejusdem Conspectum heic tradere juvat:

Tribus I. Nervo alarum qvarto post transversum ordinarium versus costam incurvato.

1. Ochtera 1 Mantis Latr.

Tribus II. Nervo alarum qvarto tertioque post ordinarium transversum parallelis.

2. Ephydra Fall.

Sectio 1. Ephydra (sensu proprio).

A) epistomate sub fronte tubersculato-prominulo.

1 *aurata* Stenh. 2 *riparia* Fall. 3 *fumosa* Wahlb. 4 *palustris* Fall. 5 *flavipennis* Stenh. 6 *flavescens* Stenh. 7 *argyrostoma* Stenh. 8 *stagnalis* Fall. 9 *albidipennis* Stenh.

B) epistomate etuberculato, sub fronte convexo-declivi.

10 *nubilipennis* Stenh. 11 *fenestrata* Wahlb. 11—12 *cribrata* Stenh. 11—12 *caviceps* Stenh. 12 *quadrata* Fall. 12—13 *contaminata* Stenh.

Sectio 2. Epipela.

13 *notata* Stenh.

supra subdepressum. Frons præsertim posterius lata. Epistoma descendens, versus apicem sensim coarctatum, in medio subtuberculatum, infra tuberculum biplicatum. Peristomium

---

Sectio 3. *Parydra.*

14 *aqvila* Fall. 15 *litoralis* Meig. 16 *coarctata* Fall. 17 *furcata* Zett. 18 *affinis* Stenh. 19 *nasuta* Stenh.

3. Notiphila Fall.

A. Alarum nervo costali in apice tertii longitudinalis desinente.

Sectio 1. *Notiphila* (sensu proprio).

Subdiv. 1. Nigrofuscæ, apice abdominis in mare appendiculato. — *Dichoeta* Meig.

1 *caudata* Fall

Subdiv. 2. Grisescentes, ano maris simplici. — *Nothiphila* Macq.

a) latitudine faciei longitudinem æqvante.

2 *major* Bohem. 3 *stagnicola* Macq. 4 *dorsata* Stenh. 5 *cinerea* Fall.

b) longitudine faciei latitudinem excedente.

6 *maculata* Stenh. 7 *nigricornis* Wahlb. 8 *annulipes* Stenh. 9 *riparia* Meig. 10 *guttiventris* Stenh. 11 *tarsata* Wahlb.

B. Alarum nervo costali in quarti longitudinalis apice desinente

Sect. 2. *Telmatobia.*

12 *ænea* Fall. 13 *ænescens* Stenh. 14 *guttipennis* Boh.

Sect. 3. *Hydrellia.*

a) segmento costali 2:do tertium longitudine excedente.

15 *cæsia*. 16 *concolor*. 17 *nigripes* Zett. (*flavicornis* Stenh.) 18 *plumosa* Stenh. (non Fall. *N. mutata* Zett.). 19 *pilitarsis* Stenh. 20 *griseola* Fall. 21 *incana* Stenh. 22 *albifrons* Fall. 23 *geniculata* Wahlb.

mediocre, antice emarginatum. Oculi prominuli, supra frontem elevati. Palpi dilatati. Prælabrum *) apice lingulato prominens. Mystaces & vibrissæ omnino nullæ. Abdomen ovale,

b) segmento costali 2:do tertium subæquante.

24 *fusca* Stenh. 25 *grisea* Wahlb. (25—26 *Nympheæ* Stenh. in obs.) 26 *laticeps* Stenh. 27 *discolor* Stenh. 28 *fulviceps* Stenh. 29 *flavicornis* Stenh. (non Fall. *N. nigripes* Zett.). 30 *nigricans* Stenh. 31 *flavilabris* Stenh. 32 *argyrostoma* Zett. (32—33 *lapponica* Stenh in obs.).

Sect. 4. Philygria.

33 *abdominalis* Stenh. 34 *guttata* Fall. 35 *punctulata* Wahlb. 36 *trinervis* Stenh. 37 *picta* Fall. 38 *flavipes* Fall. 39 *femorata* Stenh. 40 *interstincta* Fall. 41 *punctato-nervosa* Fall. 42 *nigricauda* Stenh. 43 *vittipennis* Zett.

4. Psilopa Fall.

Sect. 1. Clasiopa.

a) abdomine oblongo.

1 *cinerella* Boh. 2 *glaucella* Sundew. 3 *obscurella* Fall. 4 *fuscella* Stenh. 5 *glabricula* Fall. (5—6 *pallidula* Stenh. in obs.).

b) abdomine ovato.

6 *nigrina* Meig. 7 *longula* Wahlb. (*plumosa* Fall.).

Sect. 2. Psilopa (sensu proprio).

a) abdomine ovato apice acutiusculo.

8 *nitidula* Fall. 9 *nigritella* Stenh. 10 *leucostoma* Meig.

b) abdomine oblongo-elliptico obtuso.

11 *madizans* Fall.

5. Discomyza Meig. (*Psilopa* Fall.)

1 *incurva* Fall. 2 *marginella* Zett.

*) ita a D. *Stenhammar* "protuberantia in stipite proboscidis, labium retractum cingens" vocatur.

depressum, 6-annulatum *). Nervi alarum: longitudinalis 4:tus in disco nonnihil arcuatim flexus mox pone apicem alæ excurrit; transversus medius (anterior Stenh.) apici auxiliaris oppositus; transversus ordinarius propius ad marginem retractus, obliquus. Pedes antici · coxis elongatis, femoribus maximis, subtus spinulosis. *Color* nigricans. *Motu:* ægre reptans, tarde volans. *Habitatio* in plantis aqvaticis, in quarum caulibus larvæ vivunt. *Discrimen sexus; mas:* abdomine paullo angustiore, ano obtuso, rotundato, segmento 6:to inflexo ovato convexo apice bifido, apertura ani basali foveolato-impressa medio carinato-tuberculata; *femina:* ano acutiusculo, segmento 6:to annulato ultra 5:tum extenso.

1. *O. Mantis:* olivaceo-nigricans, epistomate argenteo-micante, abdominis lateribus albo-maculatis. ♂♀. (Long. 2 lin. & ultra).

Latr. Gen. Ins. 4. 348. t. 15. f. 10. Meig. Dipt. 6. 78. 1. t. 48. f. 21. Macq. Buff. 2. 519. 1. t. 21. f. 7. Zett. Ins. Lapp. 715. 1. ♂♀. Stenhamm. Monogr. p. 166. 1. ♂♀. f. 1 caput, f. 2 ala. — *Musca* Degeer Ins. 6. 143. t. 8. f. 15. *Tephritis manicata* Fabr. Antl. 323. 36. *Ochtera manicata* Fall. Hydromyzides. 1823. 2. 1. ♂♀.

Hab. in plantis aqvaticis ad ripas lacuum & littora maris uti etiam ad margines fossarum, per Scandinaviam, Jul.—Sept., passim, in copula; scilicet in Scania minus freq.; in Smolandia ad Skärsjö; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c., non raro; in Gottlandia ad Gothem &c.; in Uplandia ad Holmiam; in Bahusia ad Marstrand; in Dalecarlia ad Rörshyttan haud parce, D. *Dahlbom;* in Bottnia occidentali ad Skelifteå, D. *Wahlberg;* in Lap-

*) omnes species hujus Familiæ abdomine 6-annulato gaudent, teste D. *Stenhammar.*

poniis: Umensi ad Lycksele (Jun.), Lulensi ad Quickjock, D. *Andersson*, Tornensi ad Juckasjervi; in Bottnia boreali ad Karungi juxta Torneå jam 27 Maj. in utroque sexu copiose lecta; in Dania rarius, D. *Staeger*.

♂♀. *Musca domestica* paullo minor, sed firma, fere tota glabricula, olivaceo- l. æneo-nigra. Antennæ & proboscis atræ, illæ epistomate saltem triplo breviores. Epistomatis pars inferior & prælabrum argentea. Palpi fusci albo-micantes. Caput cum oculis exsertis thorace fere latius. Oculi in viva ænei certo situ purpureo-micantes. Setula occipitis utrinque unica. Thorax supra olivaceus, opacus, microscopice & brevissime puberulus, dorso lineis 3 obscuris. Scutellum concolor, margine setulis 4 æquali spatio remotis. Pleuræ albo-maculatæ. Abdomen segmentis longitudine æqualibus; supra glabrum, nitidum, læve, ænescens, in singulo segmento macula laterali alba. Alæ incumbentes, cinereo-hyalinæ, ad costam interdum leviter subfumatæ, basi lobula oblonga. Squamæ minutæ, albæ. Halteres flavi. Pedes glabri, olivacei, extus albo-pruinosi; antici: femoribus valde incrassatis, subtus spinulosis, tibiis pro receptione femoris arcuatis, apiceque intus spina nigra armatis. Tarsi intermedii ferruginantes. — Variat junior pedibus piceis.

---

139. EPHYDRA Fall.

Corpus minoris magnitudinis, oblongum l. ovale, parce pilosum. Antennæ breves, deflexæ, articulo ultimo ovali compresso, basi seta dorsali aut superne sat dense pectinata, aut pubescente, aut tota nudiuscula. Caput supra planiusculum. Frons lata, latitudine subparallela, setis utrinque in orbitis oculorum 4—6, & in puncto stemmatum 2, obsita. Epistoma fornicatum, amplum, sæpe pubescens, disco læve aut sublæve. Peristomium magnum, circulare, integrum. Oculi parvi, altitudine verticis. Palpi dilatati, inclusi. Prælabrum æquilatum, plerumque parum prominulum, curvaturæ epistomatis arcte applicatum. Mystaces & vibrissæ nullæ aut hæ tantum spuriæ. Abdomen oblongo-

ovale, depressum. Nervi alarum: longitudinales 3 & 4 recti, paralleli aut versus apicem leviter divergentes, horum 4:tus paullo pone apicem alæ excurrens; transversus medius ant sæpius apici auxiliaris oppositus, aut mox pone (raro ante) apicem ejus ductus; transversus ordinarius ad marginem retractus, subobliquus. Squamæ valde minutæ. Pedes simplices. *Color* cinereus, grisescens, olivaceus, nigricans, ænescens. *Motu:* haud agilis; volatus brevis. *Habitatio* in foliis plantarum aquaticarum ad littora marina, ripas lacuum, fluminum, margines fossarum &c., plerumque gregaria. *Differentia sexus:* in *maris* ano rotundato, segmento 6:to inflexo, feminæ acutiusculo, fere semper invenienda; præterea in proportione segmentorum 5 & 6 varia in variis speciebus quærenda. Typi generis: *E. riparia, aqvila, stagnalis.*

Conspectus specierum:

Sect. 1. *Seta* antennarum latere supero radiata, aut distincte pubescens (in *E. aurata* n:o 2, breviter puberula). *Prælabrum* intra peristomium retractum, nec prominulum. *Epistoma* plerumque insigniter ampliatum & convexum.

1 *riparia* Fall. ♂♀. (*E. albula* Meig.?) 2 *aurata* Stenh. ♂♀. 3 *fumosa* Wahlb. ♂♀. 4 *palustris* Fall. ♂♀. 5 *notata* Stenh. ♂♀. 6 *albidipennis* Stenh. ♂♀.

Sect. 2. *Seta* antennarum aut latere supero brevissime puberula, aut tota nuda (*E. aurata:* seta breviter puberula in Sect. 1:ma sub n:o 2 quærenda). *Epistoma* plerumque modice ampliatum & sæpius tantum in medio longitudinaliter subcarinato-convexum.

A. alarum nervo longitudinali 2:do apice leviter arcuatim aut angulatim ad costam flexo. Prælabrum apice prominulum *).

*) Qvoniam prominentia prælabri in minutis speciebus ægre observatur, notam e nervi longitud. 2:di flexione desumtam ut-

7 *aqvila* Fall. ♂♀. 8 *coarctata* Fall. ♂♀. 9 *furcata* Zett. ♂♀. 10 *litoralis* Meig. ♂♀. 11 *affinis* Stenh. ♂♀. 12 *nasuta* Stenh. ♂♀.

B. alarum nervo longitudinali 2:do apice recto. Prælabrum occlusum. *Ephydra* (sensu proprio) *Stenhammar.*

13 *stagnalis* Fall. ♂♀. 14 *flavipennis* Stenh. ♂♀. 15 *flavescens* Stenh. ♂♀. 16 *argyrostoma* Stenh. (*E. stagnalis* Fall. ♀) ♂♀. 17 *nubilipennis* Stenh. (*E. stagnalis* var. b. Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 18 *fenestrata* Stenh. (*E. stagnalis* b. Fall. ♀) ♂♀. 19 *cribrata* Stenh. ♂♀. 20 *caviceps* Stenh. ♂♀. 21 *flavitarsis* Stenh. (*E. stagnalis* var. c. Zett. Ins. Lapp. ♂) ♂? 22 *contaminata* Stenh. ♂. 23 *quadrata* Fall. ♂♀. 24 *Stenhammari* Zett. (*E. quadrata* β. Stenh.) ♂♀. 25 *noctula* Meig. ♂.

Sect. 1. Seta antennarum latere supero radiata aut distincte pubescens (in *E. aurata*, 2, breviter puberula). Prælabrum intra peristomium retractum, nec prominulum. Epistoma plerumque insigniter ampliatum & convexum.

1. *E. riparia:* supra ænescenti olivacea, subtus cum pedibus cinerascens; antennis nigris, seta distincte pubescente; epistomate albido, pubescente, peristomio antice ciliato, ciliis rectis; fronte maculaque sub antennis viridi-

---

pote evidentiorem & examinationi faciliorem, primo loco attuli, libenter concedens notam ex parte oris electam dignioris haberi posse gradus. Notari interea meretur prælabri prominentiam flexioni nervi 2:di in hactenus observatis speciebus (si *Eph. auratam* n:o 2 & Extraneorum *E. leucostomam* excipias) plerumque correspondere.

bus, nitidis; abdomine virescente; alis cinereo-hyalinis, nervo longitudinali secundo apice rectiusculo; tibiarum tarsorumque basi testacea. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin. mens. Suec.).

Mas: abdominis segmentum qvintum qvarto fere duplo longius; sextum inflexum antecedente angustius, eique subtus applicatum, ad tertiam abdominis partem extensum.

Var. a. ♂♀. tibiis omnibus basi plus minus late, metatarsisque saltem posterioribus, testaceis.

Fall. Act. Holm. 1813. p. 246. Ejusdem Hydromyz. 1823. 3. 1. var. a. ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 715.var. b. ♂♀. (exclus. forte syn. Meig. *E. riparia*). — Stenh. Monogr. 169. 2. ♂♀. *E. albula* Meig. Dipt. 6. 115. 4? forte ♀.

Var. b. ♂♀. pedibus obscuris, geniculis summis testaceis.

Zett. l. c. var. a. ♂♀. — Stenh. l. c. var. b.

Hab. utraque varietas promiscure in foliis plantarum, terræ udæ sæpe insidens, ad litora marina (in regionibus interioribus hactenus non observata), per totam Scandinaviam a mense Aprili usque ad Novembr., passim copiose; in copula etiam deprehensa; scilicet in litoribus Ostrogothiæ, Ölandiæ, Scaniæ, Hallandiæ, Bahusiæ, vulgaris; in Norwegia a Schiervoe Norlandiæ usque ad Bossekop prope NordCap, frequens; in Daniæ litoribus etiam haud raro capta.

♂♀. Subopaca. Antennæ breves, longitudine vix tertiæ partis epistomatis, nigræ, seta paullo ultra medium manifeste pubescente, subplumata. Oculi latissime remoti, parvi, brunnei. Frons nitida, viridis, interdum obscura aut cyanescens. Macula intra antennas grisea, opaca. Sub hac observatur macula alia (protuberantia frontalis planiuscula Stenh.) parva, subquadrata, viridis, nitens, perparum elevata. Epistoma dilatatum, valde convexum, plerumque argenteum, interdum in utroque sexu flavidum, semper tenuiter nigro-pubescens. Prælabrum abscon-

ditum. In illæsis individuis series setarum nigrarum mox infra maculam viridem incipiens, ad utrumque latus arcuatim extenditur vibrissas mentiens. Ciliæ seu setæ peristomium antice ornantes insignes nigræ, haud perpendiculares, sed a lateribus versus epistomatis marginis medium leviter vergentes. Sæpe hæ ciliæ detritæ & tunc margo peristomii nudus; e qua ratione speciem cum aliis, ubi apertura oris subinermis, confundes, caveas. Proboscis magna, nigra cum palpis obscuris retracta, totam fere cavitatem oris implet. Thorax ænescens, vittis olivaceis; parce setosus. Scutellum concolor. Pleuræ glauco-olivaceæ. Sternum glaucum. Abdomen virescens, subnitidum, breviter pubescens, interdum incisuris summis obscuris. Segmentum ultimum (6:tum) in ♂ sat longe inflexum ventri applicatum, cinereum, apice testaceum. Segmentum idem in ♀ breve, simplex. Alæ longiusculæ, cinereo-hyalinæ, immaculatæ, inermes. Nervus longit. 2:dus apice rectiusculus. Nervi transversi: medius sive anterior apici auxiliaris præcise oppositus; ordinarius fere in medio l. mox ante medium areæ ultimæ insertus ita ut segmentum 2:dum & 3:tium nervi longit. qvarti fere æque longa evadant *). Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere quadruplo longius. Segmenta 3 & 4 subæque longa.

---

*) secundum D. *Stenhammar* l. c. p. 119 nervus long. 4:tus in tres partes apte dividi potest, quarum prima a basi alæ ad nervum transvers. medium *segmentum primum*, 2:da inter nervos transversos medium & ordinarium *segmentum secundum*, & 3:tia a nervo transv. ordinario ad apicem l. marginem alæ *segmentum tertium* vocatur. Inde termini: *segmentum secundum* longius l. brevius tertio, bene intelliguntur. Sic etiam (p. 121) nominantur segmenta costæ: *primum* a basi alæ ad exitum nervi auxiliaris in costa; *secundum* ab exitu nervi auxiliaris ad apicem nervi long. 2:di; *tertium* pars inter apices nervorum longitud. 2:di & 3:tii; & *qvartum* pars inter apices nervorum 3:tii & 4:ti, quod in Familia Ephydrin. plerumque apicem alæ cingit. Cfr. præterea tabula operi Stenhammari allegata, ut & nostra observatio ad Genus *Nephrocerum* p. 947.

Nervi long. 3 & 4 pone transversum ordinarium exacte paralleli; costalis terminatur pone apicem alæ, ibique cum longitudinalis 4:ti apice coit. Squamæ minutissimæ, albidæ, ciliatæ. Halteres albo-flavi. Pedes simplices, inermes, puberuli, nigrofusci, cinereo-micantes, tibiis basi plerumque, & metatarsis, raro tarsis totis, testaceis.

Obs. Sub nomine: "*Eph. curvicauda* Meig." marem hujus speciei var. a. e Dania quondam obtinui. — Varietas pedibus totis flavo-piceis nuper. exclusa, in litore maris ad Gothoburgum mens. Julio a D. *Sundewall* capta, in multis exemplis in collectione mea adest. Pupa hujus lanceolata, subteres, subnuda, brunnea, segmentis circiter 8, quorum 2 anticis vesiculosis, flavis, ultimo curvo, bicornuto; segmento vero postico (anali?) late excavato.

Obs. Individua plura utriusque sexus *Eph. ripariæ* sat affinia & imprimis ejus varietati b. similia, sed antennarum seta subnuda seu tantum brevissime puberula, peristomio minus distincte ciliato (saltem in ♂) ut & pedibus nigricantibus, geniculis tantum summis, tibiarumque basi lata, testaceis, nec simul tarsorum basi testacea, discrepantia, ex Nobil. D. *Leon Dufour* e S:t Sever Galliæ sub nomine: "*Eph. salina* (forte rectius *Salinæ*) Duf.", 1844 obtinui. — Sine dubio specimina detrita *Eph. Salinæ* in observatione sub specie sequente descriptæ.

2. *E. aurata:* supra æneseenti olivacea, nitens, subtus cum pedibus cinerascens; antennis nigris, seta breviter pubescente setulaque ad basin articuli tertii solitaria nuda; epistomate argenteo, puberula, peristomio subnudo; fronte maculaque sub antennis, viridibus, nitidis; abdomine virescente; alis cinereo-hyalinis, nervo longitudinali secundo summo apice ad costam curvato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4:to parum l. tantum paullulum longius; 6:tum inflexum marginem 4:ti apice attingens, tertiam abdominis partem fere excedens.

Stenh. Monogr. 167. 1. ♂♀. figg. 3—7 (instrumenta oris, antenna, abdomen & ala). — *Eph. riparia* var. b. Fall. Hydromyz. p. 4. ♂♀.

Hab. in foliis plantarum aquaticarum natantibus, Nymphеæ, Potamogetonis &c., super aquam currens, in lacubus, amnibus & interdum quoque fossis, per Scandinaviam, Jul.—Sept., passim; scilicet in Scania ad Esperöd (juxta litus maris situm) in copula aliquoties legi; in Ostrogothia passim, D. *Stenhammar*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Norwegiæ inferalpinis litoralibus ad Schiervoe Nordlandiæ etiam a me Jul. 1821 deprehensa, cum *Eph. riparia* hactenus confusa; uterque sexus sub nomine: »*Eph. hyalipenni* n. sp.« e Dania a D. *Staeger* communicatus. (E Glogavia a D. *Zeller* quoque missa).

♂♀. Species bene distincta. Specimen typicum a Cel. *Stenhammar* obtinui. Similis priori, sed per corpus magis nitidum, antennarum setam ordinariam brevius pubescentem, setulam simplicem ad basin articuli antennarum 3:tii in latere exteriore, articuloque longiorem, peristomium haud ciliatum (in 10 exemplis, quæ jam ante oculos habui, margo oris nudus l. subnudus est), segmentum abdominis 5:tum 4:to in ♂ parum longius, sextumque elongatum ad marginem 4:ti porrectum nec intra marginem 5:ti comprehensum totum cinereum, apice vix testaceum, pedes in utroque sexu obscuriores, nec tibiarum tarsorumque basin testaceam, ut & nervum longitudinalem 2:dum summo apice versus costam leniter incurvatum, nec exacte rectum, satis superque dignota. — Epistomatis forma omnino ut in præcedente. Series vibrissarum spuriarum eodem ordine disposita quoque adest. Abdomen in viva lateribus aureo-micat. — Variat rarius epistomate lutescente.

Obs. Cel. Doct. *F. Creplin* e Pommerania mihi nuper benigne misit magnam copiam imaginum in utroque sexu una cum pu-

pis *Ephydræ* cujusdam, quæ cum *E. salina* Dufouri (cfr. obs. sub specie antecedente) procul omni dubio identica est, & cujus delineationem pro comparatione heic tradere non inutile duxi:

E. Salinæ: supra ænescenti olivacea, nitens, subtus cum pedibus cinerascens; antennis nigris, seta pubescente, setulaque ad basin articuli tertii solitaria nuda; epistomate cinereo-lutescente, puberulo; fronte maculaque sub antennis, viridibus, nitidis; abdomine virescente; alis hyalinis, nervo longitudinali secundo summo apice subrecto. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis segmenta 1, 2, 3 & 4 brevia, æque longa, 5:tum antecedente saltem duplo longius, 6:tum basi breviter prominulum, apice inflexo marginem 4:ti attingens; peristomium breviter & tenuissime ciliatum;

Fem.: abdominis segmenta 1, 2, 3, 4 & 5 brevia, æque longa, 6:tum adhuc brevius, annulatum; peristomium sat longe & distincte nigro-ciliatum, ciliis versus medium peristomii marginis convergentibus.

E. salina Leon Doufour in litt. 1844.

Hab. larvæ in Salinis ad Gryphiam in magna copia, D. *Creplin;* pupas plures cum imaginibus mense Julio 1845 feliciter exclusis per benevolentiam D. *Dahlbom* communicatas obtinui.

♂♀. Colore, magnitudine & præsentia setulæ solitariæ ad basin antennarum articuli 3:tii *E. auratæ* simillima, sed antennarum seta ordinaria in medio distinctius pubescente seu breviter subplumata, epistomate magis lutescente, abdomine lateribus vix nitido, nervo longitudinali 2:do apice haud curvato &c., ab illa distingvitur, & ab *E. salinaria* Bouch., cui quoque valde affinis videtur, pedibus obscurioribus &c., sed in primis puparum

forma diversa discrepat. Frons & macula sub antennis quadrata virides, nitidæ. Antennæ cum seta pubescente nigræ. Epistoma valde convexum, lutescens, puberulum, serie vibrissarum horizontali ut in *E. riparia*. Proboscis magna & palpi parvi sæpe retracta, obscure cinerea. Thorax ænescens, supra vittis olivaceis. Abdomen virescens, opacum, segmentis basi inæqualiter brunneo-maculatis. Alæ (in nuper exclusis) cinereo-hyalinæ. Halteres flavidi. Pedes virescentes, cinereo-micantes, tibiis basi plus minus late testaceis, tarsis nigricantibus.

Pupæ conglomeratæ. Long. $1\frac{3}{4}$ lin. (cauda excepta). Oblonga, cylindrica, utrinque acuta, annulis 6, præter caput & caudam; tota brunnea, subnuda. Caput supra planum antice subtruncatum. In singulo annulo subtus tubercula 2 (loco pedum) parum elevata, nigro-muricata. Cauda basi incrassata, subtus distincte excisa, excavationis apicibus margine muricatis. Pone excavationem elongatur cauda in columnam stigmatiferam, longitudine vix dimidii corporis, angustam, cylindricam, obliquam, pallidam, in cujus apice styli 2 filiformes stigmatiferi, longitudine fere dimidii caudæ, puncto apicali nigro. Differt igitur hujus speciei pupa ab *Eph. salinariæ* pupa, quæ apud *Bouchè* in Naturgesch. der Insecten Berol. 1834 p. 100. & T. 6. f. 14 describitur & depingitur ut: 10-annulata (nec 6-annulata), cauda basi non excisa, longitudine totius corporis, & erecta (nec obliqua).

3. *E. fumosa:* supra ænescenti olivacea, subtus cum pedibus cinerascens; antennis nigris, seta breviter pectinata; epistomate argenteo, puberulo, peristomio antice ciliato, ciliis paucis, perpendicularibus, rectis; fronte obscure ænea; macula sub antennis fusca; abdomine glauco-virescente, fasciis cyanescentibus; alis subfumatis, nervis transversis fuscedine cinctis, longitudinali secundo apice rectiusculo. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5.tum 4:to parum longius; 6:tum inflexum intra marginem 5:ti comprehensum.

Wahlb. in litt. — Stenh. Monogr. 171. 3. ♂♀. — *Eph. riparia* var. c. ♀. Fall. Hydromyz. 3. 1. certe. — *E. riparia* Meig. Dipt. 6. 117. 9? — Macq Buff. 2. 537. 5?

Hab. in litoribus marinis, Jun.—Aug., per Scandinaviam passim frequens; scilicet in Scania parce; in Ostrogothia ad Jonsberg alibique, D. *Stenhammar*; in Ölandia; in Gottlandia: ad Nährs holme 22 Jun. 1819 in multis individuis legi; in Bahusia ad Marstrand copiosissime, D. *Wahlberg*; in Norwegiæ litore marino ad Thynæs & Levanger in paroecia Skogn haud infrequenter, D. *Dahlbom*; e Dania a D. *Staeger* uterque sexus sub nomine: »*Eph. albula* Meig.» communicatus. Rarius occurrit ad lacus & fossas in vicinitate maris ex. gr. prope Holmiam ad Carlbergs sjö & ad Häradshammar Ostrogothiæ, teste D. *Stenhammar*.

♂♀. Duabus præcedentibus iterum valde affinis & similis, sed ab *E. riparia*: peristomii ciliis nonnihil paucioribus, exacte perpendicularibus, nec versus medium marginis antice vergentibus, pedibus totis obscuris; ab *E. aurata*: peristomio ciliato, nec nudo, setula solitaria ad basin antennarum articuli 3:tii deficiente, nervo longit. 2:do apice subrecto, nec ad costam inflexo; & ab utraque: antennarum seta distinctius radiata, radiis longiusculis erectis, fronte maculaque sub antennis obscurioribus haud nitidis, abdomine viridi-glaucescente, segmentorum margine basali (in mortuis) cyanescente, cyanedine fascias 4 l. 5 latiusculas efficiente & interdum quoque vittam dorsalem mediam formante, alis forte paullo magis infumatis (in mortuis tantum levissime fuscanis) & præsertim nervis transversis fuscedine cinctis punctoque distinctiori nigro ad exitum nervi auxiliaris in costa, vere & abunde differt. — Epistoma convexum, serie vibrissarum spuriarum ut in prioribus ornatum. Abdomen in vivis convexiusculum. Segmentum 6:tum in ♂ inflexum ovale, fusco-nigrum, apertura ani prope basin hujus

segmenti sita. — Varietas epistomate lutescente l. flavicante mihi non obvia.

4. *E. palustris:* æneo-nigricans, antennis pedibusque concoloribus; seta antennarum pectinata; epistomate grisescente, setuloso, peristomio antice ciliato, ciliis elongatis, perpendicularibus; fronte abdomineque æneis, nitidis; alis subhyalinis, nervo longitudinali 2:do apice rectiusculo. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdominis segmenta: 4:tum & 5:tum 3:tio longiora invicem æqvalia; 6:tum inflexum ovato-lanceolatum, acutiusculum, dorso acute carinatum, ad marginem segmenti 3:tii apice extensum.

Fall. Hydromyz. 4. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 115. 2. Zett. Ins. Lapp. 716. 2. ♂♀. Stenham. Monogr. 172. 4. ♂♀. *Coenia palustris* Macq. Buff. 2. 530. 1.

Hab. in graminosis locis humidis & uliginosis libenter in umbrosis, in primis per regiones interiores Scandinaviæ (raro per litorales), præsertim autumno (Aug. Sept.) vigens, minime raro; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd, &c. (in Pineto ad Lackalänga prope Lund a D. *Dahlbom* 3 Oct. etiam capta, forte errabunda); in Smolandia a Skärsjö, D. *Ljungh*; in Ostrogothia a Lärketorp, &c., copiose; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia; in Dalecarlia ad Uppbo &c. freq.; in Jemtlandia ad alpem Åreskutan, rarius; in Botlnia boreali ad Råbäcken, D. *Wahlberg*; in Lapponia rarissime; sed in insulis maritimis Gottlandia & Ölandia hactenus frustra qvæsita; in Norwegia, ad Dovre? in Dania pluries a D. *Staeger* lecta.

♂♀. Magnitudine minore, colore corporis partiumque fere uno, ut & seta antennarum distincte radiata, a prioribus præcipue differt. Epistoma modice ampliatum, griseum, sæpe lutescens,

interdum (in detritis) fuscum l. æneo-nigrum, setulosum, peristomio pilis longiusculis rectis nigris non dense munito. Genæ valde abbreviatæ, ut rite observavit Cel. *Stenhammar.* Oculi proportione magni. Antennarum seta pectinata, radiis (circiter 9) elongatis subobliquis versus apicem inclinatis, fere ad apicem summum continuatis. Frons ænea, nitens, interdum cyaneo- aut cæruleo-micans. Thorax, scutellum & abdomen olivaceo-ænea, nitentia. Segmentum 6:tum in ♂ inflexum longitudinem dimidii abdominis attingens. Alæ in utroque sexu hyalinæ, parum fuscanæ. Nervi transversi: ordinarius circa medium plerumque fescedine leviter cinctus; medius apici auxiliaris oppositus. Nervus long. 2:dus apice rectiusculus l. ibi omnium levissime versus costam inclinatus. Halteres sordide flavidi. Pedes toti nigricantes. — Varietas a D. *Stenhammar* l. c. allata: "seta antennarum radiis brevioribus" in provinciis borealibus a me quoque observata.

5. *E. notata:* fusco-nigricans, subnitens, antennis nigris, seta pectinata; epistomate superne carinato-tuberculato, lutescente, peristomio subinflexo, nudo; alis albo-hyalinis, multi-maculatis, maculis nigricantibus, subcostalibus 4—6 rotundatis; nervis: longitudinali 2:do apice rectiusculo, transverso medio paullo ante apicem auxiliaris ducto; pedibus nigris, geniculis tarsorumque basi flavo-testaceis. ♂♀. (Long. circit. $\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 6:tum inflexum 5:to antecedentibus parum longiori longius; anus rotundatus, apertura a basi segmenti 6:ti subretracta, impressa, medio tuberculata;

Fem: abdominis segmenta 5 anteriora subæque longa, 6:tum breve, annulatum; anus acutiusculus.

Stenh. Monogr. 186. 13. ♂♀. (Sect. 2 *Epipela)* fig. 8 ala.

Hab. plerumque in paludosis; scilicet in Scania, ubi locis aridis ad Esperöd juxta litus maris versus finem,

Augusti individua feminea haud parce inveni, etiam ad Lund in Paradislyckan 15 Sept; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia copiose, D. *Stenhammar;* in Dalecarlia; in Bottnia utraque; e Råbäcken in paroecia Öfver-Luleå Bottniæ borealis a D. *Andersson* communicata. Secundum *Stenhammar* in paludosis coenosis continentalibus præsertim occurrit. (E Finlandia a D. Profess. *Sahlberg* missa).

♂♀. Pictura alarum primo obtutu a præcedentibus dignoscitur. Parva. Epistoma non valde ampliatum, tuberculo sub antennis obtuse carinato & puncto apicis minutissimo atro nitidissimo terminato; totum fuscum l. lutescens, nudum, præter setas utrinque juxta oculum tres l. quatuor longiores subæquales vibrissas mentientes. Peristomii margo anticus subinflexus nudus. Genæ distinctæ. Antennarum seta 6—8-radiata, radiis mediocriter longis. Frons fusco-lutea, opaca. Thorax fuscus, subopacus, lineis 2 obscurioribus. Abdomen ovatum, nigricans, subnitens, tenuiter puberulum. Alæ albidæ; in singula maculæ circiter 12—14 nigricantes, quarum tres inter nervum long. 2:dum & 3:tium, quatuor inter nervum long. 3:tium & 4:tum locatæ, omnes difformes; intra marginem interiorem plerumque adhuc duæ, una post, altera ante nervum transv. ordinarium, parvæ, sæpius obsoletæ; ad costam denique 4—6 etiam parvæ, rotundatæ paullò saturatiores. Nervi transversi: ordinarius fuscedine cinctus, medius mox ante apicem auxiliaris brevis, situs. Halteres flavi. Pedes nigri, trochanteribus, geniculis omnibus & summis, tarsorumque saltem posteriorum basi plus minus late, flavo-testaceis. — Ab *E. quadrata* n:o 23, cui pictura alæ obiter intuenti similis videtur, antennarum seta pectinata, nec nuda, epistomate tuberculato, nec lævi, peristomio nudo, nec setuloso, abdomine parum nitente, nec nitidissimo, &c., aperte discrepat.

6. *E. albidipennis:* nigricans, subnitens, antennis nigris, apice subtus angustissime flavido, seta pectinata;

epistomate inferne modice ampliato, toto fuscescente, setuloso, peristomio antice ciliato; alis breviusculis, cinereo-albidis, nervo transverso ordinario infuscato, longitudinali 2:do apice recto; pedibus nigris, tarsorum basi flavescente. ♂♀. (Long. $\frac{1}{4}$ lin.).

Stenh. Monogr. Ephydr. 179. 9. ♂♀.

Hab. in litoralibus maritimis Ostrogothiæ, in paroecia Jonsberg a D. Doct. *Stenhammar* detecta mihique pro comparatione benigne communicata.

♂♀. Minuta. Epistoma protrusum, mediocriter ampliatum, fusco-cinereum. Peristomium ciliatum, ciliis mediocribus, perpendicularibus, nigris. Antennæ breviusculæ, nigræ, apice (in viva) subtus levissime flavo, in mortua fere nigro. Seta usque ad apicem radiata, radiis circiter 6, modice longis. Frons obscure ænescens, nitida. Abdomen sordide nigricans (in speciminibus visis subopacum). Alæ cinereo-albidæ, subopacæ; at alio situ, versus lumen elevatæ albido-cinereæ, guttis 3 in regione nervi transversi ordinarii infuscati translucentibus obsoletis, apparent. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem levissime divergentes. Segmentum nervi long. 4:ti tertium (ultimum) secundo (intermedio) fere duplo longius. Nervus transv. medius apici auxiliaris præcise oppositus. Halteres flavi. Pedes nigri, tarsis basi annulo angusto flavo. — "Mas: segmento abdominis qvinto parum at distincte longiore" Stenhammar l. c.

Obs. Specimen unicum huic speciei simile & affine, e Smolandia ante plures annos missum obtinui; sed magnitudine paullo majore, abdomine præsertim longiore, corpore magis nitente, tarsis basi vix pallescentibus, &c., distincta videtur. Long. $\frac{1}{2}$ lin. tota nigra, nitens. Caput cum antennis & epistomate omnino ut in *E. albidipenni.* Thorax etiam ut in illa. Abdomen oblongum, subcylindricum, glabrum, basi opacum, segmentis 4:to & 5:to nitidis. Segmenta: 1 brevissimum, 2 & 3 æque longa, 4:tum singulo 2:di & 3:tii saltem dimidio longius, 5:tum evidenter convexum, rotundatum 4:to parum brevius,

6:tum inflexum longitudine 5:ti, apertura basali. Alæ longitudine abdominis, cinereæ, nervis omnibus leviter, transversis distinctius infuscatis, vix vestigio guttarum 2 albidarum. Præterea nervi ut in *N. albidipenni* directi, at segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo & ultra longius. Halteres fusci. Pedes toti nigri, metatarsis posticis ferrugineo-breviter puberulis.

Sect. 2. Seta antennarum aut latere supero brevissime puberula, aut tota nuda. (*Eph. aurata:* seta breviter puberula in Sect. 1:ma sub n:o 2 quærenda). Epistoma plerumque modice ampliatum & sæpius tantum in medio longitudinaliter subcarinato-convexum.

A. alarum nervo longitudinali 2:do apice leviter arcuatim aut angulatim ad costam flexo. Prælabrum apice prominulum. (Cfr. nota in Conspectu p. 1806).

7. *E. aqvila:* obscure olivaceo-ænea, nitida, glabra; antennis nigris, seta nuda; fronte æneo-cærulescente; epistomate ampliato-convexo, glabro, lutescenti pollinoso, vibrissis utrinque 4 brevibus; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis infuscatis, longitudinali 2:do apice curvatim inflexo; tibiis basi apiceque extus albo-micantibus, tarsis basi lutescentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen apice obtusum, segmento 6:to inflexo brevi, singulo antecedentium longitudine subæqualium parum longiore, acute subcarinato, squama parva triangulari nigra utrinque appendiculato;

Fem.: abdomen apice pubescente acutiusculum, segmento 6:to brevi, annulato.

Fall. Hydromyz. 4. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 117. 10. (mihi indubia videtur). — Macq. Buff. 2. 537. 6. Zett.

Ins. Lapp. 716. 3. ♂♀. Stenh. Monogr. 187. 14. ♂♀. (Sect. 3. *Parydra).*

Hab. in uliginosis ad ripas amnium, fossas aqvarum & scaturigines, per Scandinaviam, 15 Maj.—15 Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Höjeå, Kjellby, Esperöd &c., non raro; in Ostro- & Westrogothia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Norwegia in Dovre ad Tofte atque in Værdalia, D. *Boheman;* in Dania, D. *Staeger*, a quo etiam specimina magis nitida sub nomine *Eph. bilineata* obtinui. (Ad Hamburgum & Sedinum quoque a D. *Dahlbom* 1838 & 1845 lecta).

♂♀. Tota obscure fusco-ænea, nitida, glabra. Frons lata, plerumque cærulescenti ænea, setis ordinariis paucis. Tuberculum mox infra antennas parum elevatum. Epistoma: area media ampla convexa levissima glabra ad latera juxta orbitas oculorum latas utrinque setis 4, quarum suprema longiori & distinctiori, inferioribus 3 minutis, brevibus, tenuissimis luteis; totum in fundo æneum nitidum, sed undique sat dense polline luteo tectum, regione tantum infra antennas indeterminate plerumque denudata viridi-lucente. Peristomium nudum. Prælabrum distincte prominulum, epistomate concolor. Genæ distinctæ. Thorax antice lineis 2 cinereis. Scutellum apice bisetosum. Abdomen late ovatum, depressum. Alæ elongatæ, cinerascentes, vix fumatæ, ima basi nervisque transversis plus minus infuscatis. Nervi longitudinales: 2:dus apice ad costam leviter incurvus, 3 & 4 post transversum ordinarium exacte paralleli. Nervi transversi: medius mox pone apicem auxiliaris ductus, & ordinarius obliquus mox ante medium areæ ultimæ insertus. Hinc segmentum nervi longit. 4:ti secudum seu intermedium tertio seu ultimo fere dimidio brevius, segmentum vero costæ secundum tertio fere duplo longius. Halteres flavi. Squamarum rudimentum. Pedes æneo-nigri, tibiis omnibus extus a basi usque fere ad medium & ad apicem angustius, albido- l. argenteo-micantibus. Tarsi basi plus minus luteo-te-

stacei. — Variat nuper exclusa tota brunneo-testacea, qualis a *Fallén* in Act. Holm. 1813 p. 247 describitur.

8. *E. coarctata:* obscure olivaceo-ænea, subnitida, glabra; antennis nigris, seta nuda; fronte ænea lucida, vittis 2 lutescentibus opacis; epistomate minus convexo, inferne subcoarctato, glabro, lutescenti pollinoso, vibrissis utrinque 4 brevibus; alis subfumato-hyalinis, nervis transversis infuscatis, fuscedine gutta albida obsoleta utrinque terminata, nervo longitudinali 2:do apice subangulatim flexo, segmento costæ 2:do, 3:tium longitudine fere ultra dimidium excedente; tibiis basi apiceque albo-micantibus, metatarsis testaceis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Mas & femina ut in præcedente differunt.

Fall. Hydromyz. 4. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 116. 7. Stenh. Monogr. 189. 16. ♂♀. *(Parydra).*

Hab. in humidis plerumque locis apricis ad fossas, canaliculas & margines aquarum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, præsertim versus autumnum, Jul. Aug. Sept., passim frequens; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång (etiam d. 21 April. a D. *G. F. Möller* lecta), Tranås, Esperöd &c., non raro; in Ostrogothia frequens; in Ölandia parce; in Uplandia, D. *Stenhammar* & *Wahlberg;* in Dania haud infrequenter, D. *Staeger.*

♂♀. A præcedente, cui de cetero similis, differt: magnitudine paullo minore, epistomate versus apicem magis coarctato, semiconico, toto dense luteo-pollinoso, alis nonnihil magis infumatis, unde guttæ albidæ in disco melius apparent (sæpius tamen sat obsoletæ), & præcipue nervo longit. 2:do apice versus costam fere angulatim, nec regulariter arcuatim, inflexo. — Seta antennarum in medio microscopice puberula. Nervus longitudinalis 2:dus apice (ad angulum) sæpe nervulo minutis-

simo appendiceo furcam (in sequente manifeste evolutam) inchoante; de cetero immaculatus. — Reliqua ut in priori. — Variat abdomine subcærulescenti æneo, qualem sub nomine: "*Eph. 4-punctata* Meig." olim e Dania a D. *Staeger* obtinui. — Variat etiam flexura apicis nervi long. 2:di in altera ala angulata, in altera subcurvata, aut etiam in una ala flexura angulata mutica, in altera appendiculata. — Variat denique, uti prior, tota brunneo-testacea, forte juvenilis.

9. *E. furcata:* obscure olivaceo-ænea, nitida, glabra; antennis nigris, seta brevissime puberula; fronte ænea lucida, vittis 2 lutescentibus opacis; epistomate minus convexo, modice ampliato, abbreviato, glabro, lutescenti pollinoso, vibrissis utrinque 4 brevibus; alis subfumato-hyalinis, nervis transversis infuscatis, fuscedine gutta albida utrinque terminata, nervi longitudinalis 2:di apice furcato infuscato, segmento costæ 2:do tertium longitudine fere ultra dimidium excedente; tarsis basi testaceis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Mas & femina ut in *Eph. aqvila* n:o 7 differunt.

Zett. Ins. Lapp. 716. 6. ♂♀. Stenh. Monogr. 190. 17. ♂♀. *(Parydra)*. fig. 9 ala.

Var. b. ♂♀. tarsis nigris, alis immaculatis, nervo longitudinali 2:do ad costam curvatim inflexo.

Stenh. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. var. a. in graminosis humidis umbrosis ad scaturigines & fossas aquarum, per Scandinaviam, Jul.—Sept., passim abunde; ut in Scania ad Fogelsång, Abusa, Esperöd &c., sat copiose; in Smolandia, DD. *Ljungh & Boheman*, non raro; in Ostrogothia pluribus locis, sed in Benängen ad Lärketorp in paroecia Mjölby frequens; in

Dalecarlia, *Boheman*; in Lapponia rarissime; var. b. in utraque Bottnia 1843 tantum a Cel. *Boheman* deprehensa. (Ad Sedinum 1845 a D. *Dahlbom* lecta. Sub nomine: »*Eph. stagnalis*» e S:t Sever Galliæ in utroque sexu a D. *Leon Dufour* var. a. mecum communicata).

♂♀. Similis & valde affinis priori, sed seta saltem in medio licet brevissime tamen distinctius puberula, epistomate nonnihil breviore, inferne paullo minus coarctato, genis brevioribus, tibiis extus minus argenteo-micantibus, at in primis nervo longit. 2:do apice angulatim flexo, furcato, furcæ ramis altero versus costam ducto, altero versus nervum long. 3:tium inclinato, hoc breviori, fuscedine cincto, differt. Nervi transversi plerumque late fuscedine cincti & guttæ 3 l. 4 albæ sæpius evidentes. Tarsi basi plus minus late testacei. Vitta longitudinalis subfuscana inter nervum costalem & longitudinalem 2:dum, quæ in priore valde obsoleta est & vix observanda in hac sæpius discerni potest. In individuis, ubi fuscedo alarum saturatior, macula fusca in apice nervorum longitud. 3 & 4 interdum observatur, sed valde obliterata: Raro furca nervi 2:di in altera ala incompleta h. e. ramo exteriore deficiente. — Reliqua omnia ut in præcedente. Vibrissæ quoque ut in illa; vibrissa nempe superior longior & distinctior, tres inferiores minutissimæ. — Var. b. an specie distincta? mihi non obvia. Varietatem aliam masculam, abdomine cyanescente, cum var. a. in Ostrog. legi.

10. *E. litoralis:* obscure olivaceo-æneа, nitida, glabra; antennis nigris, seta puberula; fronte macula media æneo-nigra; epistomate modice ampliato, superne depresso, glabro, lutescenti pollinoso, in medio æneo, subnitido; vibrissis utrinque 4 brevibus; alis infumato-cinereis, nervis transversis infuscatis, fuscedine gutta albida utrinque terminata, nervi longitudinalis 2:di brevis apice furcato punctoque fusco notato, segmento costæ 2:do tertium lon-

gitudine subæqvante; tarsis basi flavo-testaceis. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Mas & *femina* ut in proxime præcedentibus discrepant.

Meig. Dipt. 6. 116. 6. t. 60. f. 8. Macq. Buff. 2. 536. 2. Stenh. Monogr. 188. 15. ♂♀. *(Parydra).*

Hab. in Smolandia, ubi ad villam Annæberg a D. Prof. *Boheman* specimen unicum inventum, nec alibi in Scandinavia hactenus deprehensa, quantum noverim.

♂♀. E magnitudine & forma epistomatis superne aliqvantulum depressi *Eph. aqvilæ* (7) proxima, sed nervo longitudinali breviore, apice furcato & macula fusca ornato, certe & facile dignota. Seta antennarum in medio pubescens. Vibrissæ ut in præcedente. Pleuræ luteo-pollinosæ. Vitta longitudinalis fusca in interstitio inter nervum costalem & longitudinalem 2:dum adest, licet obsoleta. Tibiæ omnes extus apice & basi anguste, posticæ late, argenteo-micant. Reliqva ut in diagnosi.

11. *E. affinis:* obscure olivaceo-ænea, subnitens, tenuiter pilosula; antennis nigris, seta tenuissime puberula; fronte obscura; epistomate modice ampliato, ad latera depresso, ænescenti nigro, levissime luteo-pollinoso; vibrissa utrinque unica distincta; alis hyalinis, nervis transversis infuscatis, fuscedine gutta albida obsoleta utrinque terminata, nervi longitudinalis 2:di brevis apice ad costam curvatim flexo, segmento costæ 2:do tertium longitudine subæquante; metatarsis posticis testaceis. ♂♀. (Long. ¾ vix 1 lin.).

Mas & *femina* ut in *Eph. aqvila* n:o 7 dignoscuntur.

Stenh. Monogr. 192. 18. ♂♀. *(Parydra).* f. 10. ala.

Hab. in humidis (mihi in apricis præsertim obvia) ad fossas aqvarum regionum interiorum, sed etiam in li-

toribus marinis, per Scandinaviam meridionalem & medi- am, Aug. Sept., passim; scilicet in Scania rarissime; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ex. gr. ad Lärketorp, Gusum &c. frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar*; in Helsingia, D. *Boheman*; in Dalecarlia, ipse; e Dania sub nomine *Eph. coarctata* olim a D. *Staeger* missa.

♂♀. Similis *E. coarctatæ* (8) cum qua hactenus confusa. Doct. *Stenhammar* l. c. speciem primus bene distinxit. Ab *Eph. coarctata* mox dignoscitur: magnitudine minore, colore nigriore, alis magis hyalinis, nervo longitudinali 2:do breviore apice leviter curvatim, nec angulatim, ad costam flexo, &c. Caput nigricans, tenuiter lutescenti pollinosum. Seta antennarum in medio microscopice puberula. Seta utrinque vibrissina suprema tantum distincta, elongata, reliquæ 3 minutissimæ, parum observandæ. Prælabrum distincte prominulum. Proboscis cum palpis & prælabro totam cavitatem oris implet. Thorax dorso setulis paucis. Pleuræ obscure lutescentes. Abdomen ovatum, æneo-nigrum, nitidum, puberulum, segmentis, ut in confinibus, subæque longis. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis transversis fuscedine cinctis, fuscedine in ala versus lumen elevata & præsertim in feminarum utrinque guttula albida terminata. Segmentum costæ 2:dum 3:tio parum longius. Nervi longit. 3 & 4 versus apicem levissime divergentes. Nervus transv. ordinarius apici longitudinalis 2:di præcise oppositus. Halteres flavidi. Pedes nigricantes, puberuli, tarsis, in primis posticis basi plus minus obscure seu dilute testaceis. Tibiæ posticæ basi extus late cinereo- l. argenteo-micantes in illæsis.

12. *E. nasuta:* obscure olivaceo-ænea, subopaca, tenuissime pilosula; antennis nigris, seta tenuissime puberula; fronte obscura; epistomate brevi, parum ampliato, ad latera depresso, apice oblique truncato subreclinato, toto albicante; vibrissis utrinque 2 distinctis; alis cinereo-

hyalinis, nervis transversis infuscatis, fuscedine gutta albida obsoleta utrinque terminata, nervi longitudinalis 2:di brevis apice ad costam curvatim flexo, segmento costæ 2:do tertium longitudine subæquante; pedibus totis nigris. ♂♀. (Long. vix ½ lin.).

Mas & *femina* ut in præcedente differunt.

Var. a. ♂♀. epistomate albicante l. subargenteo-micante; alis subhyalinis.

Stenh. Monogr. 192. 19. ♂♀. *(Parydra)*.

Var. b. epistomate nigro, nitido, lutescenti subpollinoso; alis obscurioribus.

Stenh. l. c. var. b.

Hab. var. a. in Caricetis humidis, in Ostrogothia ad Häradshammar & prope urbem Sudercopiam, D. *Stenhammar*, qui specimina typica utriusque sexus mihi benigne communicavit; in Bahusia ad Marstrand raro, D. *Wahlberg*; var. b. in Bottnia tum boreali tum occidentali atque etiam in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D.D. *Boheman* & *Wahlberg*.

♂♀. Proxima priori, sed multo minor & epistomate oblique truncato, toto albicante, nec obscuro, peristomii margine antico reclinato, vibrissis utrinque binis superioribus (nec tantum setula unica) inferioribus duabus minutis evidenter longioribus, ut & pedibus totis nigricantibus, nec tarsis basi testaceis, aperte & vere differt. Reliqua omnia ut in præcedente. — Var. b. forte propria species, a me non visa.

B. alarum nervo longitudinali 2:do apice recto. Prælabrum occlusum. *Ephydra* sensu proprio, *Stenhammar*.

13. *E. stagnalis:* obscure æneo-fusca, fronte concolore; antennis nigris, seta tenuissime puberula; epistomate modice ampliato, convexo, superne tuberculato, toto lutescenti pollinoso, setuloso; abdomine ovato, fusco-nigricante, nitido; alis fuscanis, disco distincte 5-guttato, segmento costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem vix superante; pedibus totis nigricantibus. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdominis apice rotundati segmento 5:to duplam 4:ti longitudinem excedente; 6:to inflexo, ovato-lanceolato, longitudine 5:ti;

Fem.: abdominis apice acutiusculi segmentis 5 anterioribus subæque longis; 6:to annulato brevi.

Var. a. ♂♀. alis fuscanis, guttis 5 albis distinctioribus.

Fall. Hydromyz. 5. 5. ♂♀. (sub qua vero præsertim in feminis plures latent species ex. gr. *E. argyrostoma* n:o 16, &c.). — Meig. Dipt. 6. 118. 12. Zett. Ins. Lapp. 716. 4. ♂♀. (plurimis individuis femineis ibi allatis remotis & ad *Eph. argyrostomam* infra relatis). — Stenh. Monogr. 178. 8. ♂♀.

Var. b. paullo minor, alis cinereo-hyalinis, guttis 5 albis obsoletis.

Stenh. l. c. var. b.

Hab. var. a. in graminosis & humidis non minus ad aqvas stagnantes & ripas lacuum provinciarum interiorum, quam ad litora marina totius Scandinaviæ, a mense Junio usque ad serum autumnum, ubique vulgatissima; scilicet per Sueciam, Daniam & Norwegiam, a Scaniæ extremis litoribus usque ad NordCap frequenter; in Lapponiis omnibus quoque occurrit, ibique vero vix supra radices al-

pium adscendens mihi obvia; var. b. in paludosis coenosis frigidioribus ex. gr. ad Häradshammar Ostrogothiæ & Holmiam Uplandiæ, D. *Stenhammar.* (E Grönlandia a D. *Westermann* quoque var. a. communicata; e Finlandia a D. *Sahlberg* missa; ad Neuenkirchen prope Gryphiam a D. *Dahlbom* jam medio mensis Maji lecta).

♂♀. Parva. Per colorem obscuriorem, epistoma superne carinato-tuberculatum, alas fuscas guttis 5 determinatis subæqualibus albis in disco in ellipsin dispositis, æquali spatio remotis, ornatas, proportionem longitudinis segmenti costæ 2:di, pedes totos nigros, &c., statim dignoscitur. — Opaca. Caput obscure griseum l. sordide lutescens. Frons sæpe maculis nitentibus. Epistoma parce & tenuissime setulosum, vibrissis paucis ad latera ornatum, ciliisque peristomii mediocribus munitum. Genæ brevissimæ. Thorax fuscus, setosus. Abdomen oblongo-ovatum, æneo-nigrum, subnitidum, puberulum. Alæ totæ plerumque perspicue fuscanæ, guttis 5 mediocribus l. minusculis subæque magnis, albis, quarum 1 inter nervos longit. 2:dum & 3:tium nervoque transv. ordinario opposita, subquadrata, perpendicularis, 2 & 3 inter nervos long. 3:tium & 4:tum, late remotæ, etiam subquadratæ & perpendiculares, atque 4 & 5 inter nervos long. 4:tum & 5:tum (utrinque ad nervum transv. ordinarium), sitæ, subrotundatæ. Ex his una l. altera præsertim binarum inferiorum, interdum obsoleta l. omnino deficiens. Nervulus transversus medius apici auxiliaris oppositus. Nervus long. 3:tius in summum apicem alæ (levissime acutiusculum, nec exactissime obtuse rotundatum) eductus. Halteres flavi. Pedes tenuiter pilosuli.

14. *E. flavipennis.:* griseo-flavicans, capite concolore; antennis obscure griseis, seta subnuda; epistomate distincte ampliato, convexo, superne tuberculato, setuloso; abdomine oblongo, plumbeo; alis cinereo-flavicantibus, disco obsolete 5-guttato, gutta superiori majori quadrata,

segmento costæ 2:do quintuplam 3:tii longitudinem paullo superante; pedibus nigro-griseis, metatarsis testaceis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdominis segmento 5:to 4:tum longitudine dimidia excedente, 6:to inflexo, ovato-lanceolato, tertiam ventris partem æquante.

Stenh. Monogr. 173. 5. ♂♀.

Hab. in litoribus marinis Sueciæ meridionalis & mediæ tota æstate haud raro; scilicet in Scania ad Lomma, Malmogiam, Sandhammar, Esperöd &c. mihi sat frequenter obvia; in Ostrogothiæ paroecia Jonsberg, D. *Stenhammar*, qui specimina typica communicavit; in Bahusia ad Marstrand rarius, D. *Wahlberg*.

♂♀. Statura corporis angustiore, colore lætiore, flavicante, epistomate paullo magis transversim ampliato & convexo, genis multo longioribus, abdomine nonnihil magis oblongo, alis totis flavedine tinctis, guttis albis in fundo dilutiori minus perspicuis, harum 1:ma (in interstitio nervorum longitudinalium 2 & 3) majori, quadrata plerumque manifesta, segmento costæ 2:do paullo longiori, ut & tarsis basi plus minus distincte flavo-lutescentibus, a priori aperte discrepat. — Tota opaca, insigniter flavescens, femoribus posticis latere interiori æneo-nigro nitido. Peristomii ciliæ breves. Thoracis vitta dorsalis media ferruginea sæpe evidens præsertim in spiciminibus cinereo-griseis. Metathorax cinereus. Alarum guttæ albæ numero & ordine ut in præcedente, sed minus perspicuæ, præter superiorem majorem. Nervi quoque ut in *E. stagnali* directi, sed segmentum costæ 2:dum paullo longius, & pars nervi longit. 5:ti infra transversum ordin. paullo brevior, nervo scilicet transverso paullo propius ad marginem retracto, quam in *stagnali*. Pedes grisescentes, tarsis testaceis, apice plus minus late fuscis.

Obs. In museo Falleni specimen femineum hujus inter *Eph. stagnalem* asservatur.

15. *E. flavescens:* thorace fusco-flavicante, capite concolore; antennis nigricantibus, seta tenuiter puberula; epistomate modice ampliato, convexo, superne tuberculato, setuloso; abdomine breviter ovato, cinereo-grisescente, subnitido; alis cinereo-hyalinis, ima basi flavicantibus, disco obsolete 5-guttato, guttis minusculis subæqualibus, segmento costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem vix superante; pedibus obscuris. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmento 5:to 4:tum longitudine excedente, 6:to inflexo, ovato, apice acutiusculo, 5:tum æqvante.

Stenh. Monogr. 175. 6. ♂♀.

Hab. in litoribus marinis, mihi in Scania ad Esperöd (prope mare situm) raro obvia; sed in litoralibus paroeciæ Jonsberg Ostrogothiæ a D. *Stenhammar* haud infrequenter observata mecumque in utroque sexu benevole communicata.

♂♀. Duabus proxime præcedentibus similis & affinis; sed ab *E. stagnali:* colore capitis thoracisque paullo lætiore, in flavedinem sordidam abiente, epistomate forte nonnihil magis ampliato, peristomii ciliis brevioribus, alis cinerascentibus, nec distincte fuscanis, & guttis obsoletioribus; ab *E. flavipenni:* cui colore corporis magis accedit, abdomine ovato multo breviore, alis cinereis ima tantum basi levissime flavedine tinctis, nec totis flavescentibus, guttis omnibus parvis subæque magnis, nec superiore majore, segmento costæ 2:do nonnihil breviore, tarsis obscurioribus, & maris abdominis segmentis 5:to & 6:to paullo brevioribus; atque ab utraque: magnitudine paullo minore, antennarum articulo ultimo apice nonnihil obtusiore, &c., præcipue differt. — Antennæ breves totæ fusco-nigræ, nec flavedinem ullam ad basin subtus articuli ultimi a Cel. *Stenhammar* indicatam in speciminibus exsiccatis, quæ jam ante oculos habeo, detegere potui, licet tamen sine dubio ita in individuis vivis; seta tenuissime puberula. Setæ vibrissinæ ad latera epi-

stomatis ordinariæ utrinque 4 sat perspicuæ. Peristomii ciliæ minutæ. Genæ brevissimæ. Alarum guttulæ albidæ forma, numero & ordine ut in *E. stagnali* dispositæ; inferiores 2 versus marginem interiorem alæ sitæ, minutæ, rotundatæ, plerumque obsoletiores. Præterea nervus transv. ordinarius rectus, perpendicularis, ad marginem nonnihil magis retractus, quam in *E- stagnali*, & fere ut in *E. flavipenni* ductus. Halteres flavi. Pedes toti cinereo-nigricantes, geniculis summa fractura testaceis. Tarsi sæpe fuscescunt, & metatarsi interdum obscure aut dilute flavescunt.

16. *E. argyrostoma:* obscura, cano-induta, pedibus concoloribus; antennis cinerascenti nigris, seta tenuissime puberula; fronte thoracisque dorso æneo-fuscis; epistomate distincte ampliato, convexo, superne tuberculato, toto argenteo--albo, pubescente; abdomine oblongo-ovato; alis cinereo-hyalinis, disco obsoletissime 5-guttato, guttis mediocribus subappropinquantibus, segmento costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem fere æquante. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ vix 1 lin.).

Mas: abdominis segmento 5:to 4:to duplo fere longiore, 6:to inflexo, ovato-triangulari, 5:tum longitudine æquante.

Stenh. Monogr. 176 7. ♂♀. *Eph. stagnalis* ♀. Fall. Hydromyz. 5. 5. certe. Zett. Ins. Lappon. 716. 4. feminæ pleræque.

Hab. ad margines fossularum juxta domos, libenter locis urina animalium domesticorum humectatis; in Ostrogothia passim copiose a D. *Stenhammar* lecta; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; mihi etiam in Scania in litore maris ad Esperöd alibique in societate cum *Eph. stagnali* mense Julio frequenter obvia; in aliis quoque provinciis & intra ipsam Lapponiam occurrit, sed multo

rarius quam *E. stagnalis*, cum qua hactenus confusâ fuisse videtur.

♂♀. Species distincta & bona, per observationes oculatissimi *Stenhammar* bene extricata. Illæsa fere tota incana, opaca, sed sæpe detrita occurrit & tunc in plerisque partibus nigra l. obscura, excepto epistomate, ubi albedo plerumque tenacius adhæret. *E. stagnali* fere minor. Frons fusca; sæpe cyaneo-micans & nitens. Epistoma transversim eximie convexo-ampliatum, argenteum, pubescens & setulis vibrissinis ordinariis horizontaliter positis ornatum, sed peristomio fere nudo, tantum tenuiter puberulo, nec distincte ciliato. Genæ productæ. Thorax dorso plus minus flavicans l. ferruginans. Abdomen supra griseo-cinereum, certo situ levissime viridi-micans. Alæ ima tantum basi levissime flavicantes. Guttulæ albidæ majusculæ numero & ordine ut in priori, sed forte nonnihil magis approximatæ & valde obsoletæ quasi in alæ colorem sensim diffluentes. Nervus longit. 3:tius fere, sed non exactissime, in summo apice alæ excurrens. Præterea nervi ut in antecedente directi. Halteres flavi. Pedes canescentes, tibiis extus in viva argenteo-puberulis. Tarsi dilute fuscescentes, intus flavescenti sericei, apice obscuriores.

17. *E. nubilipennis:* griseo-ænescenti olivacea, capite concolore; antennis nigris, seta nudiuscula; epistomate parum ampliato minusque convexo, superne subetuberculato, flavicanti griseo, setuloso; abdomine ovali, æneo-viridi, nitido; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, segmento costæ 2:do sexduplam 3:tii longitudinem superante; pedibus nigricantibus. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdominis segmento 5:to 4:tum longitudine parum superante, 6:to inflexo, ovato-lanceoloto, apice marginem 4:ti attingente.

Stenh. Monogr. 180. 10. ♂♀. *Eph. stagnalis* var. b. ♀. Zett. Ins. Lapp. 716. 4. certe eadem.

Hab. in uliginosis & graminosis plerumque ad margines fossarum aquaticarum, & ripas lacuum fluviorumque, raro in litoribus marinis, per regiones continentales Scandinaviæ, 10 Jun.—4 Oct., passim; scilicet in Scania ad Lund, Fliinge, Silfåkra, Yddinge &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Sudercopiam, Gusum & Wadstena; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Uplandia ad Holmiam; in Dalecarlia; in Jemtlandia ad alpes Mullfjellen; in Lapponiis plerisque; in Norwegiæ litore marino ad Thynæs & Levanger nec non in Nordlandiæ inferalpinis maritimis raro ex. gr. ad Andeness; e Dania quoque accepi.

♂♀. Epistomate minus convexo, vix superne tuberculato, colore abdominis viridi-æneo, nitido, alis semper omnino immaculatis, segmento costæ 2:do 3:tium longitudine sexdupla superante, ut & maris abdominis segmento 5:to antecedenti longitudine subæquali, a præcedentibus & affinibus facillime distingvitur. Ab *E. flavipenni* (14), cui longitudine nervi 2:di & antennarum seta nuda prope accedit, abdomine magis virescente & nitido, alis immaculatis, pedibus totis nigricantibus, nec tarsis flavescentibus, epistomate multo minus fornicato &c., aperte discedit. — Frons fuscescens, opaca, setis ordinariis. Antennæ breves. Epistoma griseum, plus minus lutescens, setulosum. Peristomii ciliæ parcæ, mediocriter longæ, rectæ. Thorax dorso fuscus, opacus, setulosus, interdum olivaceo-æneus, antice in illæsis punctis 2 cinerascentibus vittas totidem inchoantibus; subtus cinerascens, pleuris brunneo-maculatis. Abdomen oblongo-ovatum, depressum, virescens, nitidum, subglabrum. Alæ elongatæ, totæ, immaculatæ, nubilæ, basi non coloratæ, nervis tantum transversis plerumque umbra fusca levissime & angustissime cinctis. Halteres flavidi. Pedes toti nigricantes. — Varietas obscurior, fusca, abdomine vix viridi, subopaco, quam refert D. *Stenhammar* l. c., mihi etiam quandoque obvenit.

Obs. Sub nomine: "*Eph. leucostoma* Meig.", a Nobil. D. *Leon Dufour* e S:t Sever Galliæ speciem in 4 individuis femineis nuper accepi, quæ quoad alas cinereas immaculatas, segmenti costæ 2:di longitudinem, nervum longit. 2:dum apice rectum, magnitudinem & staturam corporis *E. nubilipenni* quidem proxima, sed per epistomatis colorem argenteum, prælabri prominentiam distinctam, metatarsos flavos &c., valde recedens. Color frontis & thoracis omnino ut in *E. flavipenni* (14). Peristomium nudum. Antennarum seta subnuda. Abdomen obscure cinereum, apice stylis 2 brevibus exsertis nigris. Sed hæc Galliæ & forte etiam Germaniæ incola in Scandinavia hactenus non observata. Ab *E. leucostoma* Meig. genuina quoque nimium differre videtur.

18. *E. fenestrata:* olivaceo-grisea, opaca, fronte concolore; antennis nigris seta subnuda; epistomate parum ampliato, superne subetuberculato, albicante, inferne setuloso; thorace albido-lineato; abdomine oblongo utrinque cinereo-maculato; alis cinereo-hyalinis, obsolete subseptem-guttatis, guttis inæqualibus, segmento costæ 2:do quincuplicem 3:tii longitudinem fere superante; pedibus incano-grisescentibus. ♂♀. (Long. circiter ½ lin.).

Mas: abdominis segmento 4:to 3:tium longitudine fere dupla æquante, 5:to convexo versus apicem sensim angustato, longitudine 4:ti, sexto inflexo lineari-oblongo 5:tum æqvante.

Stenh. Monogr. 181. 11. ♂♀. & p. 269. *Eph. stagnalis* var. b. ♀. Fall. Hydromyz. 5. 5.

Hab. præsertim locis urina humectatis ad domos, passim minus frequens; scilicet in Scania rarissime, Museum Falleni & ipsius; in Smolandia ad Anneberg, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Häradshammar & Jonsberg, ad W. Eneby extra Norrcopiam & albi, D. *Stenhammar*, qui specimina typica communicavit; in Uplandia ad Holmiam,

D. *Wahlberg*, qui primus speciem denominavit; e Dania (ad Hafniam 9 Jul. 1843 in unico specimine inventa) sub nomine: »*Eph.* 4-*guttata* Meig. var." signo interrogationis adjecto a D. *Staeger* communicata. (E Glogavia a D. *Zeller* quoque missa).

♂♀. *Eph. stagnali* (13) paullo minor & angustior, & epistomate albido, thorace grisescente, albido-lineato, alis minus fuscanis, guttis albidis numerosioribus, &c., abunde distincta. A duabus proxime sequentibus, quibus valde similis, colore corporis lætiore, & epistomate magis fornicato, semper albicante, etiam differre videtur. — Minuta. Frons grisea. Antennæ breves, nigricantes. Epistoma modice ampliatum, parum convexum, parce setulosum, peristomio subnudo. Genæ longæ. Thorax supra olivaceo- l. flavescenti griseus, setulosus, antice lineolis 2 in medio approximatis & maculis humeralibus albidis; subtus cinerascens. Abdomen grisescens, in singulo segmento ad latera macula cinerea, quæ cum opposito in dorso sæpe confluit fasciam tenuem formans. Alæ cinereæ, levissime subfuscanæ, in singula guttis subseptenæ albidæ obsoletæ. Harum 5 in disco ordine solito locatæ, quarum 1:ma superior (inter nervos long. 2 & 3) plerumque major, distinctior, quadrata, & 5:ta pone nervum transv. ordinarium lunata; præterea intra apicem duæ aliæ numerantur guttulæ utrinque ad nervum long. 3:tium positæ & cum illo sæpe confluentes; tandem adhuc una l. altera ad marginem interiorem juxta nervum long. 5:tum observatur, sed plerumque obsoletissima, vix conspicienda. Halteres flavi. Pedes nigro-cinerei, tarsis parum dilutioribus.

Obs. Specimen Danicum thoracis dorso flavicante linea media ferruginea, fronte flavicante, & alis magis infuscatis, unde guttæ illæ novem albidæ etiam magis perspicuæ, differt, sed vix specie diversum.

19. *E. cribrata:* nigro-fusca, opaca, fronte concolore; antennis nigris, seta subnuda; epistomate modice

ampliato, parum convexo, superne etuberculato, cinereo-albicante, setuloso; thorace albo-lineato; abdomine ovato utrinque albo-maculato; alis fuscanis, subnovem-guttatis, guttis minusculis inæqualibus, segmento costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem parum superante; pedibus nigricantibus. ♂♀. (Long. circiter ½ lin.).

Mas: abdominis segmentis 4:to 3:tioque subæque longis, 5:to convexo 4:tum dimidio & ultra longitudine excedente, 6:to inflexo, oblongo-triangulari 5:tum æquante.

Stenh. Monogr. 269. 11—12. ♂♀.

Hab. locis urinosis & supra terram nudam humectatam in viis hortisque rarius; ex. gr. in Scania a me semel capta; in Ostrogothia ad Häradshammar; in Uplandia ad Holmiam; mihi a D. *Stenhammar* benevole communicata.

♂♀. Similis præcedenti, sed colore corporis obscuriore, statura paullo latiore præsertimque abdomine magis ovato, genis multo brevioribus parum infra oculos prominulis, alis magis fuscanis guttulisque inde perspicuioribus, satis diversa. — Frons obscura. Antennæ breves, nigræ. Epistoma superne planiusculum, ad latera depressum, infra medium setulosum, totum albido-cinereum. Oculi sat magni. Thorax nigrofuscus, albo-pictus, nempe supra antice lineolis 2 brevibus & utrinque puncto humerali; in disco lineola media unica & versus latera duabus seu utrinque unica abbreviatis; & subtus maculis parvis in pleuris & supra coxas, ornatus. Abdomen ad latera utrinque maculis in singulo segmento duabus parvis, in viva læte albis, in mortua fere evanescentibus. Alæ oblongæ seu apice levissime subacutiusculæ, nec ut in plerisque antecedentibus obtuse rotundatæ, intense fuscanæ, fere nigricantes, ut in *E. stagnali* haud dissimiles. In singula guttæ novem parvæ, distinctæ. albidæ, quarum 7 eodem ordine ac in priori dispositæ, quibus accedunt duæ ad marginem interiorem alæ, scilicet una juxta apicem nervi long. 4:ti, & altera ad apicem nervi 5:ti; præte-

rea adhuc observatur macula decima parva valde obsoleta intra marginem interiorem prope basin alæ. Nervus transversus ordin. ad marginem magis retractus est quam in *stagnali*, & pone hunc macula lunata tenuis (nec crassa) locata. Nervus costalis desinit in summo apice alæ, ubi cum 3:tio longitudinali conjungitur. Pedes nigri, immaculati.

20. *E. caviceps:* nigro-fusca, fronte concolore; antennis nigris, seta nuda; epistomate parum ampliato, haud convexo, medio foveolato-impresso, inferne setuloso, toto cinereo-griseo; thorace albo-lineato; obdomine ovato, utrinque albo-maculato, apice nitido; alis cinerascentibus, obsolete subnovem-guttatis, guttis minusculis inæqualibus; segmento costæ 2:do qvadruplam 3:tii longitudinem subæquante; pedibus nigricantibus. ♂♀. (Long. vix. ½ lin.).

Mas: abdominis segmento 4:to 3:tium breve longitudine fere dupla æqvante, 5:to nitido 4:tum fere superante, 6:to inflexo oblongo-triangulari qvintum longitudine æqvante.

Stenh. Monogr. 270. 11—12. ♂♀.

Hab. in terra nuda humectata prope domos & in viis per Sueciam mediam raro; scilicet in Ostrogothia; in Uplandia ad Holmiam; mihi in provinciis Scandinaviæ meridionalibus non obvia, a D. *Stenhammar* communicata; in Næs (rectius Oestre Ness) Wærdaliæ Norwegicæ individuum masculum omnino illæsum 8 Jul. 1840 inveni.

♂♀. Priori iterum similis, sed adhuc paullo minor, & epistomatis peculiari impressione, alarum colore dilutiore, abdominis apice nitido, &c., mox dignoscenda. Epistoma non convexum, superne & inferne planiusculum, medio distincte & ample foveolatum (foveola vix casu orta), totum cinerascens, in fundo foveolæ grisescens. Pars infra foveolam angusta vix nisi marginem oris parce setulosum efficit. Oculi & genæ ut in priori. Thorax quoque fere omnino ut in præcedente pictus. Abdomen

breviter ovatum, obscurum, in singulo segmento utrinque macula apicali elongata cinerascente. Segmentum saltem 5:tum nitidum. Alæ cinereæ, leviter fuscanæ, guttis albis numero & ordine ut in *Eph. cribrata*, sed in fundo minus saturate infuscato haud perspicuis. Nervus costalis in apice alæ desinit. Halteres flavi. Pedes nigricantes, tibiis tarsisque extus parum cinerascentibus.

21. *E. flavitarsis:* obscure cinerea, opaca, fronte concolore; antennis nigris, seta nuda; epistomate parum ampliato, haud convexo, cano, setuloso; abdomine ovato, nigro, nitido; alis cinerascentibus, obsolete subnovemguttatis, guttis inæqualibus, segmento, costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem subæquante; pedibus nigro-fuscis, tarsis flavis. ♂? (Long. fere $\frac{1}{2}$ lin.).

Ephydr. stagnalis var. c. ♂. Zett. Ins. Lapp. 716. 4.

Hab. in Bottnia boreali, ubi ad villam Johannis Ro 10 milliar. ab urbe Torneå, meridiem versus, distantem, d. 2 Sept. 1821 in unico specimine a me deprehensa.

♂! Similis *E fenestratæ* 18, & *cribratæ* 19, sed a priori abdomine multo breviore, segmento costæ 2:do paullo breviore, a posteriori colore corporis minus obscuro, epistomate adhuc minus ampliato, alis dilutioribus, & ab utraque magnitudine forte nonnihil minore, abdomine nigro, nitido, ut & tarsis flavis, differt. Frons cinerascens, opaca. Antennæ breves. Epistoma minus ampliatum, tantum in medio leviter convexum, superne etuberculatum, subplanum, inferne parce & tenuiter setulosum; totum albido-cinereum l. canum. Genæ brevissimæ. Oculi orbiculares, majusculi. Thorax subimmaculatus, setulosus. Abdomen breviter ovatum, convexulum, nigrum, nitidum. Segmentorum analium singulum singulo antecedentium paullo longius videtur, sed in specimine vetusto rationem veram neque horum neque segmenti 6.ti indagare valeo. Alæ dilute cinereæ, guttis albidis obsoletis numero, figura & situ omnino ut in *E.*

fenestrata. Segmentum vero costæ 2:dum ut in *E. cribrata;* alarum forma & nervus costalis in summo apice desinens ibique cum nervo long. 3:tio conjunctus omnino ut in illa. Nervus transversus medius seu anterior fere apici auxiliaris oppositus l. mox pone apicem ejus ductus; transversus ordinarius ut in *cribrata* ad marginem retractus. Pedes nigro-fusci, tarsis posterioribus totis, anticis basi late flavo-rufis.

22. *E. contaminata:* nigra, subopaca, fronte concolore; antennarum seta nuda; epistomate parum ampliato, haud convexo, albido, setuloso; abdomine ovato, glabro, nitido; alis cinerascentibus, obsolete subocto-guttatis, guttis inæqualibus, segmento costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem fere superante, nervulo transverso medio paullo pone apicem auxiliaris ducto; pedibus totis nigris. ♂. (Long. vix ½ lin.).

Mas: abdominis segmento 5:to 4:ti vix longioris duplam longitudinem æquante, 6:to inflexo, ovato, intra marginem 5:ti comprehenso.

Stenh. Monogr. p. 185.

Hab. in Ostrogothia, D. *Stenhammar*, qui nuper specimen bene conservatum benevole transmisit, declarans, se individua quatuor adhuc possidere, speciemque veram & bonam putare.

♂. A priori, cui valde similis, differt præcipue: magnitudine nonnihil minore, colore corporis & fronte paullo obscuriore, ut & pedibus totis nigris, tarsis parum fuscis, saltem non perspicue flavis. Præterea epistoma magis albidum, fere argenteum, & nervus transversus medius (anterior) paullo longius a basi pone apicem auxiliaris sito quam in *E. flavitarsi*. Antennæ, epistoma, genæ & oculi ut in præcedente. Peristomium antice setulis paucis munitum. Thorax nigricans seu obscure olivaceo-niger, parum nitidus, nec setosus. Abdomen nigrum, niti-

dissimum, glabrum, basi dorsali subopacum. Alæ fere ut in priori. Cinereæ, levissime fuscanæ, in singula guttæ 8 obsoletiores. De harum guttarum ratione Rever. *Stenhammar*, cui post editam Monographiam suam plura exempla comparare licuerit, mihi scribit: "alarum guttæ 8, nempe: interstitii nervorum 2:di & 3:tii *binæ*, altera in medio interstitii altera prope marginem (costalem versus apicem) alæ; interstitii nervorum 3:tii & 4:ti *tres*, prima pone transversum anteriorem (seu medium), altera versus marginem (apicalem) alæ, tertia inter has media; infra nervum longitud. quartum etiam *tres*, prima ante, secunda lunulata pone transversum ordinarium, tertia versus marginem (interiorem) alæ. Sed guttæ tres marginales (inferiores) sæpius obsolescunt. Tum tantum 5 in medio alæ conspiciuntur guttæ". — Nervus costalis in apice alæ desinit. Halteres fusci. Pedes nigri.

23. *E. quadrata:* nigro-fusca, subopaca, fronte concolore; antennis fuscis, seta nuda; epistomate parum ampliato, haud convexo, grisescente, setuloso; thorace albolineato; abdomine oblongo-ovato, æneescenti nigro nitidissimo; alis cinerascentibus, maculis in disco numerosis, majusculis, ovalibus, inæqualibus, fuscis, obsoletis, ad costam qvinque quadratis, distinctioribus, duabusque ad nervum longitudinalem 3:tium rotundatis nigris, segmento costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem superante; pedibus nigris, metatarsis flavescentibus. ♂♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: abdominis apice obtusi segmentis: 4:to 3:tium longitudine paullulum tantum superante, 5:to 4:tum fere dupla excedente, 6:to inflexo, ovali, intra marginem 5:ti comprehenso;

Fem.: abdominis apici acutiusculi segmentis: 4:to 5:toque subæque longis antecedentia longitudine paullo superantibus.

Fall. Hydromyz. 5. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 119. 15. Macq. Buff. 2. 538. 9. Zett. Ins. Lapp. 716. 5. ♂♀. Stenh. Monogr. 182. 12. var. *α.* ♂♀.

Hab. ad ripas fluminum, margines fossarum aqvaticarum, etiam in litoribus marinis, rarius in siccioribus graminosis, per Scandinaviam, 2 Jul.—1 Novemb., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund (in Paradislyckan &c.), Fogelsång, Esperöd & Raflunda (juxta litus maris), frequens; in Smolandia ex. gr. ad Skärsjö; in Ostro- & Westrogothia, haud raro; in Uplandia; in Lapponia parce ex. gr. ad Wittangi Lapponiæ Tornensis; in Dania rarius, D. *Staeger;* in Norwegia ad Christianiam, D. Hortulan. *Moë* 1815.

♂♀. Per picturam alarum insignem, & abdomen totum nigrum, nitidissimum, a præcedentibus optime distingvitur. *E. notatæ* n:o 5 alis albo-nigroque variegatis primo adspectu similis, sed epistomate angustiore, haud convexo neque tuberculato, seta antennarum nuda, nec pectinata, maculis fuscis ad alarum costam quadratis, nec rotundatis, &c., toto cœlo diversa. — Frons fusca, opaca, setulis ordinariis obsita. Antennæ breves nigro-fuscæ, superne in illæsis polline l. pube omnium tenuissima vestitæ, unde "dorso albicantes" in specimine typico Falleniano, quod jam ante oculos habea, ab illustr. Descriptore dicuntur. Epistoma grisescens l. cinerascens, interdum leviter flavescens; parce setulosum, peristomio modice ciliato. Genæ brevissimæ. Thorax dorso olivaceus l. nigro-fuscus, parce setulosus, opacus, albido-pictus, signaturis numero, forma & situ fere ut in *E. cribrata* n:o 19 descriptis. Abdomen ænescenti nigrum, valde lucidum, segmentis 2 basalibus dorso subopacis, 4:to in utroque sexu longiore. Alæ cinereo-albæ, basi subimmaculatæ, intus a nervo longitudinali 2:do usque ad marginem interiorem alæ undique maculis (in singulo interstitio circiter tribus) oblongis l. rotundatis, inæque magnis, fuscis, obsoletioribus præsertim versus marginem interiorem, ubi interdum fere evanescunt. In interstitio costali inter nervum costalem & longitudinalem 2:dum maculæ plerumque 5 magis regulares, quadratæ, saturatius brunneæ cum todidem albis ejudem formæ alternantes,

Præterea duæ maculæ minores semirotundatæ eminentiores fuscæ medio nervi longitudinalis & mox supra nervum transv. ordinarium adhærent, modice remotæ, & denique punctum fuscum in nervo transverso medio. Nervi transversi: medius apici auxiliaris fere oppositus; ordinarius modice ad marginem alæ retractus, infra quem longitudinalis 5:tus oblique continuatur non usque in summum marginem extensus. Nervus costalis apicem alæ cingit & pone apicem cum longitudinali 4:to conjungitur. Halteres fusco-testacei. Pedes nigri, tarsis præsertim posticis basi plus minus late ferrugineo-flavis. — Difficultas hanc speciem typicam a sequente valde affini distingvendi, nisi singulæ partes plene & adcurate afferuntur, longam illam descriptionem justificabit.

Varietates sequentes præcipue annotari merentur:

a. alarum maculis costalibus 5 brunneis, & punctis ad nervum 3:tium 2 fuscis minutis l. parvis; metatarsis anterioribus testaceis, posticis flavis.

b. alarum maculis costalibus 4 brunneis majusculis, & punctis ad nervum 3:tium 2 fuscis mediocribus; metatarsis ut in var. a pictis. Suecia & Lapponia.

c. alarum maculis costalibus ut in a. & b., tarsis rufo-ferrugineis, articulis ultimis fuscis.

d, alarum maculis costalibus ut in a., tarsis anticis nigris, posterioribus flavo-ferrugineis, apice fuscis;
conveniunt hæ omnes punctis ad nervum longit. 3:tium nigricantibus tantum binis, & tarsorum basi plus minus distincte flavescentibus.

21. *E. Stenhammari:* nigro-fusca, subopaca, fronte concolore; antennis fuscis, seta nuda; epistomate parum ampliato, haud convexo, grisescente, setuloso; thorace albo-lineato; abdomine oblongo-ovato, æneseenti nigro, limbo nitidissimo; alis cinerascentibus, maculis in disco numerosis, majusculis, ovalibus, inæqualibus, fuscis, obsoletis, ad costam quinque quadratis, distinctioribus, tribus-

que ad nervum longitudinalem 3:tium rotundatis nigris; segmento costæ 2:do quadruplam 3:tii longitudinem superante; pedibus totis nigris. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Mas & femina ut in priori discrepant.

Eph. quadrata var. *β.* Stenh. Monogr. 182. 12. — (Sub nomine *Eph. Meleagris* nov. sp. in collectione mea hactenus asservata & forte sub eodem nomine inter Amicos entomologicos olim etiam divulgata).

Hab. cum præcedente, passim, præsertim versus autumnum (20 Jul.—20 Sept.) observata; scilicet in Scania ad Lùnd, Esperöd &c., haud raro; in Smolandia D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Lärketorp &c., non parce; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal, D. *Dahlbom*; in Lapponia raro.

♂♀. *Eph. quadratæ* primo adspectu simillima videtur, sed magnitudine nonnihil minore, pedibus totis nigris, nec tarsis flavicantibus, & præcipue maculis seu punctis ad nervum longitudinalem 3:tium latere inferiore tribus, nec duabus, nigricantibus, constanter differt, quare, Cel. Ephydrinarum Monographiæ Auctore quoque annuente, ut speciem distinctam consideravi. — Caput ut in priori. Antennæ nigræ. In fronte ad antennarum basin utrinque sæpe observatur punctum albidum, cujus in *E. quadrata* quoque interdum vistigium. Thorax ut in præcedente pictus. Abdomen etiam ut in illa subænescenti nigrum nitidissimum, superne disco dorsali opaco. Alæ quoad nervorum directionem & picturam quoque omnino ut in *E. quadrata*, sed maculæ fuscæ plerumque saturatiores, ita ut fundum fuscanum maculis parvis, sparsis, albis notatum dicere posses. Maculæ ad costam quadratæ (apicalis triangularis) 5 (in uno specimine 6) distinctæ, brunneæ, cum totidem nonnihil minoribus, albis, ejusdem formæ, alternantes. Puncta tria (præter punctum in nervo transverso medio) ad nervum long. 3:tium mediocriter magna, rotundato-subquadrata, nigro-fusca, perspicua.

25. *E. noctula:* griseo-cinerea, opaca, fronte concolore; antennis fuscis, seta nudiuscula; epistomate parum ampliato, haud convexo, cano, setuloso; thorace ferrugineo-bilineato; abdomine ovato, æneescenti nigro, nitidissimo; alis fuscis, maculis numerosis inæqualibus, difformibus, albis; pedibus nigricantibus, tarsis basi testaceis. ♂. (Long. ½ lin.).

Mas: abdominis apice obtusi segmentis: 4:to 3:tioque breviusculis subæque longis, 5:to 4.tum longitudine fere dupla excedente, 6:to inflexo.

Meig. Dipt. 6. 119. 14? Macq. Buff. 2. 537. 8?

Hab. in Suecia rarissime; ut patriæ incola in collectione mea asservata, sed locus specialis non indicatus.

♂. Affinis *E. flavitarsi*, 21, sed alarum thoracisque pictura &c., dignota. Similis quoque *E. quadratæ*, 23, thoracis vero colore lætiore, alis aliter pictis &c., abunde diversa. Frons cana, opaca, maculis l. lineolis longitudinalibus duabus ferrugineis. Antennæ fuscæ. Epistoma albidum l. canum, lineola media longitudinali tenui ferruginea, fere ad aperturam ani continuata. Thorax totus cinereus l. canescens, opacus, parce setulosus, supra antice lineolis 4 ferrugineis, quarum 2 mediis distinctioribus, ad medium continuatis, & 2 lateralibus angustioribus valde abbreviatis vix nisi certo situ conspicuis; subtus maculis pectoralibus ferrugineis. Abdomen breviter ovatum, convexum, subæneescenti nigrum, nitidissimum, disco antico (segmentis 1 & 2) subdepresso, subopaco. Alæ fusco-brunneæ, maculis in singula circiter 15 albis, aliis majoribus aliis minoribus, quadratis aut subrotundis, quibusdam difformibus; harum vero una in latere superiori nervi longit. 3:tii sat magna, altera sub hac in interstitio nervorum longitudinalium 3 & 4 magis dilatata, & tertia iterum sub media pone nervum transversum ordin. locata lunata, insigniores, omnes tres subconfluentes fasciam transversam inæqualem albam paullo pone medi-

um alæ l. mox pone nervum transv. ordinar. leviter infuscatum, formantes. E reliquis maculis albis quædam minutæ punctiformes versus basin alæ locatæ, 2 ad apicem utrinque juxta nervum long. 3:tium, oppositæ, obliquæ, & 3 oblongæ in interstitio angusto inter nervum costalem & longitudinalem secundum, magis eximiæ & determinatæ. Insuper nervorum directio omnino ut in *E. quadrata* descripta, præter quod nervus costalis in apice alæ desinere, & longitudinalis 2:dus in medio levissime flecti (an fortuito?) videtur. Halteres flavi. Pedes nigro-fusci, tarsis rufo-ferrugineis apice anguste obscurioribus.

Obs. Dum Clar. *Meigen* suam *E. noctulam* epistomate valde *fornicato* (tale etiam *E. quadratæ* tribuit, & quale quoque dici potest ratione habita ad epistomatis formam in *Notiphilis*, quarum plures species D. *Meigen* ad *Ephydras* retulit) & antennarum seta *villosa* (vocabulum tamen, quod apud hunc Auctorem sæpe sane improprie usitatur) describit, non sine scrupulo synonymiam Meigenianam alligavi. Tarsorum colorem silentio præterivit. Descriptio vero picturæ thoracis alarumque in nostram omnino cadit. Nec *Eph. irrorata* Macq. & Meig. a nostra *noctula* multum abludere videtur.

---

140. NOTIPHILA Fall.

Corpus minoris l. minutæ magnitudinis, oblongum l. ovale, parce pilosum. Antennæ breves, deflexæ, aut subporrectæ, articulo ultimo ovali l. ovato, compresso, basi seta dorsali aut superne distincte pectinata, aut pubescens, aut tota nudiuscula. Caput transversum, supra planiusculum, antice perpendiculare. Frons lata, posterius setosa, setis utrinque in orbitis oculorum 2—4—6, & in puncto stemmatum, 2, obsita. Epistoma modice latum l. subangustatum, nec ampliatum, nec transversim æque convexum, in medio plerumque longitudinaliter carinatum, carina utrinque sulculo inclusa, totum nudiusculum. Peristomium (apertura oris) mediocre l. parvum, coarctatum, apice inflexum margine antico omnium levissime subemarginato sive

retuso. Oculi parvi, altitudine verticis, in viva brunnei, æneomicantes. Palpi dilatati, inclusi. Prælabrum æqvilatum, sæpe parum prominulum, a margine peristomii paullo remotum, nec vi arcte applicatum. Mystaces nullæ vel in majoribus spuriæ seu in setula utrinque unica parva constantes; sed setulæ vibrissinæ utrinque 3—6 breves, tenues, plus minus distinctæ. Abdomen oblongo-ovale, plerumque depressum. Alæ incumbentes, abdomine longiores, nervis transversis sæpius sat late remotis. Nervi longitudinales recti, semper simplices: 2:dus sæpe quam in *Ephydra* brevior; 3 & 4 aut paralleli aut versus apicem divergentes, horum 3:tius plerumque in summo alæ apice, 4:to paullo pone apicem excurrens. Nervus costalis in apice jam longitudinalis 3:tii, jam 4:ti, desinit. Nervi transversi: medius sæpius auxiliaris apici oppositus, ordinarius ad marginem interiorem plus minus retractus, obliquus. Squamarum rudimentum. Pedes simplices. *Color* sæpissime cinerascens, raro nigricans aut ænescens; *pictura* vix ulla. *Motus:* libenter repens; volatus brevis. *Habitatio* in paludosis & graminosis, interdum nuda terra, raro in siccis; ad fossas aqvarum, ripas lacuum &c., & litora marina. *Larvæ* plerarumque Notiphilarum, uti etiam Ephydrinarum, in plantarum aquaticarum caulibus metamorphosin subeunt. *Differentia sexus; mas:* ano plerumque obtusiore, rotundato, femoribus intermediis subtus interdum barbatis; *femina:* ano acutiusculo, femoribus subtus semper nudis; præterea secumdum rationem segmentorum analium diversam in diversis speciebus adcuratius distingvitur sexus. — *Notiphilam annulatam* ab hoc genere separavi & ad *Geomyzam*, cui certe affiniorem, retuli, admonente D. *Stenhammar.* — Typi generis: *N. cinerea*, *griseola*, *ænea*, *punctato-nervosa*, *flavipes.*

Species hujus generis, *Drosophilæ* in familia *Geomyzidum* valde affines & in multis, ut antennarum pectinatura, directione nervorum in alis, parvitudine &c., convenientes, sed epistomatis convexitate & structura atque prælabro magis evoluto præcipue discrepantes, hodie sat numerosæ, sequenti modo dispesci possunt:

Sect. 1:ma. Alarum nervus costalis in apice alæ desinens ibique cum apice longitudinalis tertii conjunctus.

Antennæ seta ordinaria pectinata spinulaque in apice superne articuli 2:di. Prælabrum apice prominulum. Vibrissæ utrinque circiter 3—4, raro plures, ab ore serie longitudinali vix ad dimidium epistomatis assurgentes. Abdominis segmenta subæque longa. Alæ lobulatæ. Nervi longitudinales: 2:dus subelongatus, apice rectus; 3:tius 4:tusque versus apicem divergentes; transversi remotiores: horum medius auxiliaris apici oppositus, ordinarius ad marginem interiorem sat prope retractus. Spinula costæ ad exitum nervi auxiliaris gemina *). In suo genere majores.

A. Nigro-fusca, ano maris appendiculato. *Dichæta* Meig.

1 *caudata* Fall. ♂♀.

B. Cinerascentes l. grisescentes, ano maris absque appendice. *Notiphila* Meig.

*) epistomate lutescente l. flavido-griseo.

2 *cinerea* Fall. ♂♀. 3 *riparia* Meig. ♂♀. 4 *major* Stenh. ♀ (*N. cinerea* var. b. Zett. Ins. Lapp. ♀). 5 *dorsata*

---

*) Dum notæ, ex *faciei proportione latitudinis ad longitudinem* diversa desumtæ, mihi sæpe nimis exqvisitæ & in his speciebus minutis subtiles, nec semper satis limitatæ utpote per gradus una in alteram non raro abiens, ita ut dicere vix possis ubi hæc l. illa cesset, ideoque vacillantes, visæ sunt, ex aliis partibus, me judice magis determinatis & certe oculis facilius oblatis pro Sectionibus Subdivisionibusque stabiliendis elegere conavi. Proportionem interea hanc, quando qvantumque determinari potuerit, nullibi in descriptione afferre neglexi.

Stenh. ♂♀. 6 *guttiventris* Stenh. ♂♀. 7 *annulipes* Stenh. ♂♀. 8 *maculata* Stenh. ♂♀. 9 *tarsata* Stenh. ♂♀. 10 *nigricornis* Stenh. ♂♀.

**) episiomate argenteo.

11 *stagnicola* Macq. ♂♀.

Sect. 2:da. Alarum nervus costalis paullo pone apicem alæ desinens ibique cum qvarti longitudinalis apice conjunctus.

Antennæ seta aut pectinata aut subnuda, spinula in apice articuli 2:di aut obsoleta aut nulla. Alarum nervi transversi plus minus distantes, horum medius auxiliaris apici oppositus; ordinarius plerumque nonnihil longius a margine interiore alæ remotus, quam in Sectione 1:ma, & aut in medio, aut sæpissime ante medium areæ mediæ insertus. *)

A. Seta antennarum pectinata (*N. picta* var. seta breviter radiata in subdivisione B. sub n:o 46 quærenda).

Epistoma esulcatum in medio longitudinaliter parum convexum, limbo laterali angustissimo depresso. Prælabri apex sæpissime haud prominulus. Setulæ vibrissinæ paucæ, minutæ. Orbitæ oculorum evanidæ. Abdominis recti dorso convexi segmenta inæqualiter longa. Alarum lobulæ parvæ. Spinula costa vix ulla. Minores aut minutæ. *Hydrellia* Auctor. rencentiorum.

---

*) Per *aream mediam* seu *apicalem* intelligo totum interstitium nervorum longitudinalium 3:tii 4:tique pone transversum ordinarium. E nervi vero transversi ordinarii situ aut *ante*, aut *pone medium* areæ, determinatur (secundum *Stenhammar)* mensuræ ratio segmentorum 2:di & 3:tii in nervo longitudinali qvarto. Conferantur notæ paginis 947 & 1809 hujus operis.

α). Segmentum alarum costæ 2:dum 3:tio plus minus manifeste longius, h. e. nervus longitudinalis secundus longiusculus paullo propius versus apicem alæ in costa eductus. (In *N. griseola* 12, *incana* 13, *chrysostoma* 14, *flavicorni* 15, *albifronte* 16, *mutata* 17, *geniculata* 19, *cinerella* 22, *glaucella* 23, *obscurella* 24, *pallidula* 25, *nigrina* 26, & *plumosa* 27, tarsi l. toti l. saltem basi flavi; in *N. pilitarsi* 21, coxæ anticæ flavo-testaceæ; in omnibus reliquis hujus subdivisionis pedes toti nigri l. nigricantes. Color palporum in plerisque si non in omnibus flavus).

12 *griseola* Fall. ♂♀ (vix Meig.). 13 *incana* Stenh. ♂♀ (*N. griseola* Fall. ♀). 14 *chrysostoma* Meig. ♂♀. 15 *flavicornis* Fall. ♂. (*N. erytrostoma* Meig. *N. nigripes* Stenh.). 16 *albifrons* Fall. ♀. 17 *mutata* Zett. ♂♀ (*N. plumosa* Stenh. non Fall., forte *N. griseola* Meig.?). 18 *concolor* Stenh. ♂♀ (*Hydrellia cinerascens* Macq.? ♀). 19 *geniculata* Stenh. ♂♀. 20 *cæsia* Stenh. ♂♀ (*N. obscura* Meig. var.?). 21 *pilitarsis* Stenh. ♂♀. 22 *cinerella* ♂ (*Psilopa cinerella* Stenh.). 23 *glaucella* ♂♀ (*Psilopa glaucella* Stenh.). 24 *obscurella* Fall. ♂♀. (*Psilopa obscurella* Stenh.). 25 *pallidula* ♀ (*Psilopa pallidula* Stenh.). 26 *nigrina* Meig. ♂♀ (*Psilopa nigrina* Stenh.). 27 *plumosa* Fall. ♂♀ (*Psilopa longula* Stenh.). 28 *flaveola* Meig. ♀.

β). Segmenta alarum costæ 2:dum & 3:tium aut subæque longa, aut 2:dum 3:tio paullulum tantum (saltem non sesquiplo) longius h. e.

nervus longitudinalis secundus breviusculus paullo remotius ab apice alæ excurrens. (In *N. fuscella* 29, *argyrostoma* 31, *fusca* 32 & *nigripede* 38, pedes sunt toti nigricantes aut nigro-fusci; in reliqvis hujus subdivisionis pedes ad partem maculati h. e. plerumque tarsis vel saltem metatarsis imprimisque posticis l. posterioribus, flavo-testaceis, testaceis, aut dilute obscure ferrugineis).

†. Vibrissæ utrinque 2, nec plures. *Psilopa* Stenh.

29 *fuscella* ♂♀ (*Psilopa fuscella* Stenh.). 30 *glabricula* Fall. ♂♀ (*Psilopa* Stenh.). 31 *argyrostoma* Stenh. ♂♀ (*N. albilabris* Meig.? *Discocerina albilabris* Macq.?).

††. Vibrissæ utrinque 3 l. 4 plerumque 5. (Sect. *Hydrellia* Stenh.)

32 *fusca* Stenh. ♂♀. 33 *Nymphеæ* Stenh. ♂♀. 34 *grisea* Stenh. ♂♀. 35 *laticeps* Stenh. ♂♀. 36 *discolor* Stenh. ♂♀. 37 *fulviceps* Stenh. ♂♀. 38 *nigripes* Zett. ♂♀ (*N. flavicornis* Stenh. non Fall.). 39 *nigricans* Stenh. ♂♀ (*Hydrellia maura* Meig.?). 40 *flavilabris* Stenh. ♂♀. 41 *lapponica* Stenh. ♀.

B. Seta antennarum nuda aut nudiuscula (in *N. picta* (46) seta breviter subradiata).

Epistoma lineola impressa circumscriptum. Setulæ vibrissinæ utrinque paucæ, exiguæ. Spinula in apice antennarum articuli 2:di nulla. Orbitæ oculorum tenues, sed manifestæ. Abdomen basi saltem parum convexum. Alarum nervi: longitudinales, 2:dus apice plerumque leviter incurvatus, 3:tius 4:tusque pone transversum ordinarium sæpisssime paralleli; trans-

versi plus minus in disco approximati, horum medius seu anterior mox pone apicem nervi auxiliaris ductus, & ordinarius versus medium alæ a margine interiore remotior situs. Spinula costæ nulla. ***Philygria*** & ***Telmatobia*** Stenh.

a). Epistoma subangustatum, esulcatum. Prælabrum inclusum. Nervi longitudinales 4 & 5 ad transversum ordinarium breviusculum leviter incurvati, horum 5:tus non ad marginem interiorem extensus. ***Philygria*** Stenh. ***Mas:*** abdominis segmento 6:to ovato intra marginem incurvatum 5:ti comprehenso, apertura ani basi 6:ti introrsum elongata. ***Minutæ*** aut ***Minutissimæ.***

*. Alæ cinereo-hyalinæ immaculatæ. (*N. nigricauda* nervis transversis angustissime infuscatis, in serie altera **. sub n:o 52 invenienda).

42 *abdominalis* Stenh. ♂♀. 43 *punctulata* Stenh. ♂♀. 44 *trinervis* Stenh. ♀. 45 *brevicornis* Stenh. ♂♀ (sub *N. guttata* var. b). 46 *picta* Fall. ♂♀ (*Ephydra picta* Meig. *Notiphila pullula* ♀ Fall.).

**. Alæ cinereo-hyalinæ l. sordide albidæ, aut nervis transversis simpliciter infuscatæ (in *N. nigricauda* 52, levissime infuscatæ), aut disco parce & obsoletissime guttatæ, vel crebrius & distinctius fusco-punctatæ, aut denique interstitio nervorum costali vel interiori marginali sæpe valde obsolete maculatæ. *Ephydra* Meig.

47 *guttata* Fall. ♂♀. 48 *flavipes* Fall. ♂♀ (*Hydrellia flavipes* Macq.). 49 *femorata* Stenh. ♂♀ (*N. flavipes* var. *β.* Fall.). 50 *interstincta* Fall. ♂. 51 *punctato-*

nervosa Fall. ♂♀. 52 *nigricauda* Stenh. ♂♀ (*Ephydr. posticata* Meig.?). 53 *vittipennis* Zett. ♂♀.

b). Epistoma latum, utrinque leviter sulcatum Prælabrum apice prominulum. Abdomen apice subincurvum, segmentis subæque longis. Nervi longitudinales 4 & 5 ad transversum ordinarium modice latum vix incurvati, horum 5:tus fere usque ad marginem interiorem extensus. *Telmàtobia* Stenh. *Ephydra* Meig. *Mas:* abdominis segmento 5:to planiusculo subtriangulari apice obtuso, 6:to inflexo, lineari-oblongo, convexo-carinato, apertura ani ad basin segmenti 6:ti sita. In hoc genere *mediocres*, nitidæ, plerumque ænescentes, *Psilopis* appropinquantes. Typus seriei: *N. ænea.*

54 *ænea* Fall. ♂♀. 55 *ænescens* Stenh. ♂♀. 55 *guttipennis* Stenh. ♂.

Notiphila.

Sect. 1:*ma*. Alarum nervus costalis in apice alæ desinens ibique cum tertii longitudinalis apice conjunctus.

Antennæ seta ordinaria pectinata spinulaque in apice superne articuli 2:di. Prælabrum apice prominulum. Vibrissæ utrinque circiter 3—4 (raro ultra) ab ore serie longitudinali vix ad dimidium epistomatis assurgentes. Abdominis segmenta subæque longa. Alæ lobulatæ. Nervi longitudinales: 2:dus subelongatus, apice rectus; 3:tius 4:tusque versus apicem divergentes: transversi remotiores; horum medius auxiliaris apici oppositus, ordinarius ad marginem interiorem sat prope retractus. Spinula costæ ad exitum nervi auxiliaris gemina. In suo genere majores.

A. Nigro-fusca, ano maris appendiculato. *Dichæta* Meig.

1. *N. caudata:* obscure olivacea, opaca; epistomate sordide lutescente; antennis, abdomine nitido apice setoso, pedibusque, nigris, tarsis flavis; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario leviter infuscato. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis segmentis: 4:to margine apicali longæ setoso, 5:to in conum recurvum extenso setis 2 recurvis terminato; 6:to ovato, apertura ani prope posita;

Fem.: abdominis segmentis: 4:to, 5:toque simplici, margine apicali parce setosis: 6:to brevi, annulato.

Fall. Act. Holm. 1813. p. 249. 1. ♂. Hydromyz. 1823, 8. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 717. 2. ♂♀. Stenh. Monogr. 194. 1. ♂♀. *Dichaeta caudata* Meig. Dipt. 6. 61. 62. ♂♀. *Dichoeta* Macq. 521. ♂♀.

Hab. in graminosis humidis, libenter locis umbrosis, ad aqvas stagnantes, rivulos, ripas lacuum, etiam in litoribus marinis, per Scandinaviam, Jun. & iterum Aug. Sept., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Tranås, Tungbyholm, Esperöd &c., frequenter; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia Gusum, Wadstena & pluribus aliis locis, sed ad Lärketorp (in paroecia Mjölby) in prato Benängen ad rivulum loco umbroso 8 Sept. 1815 specimina ex utroque sexu in magna copia deprehendi; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia ex. gr. ad Uppbo; in Helsingia ad diversorium Kårböle freq., D. *Dahlbom;* in Bottnia boreali ad Johannis Ro Sept. 1821, ipse; in Lapponia Lulensi ad Jockmock 1813, D.D. *Wahlberg & Boheman;* in Lapp. Tornensi, ipse; in Dania circa Hafniam freq., D. *Staeger.* (E Finlandia a D. *Sahlberg*, e Glogavia a D. *Zeller* & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*,

missa. Ex Austria ♂ a D. *Andersch* ante plures annos communicatus in Museo beati *Fallèn* asservatur).

♂♀. Per maris appendicem ani & setas caudales valde singularis & eximia species; sed femina notis nullis essentialibus a ceteris *Notiphilis* recedit, quare in hoc genere maneat. Opaca. Frons brevis, obscure fusca, setis validis armata. Antennæ nigro-fuscæ, articulo ultimo luteo-pollinoso, seta radiis haud crebris (circiter 8) elongatis. Epistoma sordide lutescens. Vibrissæ utrinque 2 præter setam distinctam utrinque ad os loco mystacis. Peristomium nudum. Genæ mediocres. Oculi magni. Thorax nigricans, dorso fusco l. obscure olivaceo, lineis 3 saturatioribus, obsoletis; supra & lateribus parce, sed fortiter setosus. Scutellum nigrum, apice bisetosum. Abdomen nigrum, nitidum, tenuiter pubescens. In maris segmento 4:to totus margo apicalis ornatus setis circiter 10, ultra segmentum longitudine saltem tripla extensis, leviter arcuatim declinatis, appendicem superantibus & tegentibus sat validis atris. Sub hac semicirculari setarum serie extenditur segmentum 5:tum in conum recurvum, nudum, nigrum, cujus apex setis 2 sursum flexis & setas segmenti 4:ti supra positas fere attingentibus, terminatur. Feminis hic apparatus appendiceus omnino deest & segmenta 4 & 5, in iis simplicia margine apicali tantum setis paucis prædita ut in *N. riparia* n:o 3. Alæ hyalinæ leviter fumatæ. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere duplo longius; 3:tum 4:tumque fere æque longa. Nervi longitudinales 3 & 4 pone transversum ordinarium versus apicem manifeste divergunt. Nervus transv. ordinar. distincte pone medium areæ mediæ insertus, apici longitudinalis 2:di fere oppositus, l. paullo ante ductus. Halteres flavi. Pedes nigri, tarsis luteo-flavis.

B. Cinerascentes l. grisescentes, ano maris absque appendice.

Mas: abdominis segmento 5:to convevexo-inflexo; 6:to elongato, ovato, intra marginem 5:ti comprehenso; apertura ani prope apicem 6:ti retracta; femoribus

intermediis subtus sæpe ciliatis; *femina:* abdominis apice acutiusculo, segmento 6:to brevi, annulato; femoribus intermediis subtus breviter pubescentibus, nunquam ciliatis. *Notiphila* Meig. Macq.

*) epistomate lutescente aut flavido-griseo.

2. *N. cinerea:* flavescenti grisea, epistomate lutescente; palpis flavis; antennis nigricantibus, medio testaceis; abdomine maculis in singulo segmento utrinque binis ovalibus basi subconfluentibus dilute fuscis; alis cinereo-hyalinis; pedibus nigro-cinerascentibus, geniculis, tibiis tarsisque testaceis, horum articulo ultimo obscuro. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: femoribus intermediis subtus ab apice ad medium breviter ciliatis.

Fall. Act. Holm. 1813. 250. 2. ♂♀. Hydromyz. 8. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 64. 1. Macq. Buff. 2. 521. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 717. 1. ♂♀. Stenh. Monogr. 200. 5. ♂♀. figg. 11—15 (caput, abdomen, ala & antenna; exactissime delineata).

Hab. in pratis humidis & paludosis ut & ad ripas fluminum & litora maris, (præcipue in Caricetis & Arundinetis), per Scandinaviam, 20 Jun.—15 Sept., vulgaris; scilicet in Scania ubique; in Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, passim copiose; in Ölandiæ & Gottlandiæ (ex. gr. ad Gothem, Nähr, Fårön &c) litoribus marinis, haud parce; in provinciis magis borealibus rarius occurrit & intra Lapponiam vix nisi rarissime obvia; ex Hafnia ut Daniæ frequens incola a D. *Staeger* missa. (Ad Hamburgurgum, ut etiam ad Eldena prope Gryphiam jam 28 Maj. a D. *Dahlbom* lecta. E. S:t Sever Galliæ a

D. *Leon Dufour* sub nomine: »*Not. cinerea* Fall. *Keratocera palustris* Rob. Desv.« nuper quoque communicata).

♂♀. In hoc genere major, sed magnitudine variat. Subtus cinerascens, supra grisescens l. griseo-flavescens, tota opaca. Frons fusco-grisea, setis ordinariis instructa. Antennæ obscuræ, articulo ultimo ad dimidium circiter oblique testaceo, seta longe pectinata, radiis circiter 8. Oculi mediocres, rotundi. Epistoma subæque longum & latum, dilute lutescens, vibrissis utrinque 3 l. 4 minutis, vix ad medium epistomatis assurgentibus. Peristomium nudum. Genæ longæ. Prælabrum cinereum. Palpi flavi. Thorax dorso griseus, parce setosus, macula l. lineola media abbreviata ferruginea interdum ornatus. Abdomen ovale, lateribus & postice setulosum, totum cinerascens, maculis in singulo segmento binis, subovalibus, interioribus majoribus, ambis dilute brunneis, basi subconfluentibus. Hæ vero maculæ in segmentis 3 & 4 plerumque magis perspicuæ. Alæ dilute cinereo-hyalinæ. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo longius. Nervus transv. ordinarius perpendicularis. Squamæ minutæ. Halteres flavi. Pedes cum coxis nigro-cinerei, geniculis, tibiis tarsisque testaceis, horum articulo ultimo plerumque obscuriore. Tibiæ parcissime setulosæ. In medio tibiarum posticarum præsertim extus vestigium annuli latiusculi fusci, sæpissime adest.

3. *N. riparia:* flavescenti grisea; epistomate lutescenti griseo; palpis flavis; antennis sordide testaceis; abdomine maculis in singulo segmento utrinque binis subinæqualibus punctisque minutis, nigro-brunneis subnitidis; alis cinereo-hyalinis; pedibus nigricantibus, genuculis, tibiis tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: femoribus intermedis subtus ab apice ad medium breviter ciliatis.

Meig. Dipt. 6. 65. 2. & 7. 372. 2. T. 71. 39. (male colorata). — Macq. Buff. 2. 522. 2. Stenh. Monogr. 201. 9. ♂♀.

Hab. ad margines aquarum, ripas lacuum & litora marina, libenter in Arundinetis, per Scandinaviam cum priori, passim; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Esperöp &c, haud raro; in Blekingia ad Carlscrona, D. *von Borck;* in Ostrogothia præprimis litorali, D. *Stenhammar* (a quo specimina typica missa); in Westrogothia ad Gothoburgum; in Uplandia ad Holmiam; e Dania ut ibi frequentem incolam ex utroque sexu a D. *Staeger* obtinui.

♂♀. Priori simillima & valde affinis, sed magnitudine plerumque paullo majore, epistomate nonnihil longiore, quam lato, seta antennarum crebrius pectinata, radiis circiter 14, tarsis totis testaceis, nec articulo ultimo obscuriore, oculis paullo magis oblongis, orbita angustiore, epistomate forte magis griseo minusque lutescente, genis nonnihil brevioribus, thoracis dorso semper immaculato, & præcipue atque constanter antennis totis rufescenti l. sordide testaceis summo apice tantum leviter infuscato, satis superque dignota. Præterea abdominis maculæ brunneæ magis obscuræ & certo luminis situ subnitentes. Insuper infra has maculas brunneas ad marginem apicalem segmentorum 3:tii & 4:ti punctula observantur minutissima ejusdem coloris, e quorum singulo seta erumpit. Denique totus abdominis apex setulosus, haud aliter ac in femina *N. caudatæ* n.o 1. Nervus transversus ordinarius sæpe leviter infuscatus. Tibiæ præsertim posticæ in medio rudimento annuli fusci plerumque gaudent. Alæ, in primis nervi, forte paullo magis flavescunt, quam in *N. cinerea*, cum qua præter jam excepta convenit.

4. *N. major:* cinerascenti grisea, epistomate paullo lætius concolore; palpis flavis; antennis nigricantibus, medio sordide testaceis; abdomine cinereo, immaculato; alis flavicanti hyalinis; pedibus cinereo-nigris, geniculis omnibus tarsisque posterioribus testaceis. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Stenh. Monogr. 196. 2. ♀. *Not. cinerea* var. b. ♀. Zett. Ins. Lapp. 717. 1. certe.

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; duo tantum individua hactenus, quantum noverim, detecta, unum nempe in Lapponia Tornensi ad Karesuando loco uliginoso prope ædes Sacerdotis d. 15 Aug. 1821 a me, & alterum in Dalecarlia ad Särna nuperius a Profess. *Boheman*, iuventum.

♀. Magnitudine majore, genis elongatis, abdomine immaculato, ano distincte acuminato, alis pallescentibus, tibiis nigricantibus, ab affinibus facile & vere dignoscitur. — Tota opaca, grisea. Frons latissima, setis ordinariis. Antennæ breves, nigricantes, articulo ultimo luteo-pollinoso, basi indeterminate sordide flavido. Seta ordinaria longe & circiter 10—12 radiata. Setula in apice articuli antennarum 2:di adest minuta. Epistoma latitudine vix longius, læte grisescens, nudum præter setulas tres vibrissinas tenues utrinque & setulam nigram utrinque in sinu genarum mystacinam mentientem. Peristomium nudum. Prælabrum cinereum. Palpi clavati, flavi, in specimine meo ob proboscidem pendulam exserti. Oculi parvi, rotundati l. subovales, subdepressi, saltem non prominuli. Orbitæ mediocres. Genæ insolito elongatæ. Thorax & scutellum immaculata, parce setosa. Abdomen oblongum acuminatum, ano compresso; totum cinereum, immaculatum, breviter pubescens, pubescentia versus apicem longiore, sed non in setas distinctas abiente. Alæ nervis saltem flavescentes. Nervi ut in *N. cinerea* & *riparia* directi, sed segmentum costæ 2:dum 3:tio fere triplo longius. Halteres flavi. Pedes nigricantes, geniculis flavis. Trochanteres ferruginei. Tarsi antici articulorum basi picei; posteriores obscure rufo-testacei, apice nigricantes. Tibiæ intermediæ apice etiam rufescunt.

5. *N. dorsata:* griseo-lutescens, epistomate concolore; palpis flavis; antennis nigricantibus, medio subtus sordide testaceis; thorace linea media ferruginea; abdo-

mine griseo, macula in singulo segmento utrinque unica bipartita fusca: alis cinereo-hyalinis; pedibus cinereo-nigris, posteriorum tibiis tarsisque sordide testaceis, annulo tibiarum posticarum nigricante. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: femoribus intermediis subtus ab apice & fere ultra medium breviter ciliatis.

Stenhamm. Monogr. 198. 4. ♂♀.

Hab. in plantarum aquaticarum foliis natantibus in Suecia minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd mihi raro obvia; in Ostrogothia ad Häradshammar & Gusum, D. *Stenhammar*, qui exempla ex utroque sexu mecum benevole communicavit; in Uplandia ad Holmiam quoque lecta.

♂♀. Similis *N. cinereæ*, 2, ejusque magnitudine, sed thoracis linea media ferruginea annuloque tibiarum posticarum fusco plerumque distinctioribus, antennarum articulo ultimo basi subtus (saltem in mortuis) fusco-testaceo, nec flavo-testaceo, tibiis tarsisque posterioribus sordide, nec pure, testaceis, ut & præsertim tibiis tarsisque anticis femoribus fere concoloribus seu fuscescenti cinereis, differt. A *N. guttiventri*, 6, cui quoque similis, antennis medio obsoletius & angustius, testaceis, setæ radiis paucioribus nempe circiter 8, nec circiter 12, ut & tibiis tarsisque anticis obscuris, nec testaceis, præcipue distingvitur. — Tota opaca. Caput lutescens. Frons modice lata, setis ordinariis. Antennæ nigræ, articulo 3:tio basi subtus plerumque obscure testaceo, radiis setæ 8—10. Oculi mediocres, rotundati. Epistoma, vibrissæ, genæ, peristomium, palpi & prælabrum ut in *N. cinerea*. Thorax setosus, supra lutescens, subtus griseus. Abdomen ovale, pubescens, vix setulosum, griseum, macula in singulo segmento unica, brunnea, bilobata, lobo interiori longitudine fere segmenti, exteriori versus latus abdominis brevi. Hæ vero signaturæ, tamquam vulgariter, in

segmentis tantum intermediis (3 & 4) evidentes & determinandæ. Alæ ut in *N. cinerea*, sed segmentum costæ 2:dum 3:tio perspicue duplo longius. Squamæ & halteres etiam ut in illa. Pedes cinereo-nigri, geniculis omnibus & summis testaceis; posteriorum tibiæ & tarsi sordide rufo-testacea, horum articulo ultimo obscuriori. Tibiarum posticarum annulus medius nigricans.

6. *N. guttiventris:* cinerascenti grisea, epistomate concolore; palpis flavis; antennis nigricantibus, medio late testaceis; thorace immaculato; abdomine maculis in singulo segmento binis, fuscis, interioribus oblongis saturatioribus, exterioribus minoribus rotundatis; alis cinereo-hyalinis; pedibus cinereo-nigris, geniculis, tibiis tarsisque flavido-testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: femoribus intermediis subtus ab apice ad medium breviter ciliatis.

Var. a. ♂♀. abdomine ut in diagnosi maculato.

Stenh. Monogr. 206. 19. ♂♀.

Var. b. abdomine immaculato.

Stenh. l. c. var. b.

Hab. in plantis præsertim in Arundinetis & Scirpibus ad litora maris, per Scandinaviam passim abunde; scilicet in Scania raro mihi obvia; in Ostrogothia ad Jonsberg mense Julio copiosissime, D. *Stenhammar*, cui specimina typica utriusque sexus debeo; in Gottlandia ad Gothem in prato prope litus maris 5 Jul. inveni; sub nomine: »*Nothiph. sericata* nov. sp.« utrumque sexum ex Hafnia 1843 misit D. *Staeger*. (Etiam ad Rosenthal prope Gryphiam Jun. 1844 a D. *Dahlbom* lecta. E S:t Sever Galliæ cum aliis hujus generis speciebus a D. *Leon Dufour* eodem anno quoque communicata).

♂♀. Priori valde similis; per antennarum vero flavedinem mediam magis dilatatam, setæ radios plures (circiter 10—12), thoracem dilutius griseum, immaculatum, abdominis maculas fuscas aliter formatas, ut & genicula, tibias tarsosque omnes lætius flavidos, aperte distincta. Epistoma quoque forte in *N. guttiventri* nonnihil longius, quam latum. — Antennæ nigræ, articulis 2:do summo apice, & 3:tio basi late, subpellucido-testaceis, hoc apice leviter infuscato. Abdomen oblongo-ovatum, præsertim apice nigro-pubescens, totum griseum, maculis in singulo segmento utrinque binis, quarum interioribus seu dorsalibus elongato-triangularibus, saturate brunneis, exterioribus seu lateralibus rotundatis, minoribus, fuscis, obsoletis. Alæ hyalinæ, flavedine cinerea levissime tinctæ. Nervi ut præcedente directi, át segmentum costæ 2:dum 3:tio fere triplo longius. Pedes ut in diagnosi. Trochanteres saltem intermedii testacei. Vestigium annuli fusci in medio tibiarum anticarum & posticarum sæpe adest. Tarsorum articulus ultimus obscurior. — Reliqua ut in *N. guttiventri.*

7. *N. annulipes:* griseo-lutescens, epistomate luteo; palpis flavis; antennis nigricantibus, articulo ultimo testaceo, apice fusco; thorace immaculato; abdomine cinerascente, maculis in singulo segmento utrinque binis subæqualibus, oblongis, brunneis; alis cinereo-hyalinis; pedibus cinereo-nigris, geniculis, tibiis tarsisque testaceis, tibiarum annulo medio tarsorumque articulo ultimo obscuris; tibiis tarsisque anticis fere totis fuscescentibus. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: femoribus intermediis subtus ab apice ad medium breviter nigro-ciliatis.

Stenh. Monogr. 203. 8. ♂♀.

Hab. supra aquam in Arundinetis litoralibus marinis & inter Equiseta paludum, in Suecia media inventa; ex.

gr. in Ostrogothia, ubi in paroecia Jonsberg & ad Gusum observata a Doct. *Stenhammar*, qui etiam exemplaria typica utriusque sexus mihi transmisit. In reliqua Scandinavia a me non deprehensa, neque ab alio alibi lectam novi.

♂♀. Epistoma intense flavo-luteum, antennarum articulus ultimus fere totus testaceo-subpellucidus summo apice superne infuscatus, abdominis ovalis maculæ in singulo segmento utrinque binæ, discretæ (in segmento 3:tio basi leviter subconfluentes), subæque magnæ, interiores tamen forte nonnihil majores & subelongato-triangulares, exteriores breviter subtriangulares, omnes saturate brunneæ certo situ nitentes, ut & tibiæ tarsique testacea obscure subannulata, sunt notæ, quibus, simul sumtæ, species ab affinibus distingvitur. — Duabus proxime præcedentibus valde confinis, sed a *N. dorsata* antennarum articulo ultimo basi latius flavo, thorace immaculato, nec linea media ferruginea, a *N. guttiventri* epistomate magis læte lutescente, radiis in antennarum seta paucioribus, nempe circiter 8—9, & ab utraque genis brevioribus, abdominis maculis aliter formatis, ut & tibiis tarsisque fusco-subannulatis, sine dubio diversa. — Opaca, supra lutescens, subtus cinereo-grisescens. Facies fulvescenti lutea, sincipite cinereo. Oculi majusculi, ovales; orbitæ tenues. Epistoma paullo longius, quam latum, videtur. Tibiæ flavo-testaceæ, anticæ posticæque annulo latissimo, nigricante, intermediæ annulo infra medium mediocri, fusco. Tarsi fuscescentes, articulis basi testaceis, unde quasi annulati etiam tarsi apparent; articulo ultimo toto obscuro. Alarum nervi fusci; præsertim transversus ordinarius umbra flavescenti cinctus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio saltem duplo longius.

8. *N. maculata:* grisea, epistomate concolore; palpis flavis; antennis nigricantibus, medio late testaceis; thorace ferrugineo-lineato maculatoque; abdomine cinereo, macula in singulo segmento utrinque unica transversa sinuata nigro-brunnea nitida; alis cinereo-hyalinis; pedibus nigri-

cantibus, geniculis tibiisque testaceis, his nigro-annulatis, tarsis anticis fuscescentibus; posterioribus testaceis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Stenh. Monogr. 201. 5. ♂♀. f. 16. (ala).

Hab. in uliginosis continentalibus Sueciæ meridionalis & mediæ, passim; scilicet in Scania, rarissime ex. gr. ad Kjellby prope Lund; in Ostrogothia; in Uplandia ad Holmiam; a D. *Stenhammar* mihi etiam communicata.

♂♀. Per epistoma langvide lutescens l. griseum, antennas medio late flavas, setam sat crebre radiatam, thoracem brunneo-lineatam maculatamque, abdominis maculam in singulo segmentorum mediorum solitariam transversam margine inferiore sinuatam, totam nigricantem, nitentem, tibiarum annulos, ut & tarsos anticos fuscescentes subannulatos, satis superque a conspeciebus distincta. — Epistoma ut in priori constructum, sed dilutius coloratum. Oculi rotundi, orbitis tenuissimis. Genæ breves. Seta antennarum saltem 10-radiata, radiis longis. Thorax dorso lineis 5, quarum 3 mediis angustatis ferrugineis, & 2 lateralibus sublatioribus interruptis brunneis, opacis. Præterea lineola ante alas & macula elongata in pleuris, brunnescentes, perspiciuntur. Abdomen ovatum læte cinereum, fere canum, pictura brunnea supra descripta vix nisi in segmentis 3 & 4 regulari, in segmentis vero basalibus & apicali multo simpliciori, utpote sæpe in ceteris speciebus. Alæ omnino ut in *N. annulipede* (7), segmentum vero costæ 2:dum tertio tantum dimidio, vix ultra, longius. Pedes quoque fere ut præcedente.

9. *N. tarsata:* lutescenti grisea, epistomate concolore; palpis antennisque nigris; thorace immaculato; abdomine cinereo, macula in singulo segmento utrinque unica transversa sinuata brunnea; alis cinereo-hyalinis; pedibus cinereo-nigricantibus, tarsis posterioribus testaceis. ♂♀. (Long. 1¼ vix 1½ lin.).

Stenh. Monogr. 207. 11. ♂♀.

Hab. in primis ad litora marina, ibique sæpe copiose occurrit; rarius ad ripas lacuum vel ad margines fossarum aquaticarum in Scandinaviæ regionibus interioribus; præcipue Jul. & Augusto mihi obvia; scilicet in Scania ad Kjellby (prope Lund), Silfåkra, Lomma (prope litus maris), &c., frequens; in Ostrogothia, D. *Stenhammar*, a quo specimina typica accepi; in Gottlandia; in Bahusia, D. *Wahlberg*, qui speciem primus denominavit; e Dania ut in insulæ Amager litore marino frequens incola a D. *Staeger* missa. (Ad Rosenthal prope Gryphiam jam mense Junio 1844 in utroque sexu a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Species antennis totis nigris, palpis nigris (nota in hac sectione priva), thorace immaculato, brevitudine segmenti costæ 2:di pedibus nigricantibus tantum tarsis posterioribus ferrugineis, bene distincta. — Supra flavicanti grisea, subtus cinerascens, tota opaca. Frons sordide lutescens, lineis utrinque longitudinalibus obscurioribus. Antennæ nigræ, seta ordinaria radiis paucis, circiter 7. Spinula in apice articuli 2:di distincta. Epistoma nonnihil longius quam latum, flavo-lutescens, setis vibrissinis utrinque 4—5 brevibus, tenuissimis. Prælabrum obscure cinerascens. Palpi nigri. Oculi mediocres, rotundato-ovales, orbitis tenuibus. Genæ breviusculæ. Thorax & scutellum supra lutescenti grisea, immaculata, parce setosa. Pleuræ griseo-cinereæ, immaculatæ. Metathorax canus. Abdomen oblongo-ovatum, griseum aut cinerascens, pubescens, macula in singulo segmentorum 3:tii 4:tique utrinque unica, magna subtrigona, inferne emarginata, versus latera dilatata, ita ut fasciam latam, sinuatam in medio interruptam ad basin segmenti fere formet; tota brunnea, opaca (raro & tantum certo luminis situ nitente). Alæ flavido-cinereæ, segmento costæ 2:do 3:tio vix dimidio longiore, ut in præcedente. Nervus transversus ordinar. exacte perpendicularis. Halteres flavi. Pedes ut in diagnosi. Tarsi posteriores testacei, apice, saltem articulo

ultimo, obscuri. — Variat junior pedibus totis cinereo-testaceis, tarsis dilutioribus.

10. *N. nigricornis:* fuscescenti grisea, epistomate dilutiore; palpis flavis; antennis nigris; thorace subimmaculato; abdomine macula in singulo segmento utrinque unica, bipartita, brunnea; alis cinereo-hyalinis; pedibus nigricantibus, tibiis tarsisque posterioribus testaceis, tibiarum posticarum annulo obscuro. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: femoribus intermediis ab apice ad medium breviter nigrociliatis.

Stenh. Monogr. 202. 7. ♂♀.

Hab. in uliginosis graminosis, per Sueciam meridionalem & mediam, rarius; scilicet in Scania rarissime, ad Kjellby prope Lund d. 18 Jul. 1830 ♀ a D. *Dahlbom* inventa; in Ostrogothia ad Sudercopiam & Häradshammar, D. *Stenhammar*, qui etiam exempla typica mihi amice communicavit; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, qui speciem primus determinavit, & nomine insignivit.

♂♀. Priori simillima & valde affinis, sed palpis flavis, nec nigris, abdominis maculis brunneis inferne profundius emarginatis, ut & tibiis posterioribus testaceis, facile dignota. — Antennarum seta radiis circiter 8. Oculi minusculi, orbiculares, orbita tenuissima. Epistoma plerumque pallide griseum, vibrissis utrinque 3—4 tenuissimis. Thorax supra griseo-lutescens, rudimento linearum trium ferruginarum, quarum media plerumque melius detegenda; subtus griseo-cinerascens. Abdomen oblongo-ovatum, griseo-cinereum, maculis in segmentis 3 & 4 fuscis, transversim dilatatis, bilobis, opacis. Alæ & halteres ut in antecedente. Pedes cinerero-nigri, geniculis summis sæpe testaceis. Tibiæ & tarsi antica plerumque fuscescentia. Tibiæ vero tarsique posteriora testacea, articulo ultimo obscuro. Annulus tibiarum posticarum sat latus nigricans.

**) epistomate argenteo.

11. *N. stagnicola:* grisescens, epistomate argenteo; palpis flavis; antennis nigris, medio angustissime testaceis; thorace obsolete lineato; abdomine macula in singulo segmento unica, magna, subtrigona, difformi, brunnea; alis cinereo-hyalinis; pedibus nigricantibus, geniculis, tibiarum summo apice tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: femoribus intermediis subtus ab apice & ultra medium breviter nigro-ciliatis.

Macq. Buff. 2. 522. 3. verosimiliter eadem. — Stenh. Monogr. 197. 3. ♂♀. (certissime, ex Autographo mecum communicata).

Hab. in foliis Nympheæ & Potamogetonis natantibus in lacubus uliginosis Sueciæ meridionalis & mediæ, passim; scilicet in Scania ex. gr. in lacu ad Silfåkra, ubi plura specimina utriusque sexu 9 Jul. & 28 Aug. 1838 inveni; in Ostrogothia prope Sörbyholm paroeciæ Häradshammar, D. *Stenhammar.*

♂♀. A *N. cinerea* (2), cui de cetero sat similis, differt præprimis abdominis maculis aliter formatis & tibiis fere totis nigricantibus, nec totis testaceis, — Opaca. Frons flavo-lutescens. Antennæ nigræ, articulo ultimo basi omnium angustissime testaceo, in mortua sæpe toto nigro. Setæ radiis circiter 8. Epistoma totum argenteum, nitens. Vibrissæ utrinque 5—6, tenuissimæ, mediæ magis perspicuæ, supernæ & infernæ sensim decrescentes, brevissimæ, extremæ parum observandæ. Prælabrum nigrum, cinereo-pollinosum. Palpi flavi. Oculi minusculi, suborbiculares, orbitis tenuissimis. Genæ mediocres, subelongatæ, totæ & sinciput plumbeo-argentea. Thorax dorso fulvescenti griseus, limbo griseo; subtus cinerascens; supra setis ordinariis, sed linea media ferruginea valde obsoleta parum conspicienda instructus. Abdomen ovale, cinereum, pubescens;

in singulo segmentorum 3:tii & 4:ti macula utrinque solitaria magna intus (ad lineam mediam dorsi) dilatata elongata cum inferioris segmenti macula fere confluens; extus versus latera abdominis sensim angustata, tota plus minus dilute l. saturate brunnea, opaca. In segmento 5:to macula eadem, ut vulgariter, minor & simplicior. Alæ ut in præcedente. Segmentum costæ 2:dum 3:tio certe saltem duplo longius. Pedes cinereo-nigricantes, geniculis omnibus anguste, tarsisque posterioribus totis testaceis.

Obs. E Gallia a D. *Leon Dufour* missum anno 1844 obtinui specimen masculum *), quoad magnitudinem, radiorum numerum in antennarum seta, epistoma & totam faciem argentea, palpos flavos, frontis thoracisque dorsi colorem intense luteum, alarum nervorum directionem, ciliasque sub femoribus intermediis, nuper descriptæ *N. stagnicolæ* in omni puncto simillimum; sed per antennarum articuli ultimi basin latissime & oblique pellucido-testaceam, abdominis maculam brunneam in singulo segmentorum mediorum utrinque unicam, bilobam, fere ut in *N. nigricorni* (10) constructam, ut & genicula, tibias tarsosque omnia & tota flavo-testacea, vere distinctum. An *Notiph. stagnicola* Macq. l. c. genuina? Cel. Auctoris gallici perbrevis & insufficiens diagnosis suæ speciei in utramque formam, Dufourianam & nostram, æque qvadrat.

Obs. Notiph. annulata Fall. multum quidem cum nostris *Notiphilis* hujus Sectionis habet commune; sed tamen ob antennarum setam undique plumatam, nec pectinatam, epistoma angustius, alarum nervos longitudinalem 2:dum valde elongatum &

*) quod ad specimen missum attinet observandum, duo individua, ambo mascula, eidem acui affixa esse, & hoc indice subscripta: "*Notiph. cinerea* F. *Keratocera palustris* Rob. Desv.", in quorum tamen uno *Notiph. stagnicolam* Macq. probabilem, & in altero *Not. guttiventrem* nostram n:o 10. ♂. agnosco. Si igitur per nomen "*Not. cineream*" hanc l. illam speciem designare voluit Nobiliss. *Leon Dufour*, dijudicare non possum.

transversos in disco alæ approximatos, valde recedens, ex familia *Ephydrinarum* excludenda & *Geomyzidum* subjicienda, atque in genus *Geomyzam* (haud bene in *Drosophilam)* introducenda.

Sect. 2:*da.* Alarum nervus costalis paullo pone apicem alæ desinens ibique cum qvarti longitudinalis apice conjunctus.

Antennæ seta aut pectinata aut subnuda, spinula in apice articuli 2:di aut obsoleta aut nulla. Alarum nervi transversi plus minus distantes, horum medius auxiliaris apici oppositus; ordinarius plerumque nonnihil longius a margine interiore alæ remotus, quam in Sectione 1:ma, & aut in medio, aut sæpissime paullo ante medium areæ mediæ insertus.

A. Seta antennarum pectinata. (*N. picta* var. seta breviter radiata in subdivisione B. sub n:o 46 quærenda).

Epistoma esulcatum in medio longitudinaliter parum convexum, limbo laterali angustissimo depresso. Prælabri apex sæpissime haud prominulus. Setulæ vibrissinæ paucæ, minutæ. Orbitæ oculorum evanidæ. Abdominis recti, dorso convexi segmenta inæqualiter longa. Alarum lobulæ parvæ. Spinula costæ vix ulla. *Hydrellia* Auctor. recentiorum. Minores aut minutæ.

Mas: abdominis segmentum 5:tum longius, 6:tum inflexum appendiceum, appendice squamæformi, apici segmenti adnexa, simpliciter emarginata, ventri arcte applicata, intra marginem segmenti 5:ti comprehensa tarsisque concolore; apertura ani discum segmenti 6:ti occupans.

α). Segmentum costæ 2:dum 3:tio plus minus manifeste longius, h. e. nervus longitudinalis secundus longiusculus paullo propius versus

apicem alæ in costæ ductus. (In *N. griseola* 12, *incana* 13, *chrysostoma* 14, *flavicorni* 15, *albifronte* 16, *mutata* 17, *geniculata* 19, *cinerella* 22, *glaucella* 23, *obscurella* 24, *pallidula* 25, *nigrina* 26, & *plumosa* 27, tarsi l. toti l. saltem basi flavi; in *N. pilitarsi* 29, coxæ anticæ flavo-testaceæ; in omnibus reliquis hujus subdivisionis pedes toti nigri l. nigricantes).

12. *N. griseola:* supra æneescenti grisea, subtus cano-cinerea, tota subopaca; epistomate distincte carinato, fulvescente (♂), aut lutescente (♀), macula supra antennas concolore; antennis nigris; alis hyalinis, segmento costæ 2:do tertium longitudine dimidio & ultra superante; metatarsis posterioribus flavo-testaceis. ♂♀. (Long. vix $\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4:to fere duplo longius, truncatum; 6:tum inflexum, appendiceum, appendice ovato-rotundata, apice leviter bifida, testacea;

Fem.: segmentum 5:tum 4:to parum longius; 6:tum breve, annulatum.

Var. a. ♂♀. metatarsis posterioribus flavo-testaceis.

Fall. Act. Holm. 1813. ♂♀. Hydromyz. 9. 5. ♂ (exclusa ♀ "clypeo argenteo", quæ ad speciem sequentem potius referenda). — Zett. Ins. Lapp. 717. 3. ♂♀ (exclus. forte synon. Meigeni, quod *N. mutatæ* n:o 17. alligari debere videtur). — Stenh. Monogr. 220. 20. ♂♀. (Sect. *Hydrellia*) figg. 18 & 19 (ala & maris segmentum 6:tum). — *Hydrellia griseola* Macq. Buff. 2. 523. 1?

Var. b. ♂♀. tarsis totis fusco-nigricantibus; capite interdum obscuro, tantum epistomatis margine apicali pallido.

N. griseola: var. b. *fuscitarsis* Stenh. l. c.

Hab. var. a. in graminosis, præsertim Caricetis, in paludosis & pratis humidis atque etiam ad ripas amnium, rivulorum, lacuum &c., fere per totam Scandinaviam, Jul.—Sept., vulgatissima; scilicet in Suecia a Scaniæ extremis oris usque ad Bottniam borealem frequentissima; in Gottlandiæ litoribus marinis etiam deprehensa ex. gr. ad Ahlskog & Hoburg; in Jemtlandia usque ad Skalstugan prope jugum alpinum parce lecta: intra Lapponiæ terminos tantum rarissime visa; in Norwegiæ inferalpinis maritimis a me non visa; in Dania ubique vulgaris, teste D. *Stæger.* (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa. In Helgolandia a D. *Dahlbom* sat copiose inventa; in Pinetis ad Neuenkirchen prope Gryphiam ab Eodem quoque capta, forte errabunda). — Var. b. cum var. a. non raro ex. gr. in Scania ad Esperöd (museum Falléni sub *Not. griseola),* Räften prope Lund, &c.; in Ostrogothia ad lacum Wettern freq. (In Helgolandia. E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Per colorem corporis dilutiorem, supra griseo-cinerascentem, subtus plumbeum vel glauco-canum, abdominis cinereo-virescentem, pedum nigro-cinereum, metatarsorum posteriorum flavo-testaceum, antennas totas nigras, seta raripila, alas longiusculas sat pure hyalinas, nervum longit. 2:dum elongatum & inde segmentum costæ 2:dum 3:tio longius (nec vero plene duplo longius, sed tamen sesquiplicem longitudinem evidenter superans quo a *N. chrysostoma* distingvitur), maculam supra (seu inter) antennas epistomati concolorem aut sordide albidam, minime tamen albissimam, ut & in primis epistoma in medio longitudinaliter obtuse (nec acute) carinatum, haud descendens, ab affinibus facile dignoscitur. A sequente, cui colore corporis valde similis, epistomate plus minus flavicante,

nec albicante, differt. — Antennarum seta radiis circiter 5, modice longis. Epistoma post mortem pallidius flavescit, vix vero albidum, numquam saltem pure album l. argenteum evadit. Vibrissæ utrinque 4, tenues. Palpi flavi *). Genæ breves. Oculi majusculi, ovales, in viva aureo-virides, unicolores. Thorax immaculatus, setulosus. Abdomen oblongum, virescenti cinereum, parum nitens, totum æqualiter puberulum. Alæ longæ, hyalinæ, certo situ leviter albescentes, immaculatæ. Nervus transversus ordinarius paullo ante medium areæ mediæ insertus, perpendicularis, & segmentum 2:dum nervi longitud. 4:ti inde segmento tertio paullo brevius. Nervi longitudinales 3 & 4 pone transversum ordinarium exacte paralleli. Nervus longitud. 5:tus usque ad marginem interiorem continuatus, nec abbreviatus. Spinula costæ omnino nulla. Halteres pallide citrini. Squamarum rudimentum. Pedes cinerascentes, nudiusculi, femoribus uno latere tenuissime pilosulis. Metatarsi plerumque posteriores, raro tantum postici, rarissime omnes, flavo-testacei. In juvenilibus tarsi interdum rufo-testacei, apice obscuriores. — In var. b. tarsi toti obscuri. — Cum *N. chrysostoma* (14) hæc species non confundenda; ad epistomatis formam & rationem mensuræ nervi long. 2:di probe est attendendum.

13. *N. incana:* supra æneseenti fusco-grisea, subtus cano-cinerea, tota subopaca; epistomate planiusculo subcarinato argenteo, macula supra antennas concolore; antennis nigris; alis hyalinis, segmento costæ 2:do tertium sesquiplice longitudine vix æqvante; metatarsis posterioribus flavo-testaceis. ♂♀. (Lóng. $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4:to fere duplo longius, truncatum; 6tum inflexum, appendiceum, appendice lineari-ovata, convexa, fusco cinerea, apice bifida, lobis acutiusculis, testaceis;

*) colorem palporum in diagnosibus afferre plerumque omisi, quoniam in illis sæpissime arcte retractis ægre investigatur. In plerisque vero speciebus, colorem palporum esse flavum observavi.

Fem.: segmentum 5:tum sesqviplicem 4:ti longitudinem fere æqvans; 6:tum breve, annulatum, prominulum.

Stenh. Monogr. 222. 21. ♂♀. *(Hydrellia).* — *N. griseola* Fall. Hydromyz. 9. 5. ♀.

Hab. in graminosis præsertim ad margines fontium, fossarum & canalicularum, passim plerumque gregatim; mihi mense Sept. in primis obvia, sed etiam Julio visa; occurrit nempe in Scania, ubi ad Esperöd in graminosis humidis circa *fontem* sic dictum *Professoris* 3—20 Sept. plura specimina legi, & in ripa Kjeflinge-å a D. *Dahlbom* freqventer observata præsertim var. tarsis obscuris; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Wadstena & lacum Wettern, ipse, atque ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, qui etiam exempla utriusque sexus amice communicavit. (In Pinu ad Neuenkirchen prope Gryphiam ♀ 20 Maj. 1842 & iterum Sept. 1844 a D. *Dahlbom* capta, forte errabunda).

♂♀. Præcedenti proxima, sed colore supra nonnihil magis obscure cinereo l. grisescente, epistomate vix carinato, toto albicante, certo luminis situ argenteo-micante, macula supra antennas albissima, nec flavida l. sordide albida, seta antennarum circiter 6—7-radiata, nec radiis 5, alis paullulum brevioribus, ut & nervo longitud. 2:do nonnihil breviore & segmento costæ 2:do exinde quoque paullo breviore quam in priori, ab illa vere differt. — Palpi flavi. Vibrissæ utrinque 5. Genæ breves. Alæ cinereo-hyalinæ. Pedum genicula interdum summa fractura testacei. De cetero ut in priori. — Variat, uti *N. griseola*, tarsis basi plus minus late testaceis; variat quoque tarsis totis obscuris. — Sed varietatem femineam, quam l. c. refert Doct. *Stenhammar:* "epistomate *lutescente*", non observavi.

11. *N. chrysostoma:* supra ænescenti grisea, subtus cano-cinerea, tota subopaca; epistomate leviter acute ca-

rinato fulvescente, macula supra antennas flavida; antennis nigris; alis hyalinis, segmento costæ 2:do tertium sesquiplice longitudine vix æquante; metatarsis posterioribus flavo-testaceis. ♂♀. (Long. ½ lin.).

Mas & femina ut in *N. griseola* differunt:

Meig. Dipt. 6. 67. 8. *Hydrellia* eadem Meig. Dipt. 7. 373. 9.

Hab. ad aqvas etiam in litoribus marinis, Aug. Sept., minus frequens; scilicet in Scania ad Östra Torp (extimam Scaniæ oram), Sandhammar &c. rarius; in Ostrogothia ad Wadstena prope lacum Wettern, parce; ex Hafnia a D. *Staeger* sub nomine: *Notiph. chrysostoma*, quoque obtinui. (Ad litora insulæ Helgolandiæ a D. *Dahlbom* Jul. 1838 lecta mihique benevole reportata).

♂♀. Duabus proxime præcedentibus valde affinis & similis, & cum *N. griseola* a Collectoribus svecicis forte commixta; sed a priori epistomatis carina medio longitudinali minus elevata & præsertim angustiore (unde acuta videtur), alarum nervo longitudinali 2:do, ut & inde segmento costæ secundo, paullo brevioribus; a posteriori (*N. incana*), cui nervorum directione propinqua, epistomatis colore aureo-flavo, nec albo, ut & carina media tenui quidem, sed tamen magis forte determinata quam in ea, & ab utraque magnitudine constanter minore, recedit. Colore igitur epistomatis & numero quinario radiorum in antennarum seta cum *N. griseola*, nervorum vero directione in alis cum *N. incana*, convenit. Punctum supra antennas parvum, flavidum. Oculi in viva aureo-virides. Metatarsi posteriores in viva flavo-albi. Palpi flavi, genæ breves, metatarsi posteriores testacei, &c., ut in præcedentibus.

15. *N. flavicornis:* supra obscure æneseenti grisea, subtus cinerascens; subopaca; epistomate modice carinato fulvescente, macula supra antennas pallida; antennis totis

flavis; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do tertium sesquiplice longitudine fere æquante; tarsis flavo-testaceis. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4.to nonnihil sed parum longius; 6:tum inflexum cum appendice 5:tum superans, appendicis sqvama testacea (in altero individuo cinerea), apice leviter emarginata seu non profunde bifida, lobis subrotundatis.

Fall. Hydromyz. 10. 9. ♂. verissima. — *Not. erytrostoma* Meig. 6. 69. 14. *Hydrellia* Macq. Buff. 2. 526. 16. Meig. Dipt. 7. 373. 13.

Hab. in Scania rarissime; 2 tantum exempla lustravi, utraque a me capta, unum scilicet in prato ad Esperöd Jul. 1820 & alterum ad Lund 12 Sept. 1838, inventum.

♂. Ipsissimum specimen, secundum quod suam descriptionem speciei composuit Cel. *Fallèn*, unacum recentius captum jam ante oculos habeo. *N. griseola* (12) paullo robustior, at præcipue antennis *totis* flavis, ab omnibus nostris facillime dignota. Frons fusco-grisea. Macula supra antennas distincta, flavida. Setæ radii in antennis brevibus distincti, circiter 10. Epistoma ut in *N. griseola* constructum, fulvum. Vibrissæ utrinque 4 tenues. Palpi flavi. Oculi majusculi, ovales. Genæ mediocres l. breves. Thorax supra grisescens, immaculatus, opacus, cum scutello parce setosus. Abdomen oblongum præsertim posterius angustatum, totum ænescens, subnitidum, pubescens. Alæ dilute cinereo-hyalinæ, nervis in primis basi pallescentibus, ut in *N. incana* directis. Nervus long. 5:tus usque ad marginem interiorem ducitur. Halteres pallide flavi. Pedes fusco-nigri, trochanteribus & geniculis summis in altero specimine subtestaceis. Tarsi antici in ambobus fusco-testacei, posteriores flavo-testacei, omnes apice leviter fusci.

Obs. Species, quam sub nomine *N. flavicornis* Fall. signo interrogationis adjecto dubitans descripsit Celeberrimus *Stenhammar* p. 232. 29, ad *Not. nigripedem* nobis n:o 38 referenda.

16. *N. albifrons:* supra obscure griseo-fusca subnitida, subtus incana; epistomate plano parum carinato argenteo, macula supra antennas concolore; antennis nigris; abdomine æneo-nigro; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do tertium sesquiplice longitudine vix æquante; tibiarum summo apice tarsisque omnibus & totis flavo-testaceis. ♀. (Long. vix ultra ½ lin.).

Fall. Act. Holm. 1813. 251. 5. ♀. Hydromyz. 10. 6. ♀. Stenh. Monogr. 223. 22. ♀.

Hab. in Scania meridionali ad Esperöd in paroecia Mellby rarissime; duo tantum specimina hactenus, quantum noverim inventa, unum in collectione Falleniana, alterum in mea jam asservatur, ambo feminea; etiam unicum exemplar ut Daniæ incola in collectione D. *Staegeri* conservata erit, ut mihi Vir Cel. in litteris tradidit.

♀. Corpore supra nitidulo, fronte thoracisque dorso obscuris, antennis nigris, epistomate plano, ecarinato, candido, macula supra seu inter antennas nivea, abdomine ænescente, alarum nervo longit. 2:do non elongato, ut & tarsis totis flavis, ab omnibus diversa. — Specimen vere typicum ante oculos habeo. Minuta. Frons breviuscula, obscura, subopaca, setulosa. Antennæ totæ nigræ, seta radiis circiter 7. Epistoma in medio angustatum, inferne latius, totum argenteo-album nitidum. Setulæ vibrissinæ tenuissimæ, paucæ. Palpi retracti, flavi. Genæ brevissimæ. Oculi majusculi, rotundato-ovales. Thorax & scutellum setulosa. Pleuræ plumbeæ. Abdomen ovatum, puberulum, apice acutum, segmentis æque longis. Alæ etiam quoad nervorum directionem ut in *N. incana* (13). Halteres flavi. Squamæ vix ullæ. Pedes nigro-fusci, parum cinereo-micantes. Tibiarum summus apex & tarsi omnes & toti flavi, articulo tantum ultimo saturatius colorato. — Hæc species cum *N. incana* & *N. argyrostoma* (31), quibus valde similis est, non com-

miscenda; nempe a priori: magnitudine paullo minore, colore corporis obscuriore & magis nitente, nervo longitudinali 2:do fere (sed tantum perparum) adhuc nonnihil breviore, tarsorumque colore, & a posteriori, cui magnitudine & colore thoracis obscuro convenit, fronte fusca, nec atra, abdomine æneo, nec nigro, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis, nec 2:do nonnihil longiori tertio, ut & tarsis flavis, nec fuscis, optime distingvitur.

17. *N. mutata:* supra subænescenti fusca, subnitida, subtus obscure cinerea; epistomate planiusculo ecarinato albescente; macula supra antennas alba; antennis nigris (♀), aut apice subtus testaceis (♂); abdomine subænescenti nigro; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do 3:tium longitudine nonnihil superante; tarsis saltem basi testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4:to parum longius; 6:tum appendice fusco-testacea 5:tum subæqvante, ovata, apice biloba lobis acutiusculis;

Fem.: abdominis segmenta 4 & 5 subæque longa.

Notiphil. plumosa Stenh. Monogr. 218. 10. ♂♀. (exclus. synon. Fall. quod ad *Psilopam longulam* Stenh. pertinet) figg. 20, 21 (ala & segmentum maris 6:tum). — *N. griseola* Meig. Dipt. 6. 66. 6?

Hab. in uliginosis graminosis, Jul.—Sept., passim; scilicet in Scania rarius; in Ostrogothia pluribus locis, & ad Wadstena prope lacum Wettern mense Augusto aliquoties in copula a me capta; etiam in utroque sexu a D. *Stenhammar* missa; in Uplandia ad Holmiam.

♂♀. Fronte fusca linea laterali utrinque ad oculos atra velutina, macula supra antennas nivea, radiis in seta antennarum circiter 7—9, epistomate ecarinato albicante, corpore obscuro, nervo longitudinali 2:do non elongato, ut & tarsis basi plus minus late testaceis, ab affinibus recedit. — Antennæ in ♂ articulo

ultimo testaceo intus certo situ albo-micante, superne plus minus infuscato; in ♀ totæ nigræ. Epistoma in ♂ angustum, in ♀ paullo latius, in utroque sexu aut album, aut griseum. Vibrissæ utrinque 4—5 præter setulam (in plerisque ceteris etiam præsentem) in sinu oris. Genæ brevissimæ. Palpi flavi. Oculi majusculi, ovales. Thorax supra obscurus, in bene conservatis grisescens, subtus schistaceus; setulosus. Abdomen oblongo-ovatum, obscure æneseens, nigricans, nitens, puberulum. Alarum nervi ut in *N. incana* (13) directi. Halteres læte flavi. Pedes fusco-nigri, tarsis basi jam anguste, jam late, raro fere totis rufo-testaceis; anticis plerumque fuscis. Tibiæ in utroque sexu simplices, nec ut in sequente intermediæ subdilatatæ.

18. *N. concolor:* supra ænescenti fusca, parum nitida, subtus obscure cinerea; epistomate leviter carinato, fulvescente; macula supra antennas pallida; antennis nigris (♀), aut articulo ultimo testaceo superne fusco (♂); abdomine ænescenti nigro, subnitido; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do 3:tium nonnihil superante; pedibus totis nigricantibus. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum qvarto manifeste longius; 6:tum appendice 5:tum vix superante, apice biloba, lobis rotundatis; tibiæ intermediæ paullo compresso-dilatatæ;

Fem.: abdominis segmenta 4 & 5 subæque longa; tibiæ omnes simplices.

Stenh. Monogr. 216. 16. ♂♀. *(Hydrellia)*; figg. 22. 23 (ala & maris segmentum 6:tum). — *(Hydrellia cinerascens* Macq. Buff. 2. 526. 17 forte hujus femina? opinante D. *Stenhammar).*

Hab. in foliis plantarum aquaticarum, præsertim Nymphεæ, passim copiosissime, ut in Ostrogothia ad Gusum & Sörbyholm paroeciæ Häradshammar; atque in Uplandia

ad Holmiam, in primis observata, D. *Stenhammar*, qui specimina ex utroque sexu communicavit. In amne Kjeflinge-å Scaniæ etiam semel Jul. a me inventa.

♂♀. Priori valde similis, sed macula supra antennas sordide albida l. flava, nec nivea, epistomate in medio longitudinaliter lenissime quidem, sed tamen magis conspicue quam in ea, obtuse carinato, toto fulvescente, nec albicante, pedibusque totis nigricantibus, nec tarsis basi flavis, ut & tibiis intermediis in ♂ compressis subdilatatis, satis dignota. — Frons etiam quoad picturam ut in præcedente. Antennæ, etiam secundum sexum, diversi coloris quoque ut in illa. Seta radiis circiter 6. Vibrissæ utrinque 5—6 sat validæ. Palpi flavi. Oculi majusculi, ovales. Genæ breves. Thorax supra fuscus, subtus griseus; setosus. Abdomen oblongum (præcipue in ♂), ænescens, pubescens. Alarum nervi ut in priori, sed forte magis determinate nigri, nec langvide fusci. Halteres læte citrini. Pedes nigricantes, metatarsis posticis intus breviter at dense albido- l. flavido-barbatis. — Varietas b. ♂♀: epistomate argenteo, *Stenhammar* l. c., mihi quoque semel ita ad lacum Wettern Ostrogothiæ obvia, ut var. a. tamquam ♂, & varietatem b. tamquam ♀ in copula deprehenderim; sed aliam in Scania ad Silfakra 4 Sept. inveni, epistomatis colore & structura, macula supra antennas pallida, frontis lineis lateralibus atris, corporis colore, nervorumque directione cum var. a. omnino convenientem, at antennis in medio anguste testaceis, seta radiis saltem 7, vibrissis utrinque paucioribus, abdomine æneo-nigro magis nitido (an in detrita?), alarum nervis magis longvidis, ut & metatarsis posticis flavis, nimis recedentem. Dubius igitur sum an ut varietas ad hanc vel ad præcedentem referenda, aut ut propria species consideranda. Ex unico vero individuo, cujus abdomen apice læsum, nihil certum hoc respectu statuere audeo.

19. *N. geniculata:* supra ænescenti fusca, subopaca, subtus cinerascens; epistomate parum convexo ecarinato inferne dilatato descendente, argenteo vel fulvescen-

te, macula supra antennas concolore; antennis nigris apice subtus testaceis; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do tertium nonnihil superante; pedibus nigricantibus, geniculorum fractura puncto testaceo, tibiarum summo apice metatarsisque posticis flavis. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Mas: abdomen angustatum subcylindricum, segmento 5:to 4:tum longitudine dupla æquante, 6:to basi prominulo convexo, appendice brevi, emarginata, fusca;

Fem.: abdomen oblongum, apice acutum, segmentis 5:to 4:toque subæque longis, 6:to prominulo.

Var. a. ♂♀. metatarsis tantum posticis flavo-testaceis. Stenh. Monogr. 221. 23. ♂♀. *(Hydrellia).*

Var. b. ♀. *flavitarsis:* tarsis omnibus flavo-testaceis, tantum summo apice fuscescentibus. Stenhamm. l. c. var. b. ♀.

Hab. cum præcedente in foliis natantibus præsertim Nympheæ, minus frequens, in copula deprehensa; scilicet in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)*, & in lacu Sörbyholmensi paroeciæ Häradshammar, D. *Stenhammar*, a quo individua utriusque sexus accepi; etiam in Uplandia ad Holmiam observata.

♂♀. Duabus proxime antecedentibus similis, sed ab illa colore minus nitente, epistomate forte nonnihil magis convexo, macula supra antennas flavida l. albida, haud albissima, antennarum setæ radiis paucioribus tantum 6, vibrissis iterum pluribus (utrinque in ♂ 7, in ♀ 5—6), maris abdominis segmento 6:o aliter constructo; ab hac epistomate ecarinato, abdomine parum nitido, tarsis posticis basi flavis; & ab utraque epistomate inferne magis dilatato, genis longioribus, antennarum articulo ultimo in utroque sexu (nec solum in masculo) subtus testaceo, ut & structura segmenti abdominis 6:ti diversa, vere differt. — In speciminibus lustratis palpi flavi sunt exserti, sed hoc quoque in aliis obtinet, ubi proboscis casu demissa. Frons fusca,

linea utrinque nigra. Epistoma in utroque sexu plerumque argenteum, sed sæpe aureo-flavum. Vibrissæ distinctæ, in epistomatis lateribus apud marem fere ultra medium assurgentes. Oculi majusculi, ovales. Thorax & scutellum setis ordinariis. Abdomen pubescens, segmento 6:to in ♂ non penitus inflexo, sed basi convexa ultra 5:tum paullo eminente. Alarum nervi tenues nigri; longitudinalis 2:dus parum elongatus, ita ut segmentum costæ 2:dum 3:tio paullo, sed non dimidio, longius evadat; omnino ut in proxime præcedentibus. Coxæ anticæ antice albo-micantes, postice apice macula testacea. Tibiæ intermediæ maris levissime compresso-dilatatæ.

20. *N. cæsia:* supra fusco-grisea, opaca, subtus glauco-cinerea; epistomate leviter carinato inferne dilatato descendente, aureo-fulvo vel argenteo, macula supra antennas concolore; antennis atris; thorace fusco-bilineato; abdominis limbo cæsio; alis hyalinis, segmento costæ 2:do 3:tum nonnihil superante; pedibus glaucescenti nigris, tarsis atris. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum apice anguste truncatum, & 4:tum subæqve longa; 6:tum inflexum breve, appendice ovata biloba 5:tum vix æqvante; tibiæ intermediæ subincrassatæ;

Fem.: abdominis segmentum 5:tum triangulare acuminatum 4:to fere dimidio brevius; tibiæ intermediæ parum incrassatæ.

Stenh. Monogr. 214. 15. ♂♀ *(Hydrelliæ sectio)* verissima secundum specimina typica utriusque sexus ab ipso Cel. Detectore missa. — *Notiph. obscura* var. "epistomate albicante & pedibus totis nigris" Meig. Dipt. 5. 67. 9. forte.

Hab. in foliis plantarum aquaticarum natantibus ut Nympheæ, per Scandinaviam minus frequens; scilicet in Scania rarissime; in Uplandia ad Holmiam in lacu coenoso Clara sjö ad finem Julii 1844 sat copiose, D. *Sten-*

hammar; ut Daniæ incola ex Hafnia sub nomine »*Not. obscura* Meig.» ♀ a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Per antennas tarsosque atra, thoracem bilineatum, abdominis limbum albo-glaucum l. cæsium & segmentorum posteriorum structuram, ab omnibus facillime dignoscenda. — Frons obscure fusca, setulosa, lineis lateralibus mox extra orbitas oculorum atris. Macula supra antennas epistomati concolor, distincta. Antennarum seta radiis 5. Epistoma in medio longitudinaliter obtuse subcarinatum, margine antico retusum, modice latum, inferne valde dilatatum, descendens, totum aureo-lutescens l. subargenteum (in specimine Danico fortuito infuscatum remanente albedine in margine oris & genis). Vibrissæ 5—7, tenues. Prælabrum apiculo cinereo prominulum. Palpi subexserti, flavi. Thorax supra grisescens, setosus, lineis 2 mediis approximatis, postice abbreviatis, totis nigro-fuscis. Pleuræ glauco-cinereæ. Abdomen oblongo-ovale, breviter puberulum, apice acutiusculum, supra totum pulchre albo-cæsium, in medio macula magna inæquali, a basi abdominis & plerumque ad medium segmenti 4:ti continuata, e quatuor maculis cohærentibus conflata, quarum tamen ultima (in segmento 4:to) sæpius discreta; tota fusco-cinerea opaca. Alarum nervi nigri ut in priori directi; nervus vero longitudinalis 5:tus infra transversum ordinar. paullo magis abbreviatus videtur, ad marginem usque non extensus. Sed hæc nota levissima parum discernibilis. Pedes toti nigri, coxis, femoribus tibiisque certo situ glauco-micantibus. Tibiæ intermediæ in ♂ si non distincte compresso-dilatatæ, saltem reliquis validiores, ima basi coarctatæ; posticæ leviter arcuatæ.

21. *N. pilitarsis:* supra fusco-grisea, subopaca, subtus cinerascens; epistomate planiusculo parum carinato inferne modice dilatato haud descendente, aureo-fulvo vel flavo: macula supra antennas pallida; antennis nigris; abdomine subænescente, subnitente; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do tertium nonnihil superante; pedibus

nigricantibus, coxis anticis flavo-testaceis, metatarsis posticis intus brevissime fulvescenti sericeis. ♂♀. (Long. circiter ⅔ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4:to fere duplo longius, truncatum; 6:tum inflexum, appendice ipsum segmentum æquante, ovata, biloba, cinerascente;

Fem.: abdominis segmenta 5:tum & 4:tum subæque longa; 6:tum breve, annulatum prominulum.

Stenh. Monogr. 219. 19. ♂♀ *(Hydrellia).*

Hab. in graminosis udis per Sueciam minus frequens; scilicet in Ostrogothia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar*, cujus benevolentiæ missam debeo.

♂♀. Epistomate obsolete carinato, flavo, antennis immaculatis setæ radiis subquinis, vibrissis utrinque 5, abdomine subænescente, alarum nervo longitudinali 2:do non elongato, & præprimis coxis anticis flavis, ab affinibus cito dignoscitur, nec his notis discernentibus cum *N. griseola* (12), quam magnitudine æquiparat, facile confundi potest. — Frons & thoracis dorsum fusco-grisea, setulosa. Macula supra antennas distincta langvida. Antennæ fusco-nigræ. Epistoma fulvum, interdum dilutius flavum. Vibrissæ tenues. Palpi retracti, flavi. Genæ breviusculæ. Oculi mediocres, ovales. Pleuræ cinerascentes. Abdomen oblongum, puberulum. Alarum nervi ut in *N. incana* (13) & *geniculata* (19) directi, nigricantes. Halteres alboflavi. Pedes nigri, cinereo-micantes, anticorum coxis, in ♂ flavis, antice albo-micantibus, in ♀ extus cinerascentibus, intus pallide testaceis. Tibiæ omnes simplices. Metatarsi postici latere interiori pube brevissima fulvescenti sericea nitente vestiti.

22. *N. cinerella:* grisescenti cinerea, opaca; epistomate superne obtuse carinato, inferne modice dilatato, dilute griseo, vibrissis utrinque 2; antennis nigris, articulo ultimo fusco-testaceo; abdomine nigricante apice nitido;

alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do tertium dimidio & ultra superante; pedibus nigricantibus, tarsis flavo-testaceis, apice fuscis. ♂. (Long. 1 lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4:to vix duplo longius; 6:tum inflexum longitudine 5:ti, angustatum, apice acutum, basi apertura ani tuberculata nigra.

Psilopa cinerella Stenh. Monogr. 251. 1. ♂.

Hab. in uliginosis Lapponiæ Lulensis, ad Qvickjock 1843 a D. Prof. *Boheman* detecta & denominata.

♂. *Notiph. nigricaudæ* (infra n:o 52) & *vittipenni* (53) colore abdominis similis, sed paullo major & antennarum seta pectinata, nec nuda, mox dignota. — Frons convexula, apice declivis, tota grisescens, linea utrinque fusca distincta; postice setosa. Antennarum articulus ultimus brevis, rotundatus testaceo-fuscus; 2:dus apice superne setula munitus. Epistoma latiusculum, obsoletius obtuse carinatum, in medio vix gibberosum, inferne parum inflexum; totum læte l. lutescenti griseum. Vibrissæ inferne utrinque binæ, longiusculæ. Prælabrum inclusum. Genæ breves. Oculi ovales. Thorax cinereo-grisescens, opacus, disco dorsali pubescens, lateribus & postice setosus. Abdomen oblongum, segmentis 4 anterioribus cinereo-nigricantibus, parum nitidis, 5:to nigro, magis nitido. Alæ cinereæ, nervo longitudinali 2:do elongato. Pedes nigricantes, geniculis tarsisque flavo-testaceis, horum articulis ultimis extus infuscatis.

23. *N. glaucella:* glaucescenti cinerea, fronte dorsoque thoracis scutellique griseo-flavescentibus; epistomate superne acute carinato, medio utrinque nigro-tuberculato gibberoso, cinerascente, vibrissis utrinque 4; antennis nigris; abdomine obscure glauco-cinerascente; alis hyalinis, segmento costæ 2:do tertio duplo longiore; pedibus nigro-cinerascentibus, tarsis testaceis. ♂♀. (Long. 1 lin. & ultra).

Mas: abdomen subcylindricum, postice angustatum; segmentum 5:tum 4:to duplo longius, 6:tum inflexum;

Fem.: abdomen ovatum, apice obtusiusculum; segmentum 5:tum paullo brevius, 6:tum annulatum.

Psilopa glaucella Stenh. Monogr. 253. 2. ♂♀.

Hab. in Suecia meridionali raro; in Scaniæ campis arenosis a D. *Sundewall* inventa, testante D. *Stenhammar.*

♂♀. In hac subdivisione magna, sequente, cui epistomatis forma accedit, saltem duplo major. Frons cinereo-grisescens, ut in priori constructa & setosa. Antennæ nigræ, articulo ultimo fusco-cinereo; articulo 2:do apice superne setula armato. Epistoma æqvilatum, versus apicem perparum dilatatum, modice descendens, totum cinerascens; superne distincte acute carinatum, carina apice tuberculo minuto nigro-fusco leviter protuberante; inferne incurvatum ibique medio impressum. Ad latera hujus tuberculi utrinque adhuc unum paullo majus nigrum nitidum. Vibrissæ utrinque 4 distinctæ, quarum suprema ad tuberculum nigrum. Prælabrum inclusum. Genæ manifeste & valde elongatæ. Oculi subrotundi. Thorax supra griseo-flavescens, sat dense pilosus, pilis brevibus depressis. Scutellum concolor. Abdomen oblongum, in fundo nigricans, sed ex colore corporis superinfuso fere concolor. Alæ abdomine parum longiores, hyalinæ, parum flavescentes. Pedes cum coxis glauco-cinerei, geniculis tarsorumque basi testaceis, horum apice fuscescente.

24. *N. obscurella:* obscure griseo-cinerascens, subopaca; fronte antice flavida; epistomate superne acute carinato, in medio transversim gibberoso, toto albicante, vibrissis utrinque 4; antennis sordide testaceis; abdomine nigricante subnitido; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do 3:tio duplo longiore; pedibus nigricantibus, tarsis flavo-testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, versus apicem angustatum, segmentis 4 & 5 æque longis, horum 5:to convexo-inflexo, 6:to inflexo intra marginem 5:ti arcte comprehenso, apertura basali tuberculata nitida;

Fem.: abdomen oblongo-ovale, segmento sexto annulato, prominulo.

Fall. Act. Holm. 1813. 251. 7. ♂♀. Hydromyz. 10. 7. ♂♀. certe secundum specimina typica. — Meig. Dipt. 6. 73. 29. (secundum *Fallèn* descripta). — *Psilopa* Stenh. Monogr. 254. 3. ♂♀. — (Maqvarti *Hydrellia fulvipes* Buff. 525. 13. exceptis "Pieds fauves", nostræ *N. obscurellæ* simillima videtur).

Hab. in graminosis uliginosis ad margines paludum & fossarum aquaticarum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c., rarius; in Ostrogothia passim, D. *Stenhammar*, a quo mihi etiam missa; in Uplandia ad Holmiam D. *Wahlberg*; in Dania valde rara, D. *Staeger*.

♂♀. Parva, oblonga. Frons ut in proxime præcedentibus constructa & setosa, cinereo-grisea opaca, margine antico supra antennas indeterminate sordide testaceo. Antennæ parvæ, sordide testaceæ, seta circiter 7-radiata. Epistoma superne longitudinaliter acute carinatum, medio gibberosum puncto utrinque minutissimo elevato testaceo; totum albicans linea laterali tenui testacea. Vibrissæ utrinque 4, quarum 3 superiores distinctiores unde facies in capite parvo a latere visa setosa perspicitur & "*clypeus*" inde a *Fallèn* l. c. "*totus breviter setosus*" dicitur. Palpi retracti, flavi? Genæ breves. Oculi majusculi, rotundati. Thorax griseo-cinereus, immaculatus, opacus, anterius depresso-puberulus, postice cum scutello setulosus. Abdomen angustatum, nigricans, saltem in ♂ parum nitens, postice parce setosum & subnitidulum. Alarum nervi tenues, costalis validior & magis niger. Nervi longitudinales: 2:dus modice elongatus; 3 & 4 pone transversum ordinarium per-

pendicularem fere in medio l. mox pone medium alæ situm exacte paralleli; 5:tus non usque in summum marginem continuatus. Spinula costæ adest licet parva. Halteres albi. Pedes nigricantes, geniculis summis, tibiarum summo apice tarsisque totis flavo-testacëis, horum articulis ultimis saturatioribus. — A *Notiph. fuscella* (29) & *glabricula* (30), cum quibus in multis convenit, per segmentum costale 2:dum 3:tio duplo longius, nec segmenta costæ 2 & 3 fere æque longa, absque negotio discernitur.

25. *N. pallidula:* cinerascenti incana; epistomate superne acute carinato, in medio parum transversim gibberoso, toto cinerascente; vibrissis utrinque 3; antennis, scutelli apice, abdominis dorso fuscescentis ventre pedibusque, pallide flavo-testaceis; alis flavescenti hyalinis, segmento costæ 2:do 3:tio triplo & ultra longiore. ♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Psilopa pallidula Stenh. Monogr. pag. 257. ♀.

Hab. in uliginosis graminosis rarissime; in Ostrogothia ad Häradshammar in unico specimine a D. *Stenhammar* inventa.

♀. Speciem a me non visam mihique plane ignotam sequente modo Cel. *Stenhammar* l. c. descripsit. "*Psil. (Notiphila) obscurella* (seu priori) fere major, eximie distincta antennis flavo-testaceis articulo 3:tio brevi suborbiculari, summo scutelli apice, ventre pedibusque totis cum coxis omnibus pallide flavicantibus, dorso abdominis fuscescente, & præsertim nervo alarum longitudinali 2:do longiore quam in ulla alia affinium. — Epistoma sat latum, longitudine vix ultra dimidium latitudinem excedente, proprie lutescens, cinerascente-puberulum, parte superiore planiuscula, vix impressa, carinula media tenuissima acuta, partis inferioris incurvatæ disco planiusculo. Vibrissæ tres, ad latera partis inferioris positæ, æquales. Thorax e ci-

nerascente incanus. Scutellum thoraci concolor, puncto apicis pallide flavicante. Abdomen totum subpellucidum dorso infuscato, apice fusco-nigricante, ventre pallide flavo. Pedes etiam pallide flavi. Alæ elongatæ, hyalinæ sed manifeste flavescentes. Nervus alarum longitudinalis elongatus, segmento 2:do saltim triplam tertii longitudinem æqvante l. fere excedente, qua nota, præter coloris diversitatem, ab omnibus antecedentibus hujus gregis speciebus acute distingvitur." *Stenhammar.*

26. *N. nigrina:* oblonga, sordide nigra, nitida, fronte fusca opaca; epistomate superne utrinque impresso, in medio acute carinato, toto cinerascente; vibrissis utrinque 2; antennarum articulo ultimo fusco; alis hyalinis, segmento costæ 2:do 3:to duplo longiore; tarsis flavo-testaceis, apice obscurioribus. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum margine incurvato 6:tum inflexum cingens;

Fem.: segmentum 6:tum annulatum distincte prominulum.

Meig. Dipt. 6. 69. 17. *Hydrellia* Macq. Buff. 2. 521. 3. Meig. Dipt. 7. 373. 14. *Psilopa* Stenh. Monogr. 258. 6. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum in vicinitate aqvæ, sed etiam in truncis arborum viventium Qvercus, Populi &c., per hortos & prata Sueciæ, Maj.—Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, & in horto Esperöd paroeciæ Tranås Julio sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum & acidulas Raguildenses Sudercopiæ, abundanter, D. *Stenhammar*, qui etiam specimina communicavit; in Uplandia ad Holmiam. (Ad Stettin Germaniæ 8 Jun. 1842 plures feminas legit D. *Dahlbom).*

♂♀. Colore totius corporis nigro nitente, epistomatis forma, vibrissis utrinque binis, ratione segmentorum costæ, tarsis flavis &c., a proximis dignoscitur. — *N. obscurella* (24) fere dimi-

dio major. Frons convexo-decliva, fusca, opaca, postice setosa. Macula supra antennas nulla. Antennæ nigræ, articulo ultimo brevi rotundato fusco, in mortua nigro l. obscuro, relicta plerumque macula (l. puncto) basali lutea; seta radiis, ut numero, 6 l. 7. Spinula apicalis in articulo 2:do adest perspicua. Epistoma superne utrinque profunde impressum, carina media elevata; in medio leviter transversim gibberosum, puncto utrinque minutissimo tuberculato nigro nitido, inferne parum convexo-incurvatum; totum in fundo nigrum, sed undique albicanti pollinosum. Vibrissæ utrinque 2 remotæ, superior in medio ad tuberculum nigrum, inferior fere ad sinum oris, infra quam 3:tia minutissima. Palpi retracti, obscuri? Genæ mediocriter longæ. Oculi mediocres, ovales. Thorax ut in priori, sed magis niger nitidus, tenuius puberulus puncto humerali albido plus minus perspicuo, in specimine Sedinensi manifesto. Abdomen subovatum, nigrum nitidum, levissime fusco-pollinosum, segmentis 3, 4 & 5 subæque longis. Halteres albissimi. Pedes nigricantes, trochanteribus, geniculis summis, tibiarum apice summo sæpe, tarsisque totis semper, plus minus læte flavis, horum articulis 2 ultimis infuscatis. A sequente thorace nigriore, nervo longit. 2:do paullo breviori ut & epistomate longe alio &c., facile dignoscenda.

27. *N. plumosa:* subelongata, supra fusca subnitida, fronte concolore opaca, subtus schistacea; epistomate superne haud impresso, ecarinato, planiusculo, cinerascente; vibrissis utrinque 2; antennis nigris, articulo ultimo fusco-testaceo; alis hyalinis, segmento costæ 2:do 3:to saltem triplo longiore; pedibus nigricantibus, tarsis flavo-testaceis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: abdomen postice angustatum, segmentis 3, 4 & 5 subæque longis, horum 5:to margine incurvato 6:tum inflexum cingente;

Fem.: abdomen apice obtusum, segmentis 4 & 5 subæque longis, 6:to annulato, prominulo.

Fall. Hydromyz. 9. 4. ♀. ipsissima. *Psilopa longula* Stenh. Monogr. 259. 7. ♂♀.

Hab. in graminosis & truncis arborum viventium cum priore, haud raro; scilicet in Scania passim, in truncis arborum Qvercus ad Abusa prope Lund 26 Maj., 25 Jul. plura specimina utriusque sexus legi; e Westrogothia olim missa; Calmariæ raro; in Ostrogothia "ad Gusum juxta aqvam in sæpimentis sedens" a D. *Wahlberg* etiam observata, teste D. *Stenhammar*, qui quoque exempla mihi transmisit *).

♂♀. Exemplar typicum, secundum quod beat. *Fallèn* suam diagnosin & descriptionem hujus speciei composuit, a me circa Lund ante multos annos collectum, jam dudum non bene conservatum, nunc quidem ante oculos habeo, sed hodie vetustum & mancum. Per comparationem autem inter hujus fragmenta & individua recentiora atque completa non minus Abusensia quam Ostrogothica, facile intelligi potest ea omnia eidem speciei subjicienda. Neque cum aliis facile confundi potest; nam magnitudine majuscula, statura corporis elongata, nervo longitudinali insolite elongato, ut & in primis epistomate planiusculo, subperpendiculari, non convexo, nec carinato, nec gibberoso, & a *N. nigrina*, cui fronte, antennis, abdomine pedibusque alias proxima, & a ceteris affinibus, valde discrepat. — Frons & antennæ ut in priori, harum articulo ultimo plerumque obscure testaceo, seta 5—6-radiata. Epistoma cinerascens, interdum canescens, sæpe lutescens. Palpi retracti, obscuri? Oculi majusculi ovales. Genæ brevissimæ. Thorax ut in præcedente, sed magis obscure grisescens, nec niger, & minus nitidus. Abdomen nigrum, limbo laterali antico & apice præsertim ni-

*) Cel. *Staeger* mihi sub 11 Aug. 1844 scripsit: "*Notiph. plumosa* in Dania Jul. Aug. Sept. non rara"; sed fortasse *N. plumosa* Stægeri a nostra supra descripta aliena sit. — *N. plumosa* Stenh. identica est cum nostra *N. mutata* n:o 17.

tidum. Alæ ut in *N. nigrina*, sed nervus costalis, ut dictum, aperte longior, & exinde segmentum costale 2:dum 3:tio saltem triplo longius. Spinula costæ minuta adest. Nervus costalis crassior & ater. Halteres albissimi. Pedes nigricantes, tarsis flavis, articulis 2 ultimis parum infuscatis. Trochanteres & genicula non testacea.

Obs. Individuum femineum certe hujus, beato *Fallèn* ante obitum oblatum, ut "*Not. obscurellæ varietatem?*" declaratum fuit, & ita Ipsius digito inscriptum adhuc in collectione mea asservatur. Ex his autem concludi potest speciem (*N. plumosam* loquor) Illustri Viro non rite cognitam esse.

Obs. Huic subdivisioni apte forsitan etiam inseri potest *Notiphila albicans* Meig. Dipt. 6. 65. 3 (seu *Hydrellia albicans* ejusdem 7. 373. 1), quam a D. *v. Winthem* obtinui; & quidem in serie systematica in vicinitate *Not. glaucellæ* (23) & *obscurellæ* (24), quibus structura epistomatis, numero & situ vibrissarum, longitudine & ratione segmentorum costalium 2 & 3, quodammodo similis, ponenda; sed statura breviori ovata, abdomine præsertim late ovato, colore corporis alarumque albidiore, tibiis testaceis, puncto elevato nigro in medio epistomatis gibberis, alis brevioribus (unde *Psilopis* accedit), &c., toto coelo diversa. Hæc vero Galliæ incola Scandinaviæ verisimiliter exsul.

28. *N. flaveola:* oblonga, tota flava, subopaca, antennarum apice, verticis puncto thoracisque lineis tribus fuscanis; alis pallescentibus, segmento costæ 2:do 3:tio fere triplo longiore. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 66. 5. *Hydrellia flaveola* Macq. Buff. 2. 524. 6. Meig. Dipt. 7. 373. 3.

Hab. in Suecia certe omnium rarissime; mihi numquam obvia, sed specimen descriptum ante plures annos mecum communicavit Prof. *C. H. Boheman*, testans se illud in Smolandia circa Anneberg invenisse.

♀. Colore totius corporis & omnium partium pallide flavo, thoracis tantum vittis 3 fuscis, ab omnibus Scandinaviæ speciebus abunde distincta. — Oblonga, subopaca. Frons lata postice setosa, puncto ocellorum trigono-fusco. Antennæ flavæ, articulo ultimo fusco, seta pauci-radiata. Epistoma nonnihil læsum, violentia quadam impressum, sed color pallidus & seta utrinque mystacina facile observari possunt. Proboscis pubescens. Oculi parvi, rotundati, obscure ferruginei. Genæ manifeste descendentes. Thorax glaber; postice & lateribus parce setosus; dorso vittis 3 subintegris, latiusculis, æqualibus, modice remotis, fusco-brunneis. Scutellum medio & apice dilute fuscum, margine setis 4 ordinariis armatum. Abdomen oblongum, subnitidum, tenuissime nigro-puberulum; segmentum 5:tum singulo antecendentium subæqualium fere duplo longius; 6:tum parvum, annulatum, prominulum; totum abdomen flavo-ferrugineum, fasciis subquinis interruptis dilute ferrugineis obsoletis. Alæ elongatæ, flavido-hyalinæ, nervis pallescentibus. Nervi longitudinales: auxiliaris modice brevis; 2:dus longissimus, unde segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo & ultra longius; 3:tius 4:tusque pone transversum ordinarium paralleli; 5:tus sat longe infra transversum continuatus usque ad summum marginem interiorem extensus. Nervi transversi modice remoti, horum medius nonnihil pone apicem nervi auxiliaris situs, ordinarius paullo pone medium alæ ductus, a margine remotior, & ante medium areæ ultimæ seu intermediæ insertus; hinc segmentum nervi longit. 4:ti secundum tertio fere duplo brevius. Segmentum costæ 1:mum subnudum & spinula nulla, nisi setulam minutissimam reflexam numerare velis. Halteres & pedes simplices flavi, tarsis summo apice leviter infuscatis.

β. Segmenta costæ 2:dum & 3:tium aut subæque longa, aut 2:dum 3:tio paullulum tantum, saltem non sesquiplo, longius, h. e. nervus longitudinalis secundus breviusculus paullo remotius ab apice alæ in costa excurrens.

†. Vibrissæ utrinque 2, nec plures. *Psilopa* Stenh.

29. *N. fuscella:* obscure fusca subopaca; epistomate superne obtuse carinato, in medio transversim gibberoso, nigro-cinerascente; antennis nigris; abdomine nigro, limbo subnitido; alis subfumato-hyalinis, segmento costæ 2:do 3:tium longitudine parum superante; halteribus albis; pedibus nigris, tarsis fuscis posticis intus brevissime flavo-sericeis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: abdomen angustatum, margine segmenti 5:ti incurvo 6:tum inflexum cingente;

Fem.: abdomen ovatum, segmento 6:to annulato prominulo.

Psilopa fuscella Stenh. Monogr. 255. 4. ♂♀. (Sect. 1. *Clasiopa).*

Hab. in uliginosis Sueciæ mediæ & borealis, minus frequens; scilicet in Ostrogothia passim rarius, D. *Stenhammar*, cujus gratiæ typicam debeo; in Uplandia ad Holmiam; in Bottnia boreali ad Bredåker & Storsand paroeciæ Öfver-Luleå, D. *Boheman;* in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, Idem.

♂♀. Minuta. Statura & color corporis ut in *N. obscurella* (24), sed brevitate segmenti costalis 2:di seu nervi longitudinalis 2:di, vere diversa. — Frons ut in *N. cinerella* (22), & *obscurella* (24). Antennæ breves, totæ nigræ, setæ radiis circiter 6. Epistoma superne utrinque sat profunde impressum, & exinde carina media satis evidens; in medio transversim gibberosum, inferne convexo-incurvum; totum in fundo nigricans subnitens, sed polline cinerascente leviter superfusum. Vibrissæ utrinque 2 distinctæ & 3.tia inferior gracillima. Præterea seta utrinque mystacina in sinu oris minuta ut in plerisque. Palpi retracti. Oculi proportione majusculi, ovales. Genæ mediocres l. breves. Thorax & scutellum omnino ut in *N. obscurella.* Abdomen

oblongum, nigrum, puberulum, antice subopacum, postice magis nitidum, segmentis 3, 4 & 5 subæque longis, horum vero 5:to antecedente nonnihil longiore. Alæ abdomine non multo longiores, directione nervorum ut in proxime præcedentibus, sed segmentum costæ 2:dum 3:tium quidem longitudine aliquantulum excedit, perparum vero superat. Halteres albi. Pedes nigri, tarsis basi fuscis, vix testaceis; metatarsi vero postici interdum pallescunt.

30. *N. glabricula:* nigra subnitens; fronte obscura, opaca; epistomate superne acute carinato, in medio leviter gibberoso, inferne planiusculo abbreviato, toto nigrocinerascente; antennis nigris; alis cinereo-hyalinis, segmentis costæ 2:do & 3:tio æque longis; halteribus albis; pedibus nigris, tarsis flavo-testaceis, apice infuscatis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ lin.).

Mas: abdomen oblongum, segmento 5:to 6:tum inflexum apice acutum longitudine æquante margineque incurvo cingente;

Fem.: abdomen ovatum, obtusum, segmento sexto annulato, prominulo.

Fall. Act. Holm. 1813. p. 251. 6. ♀. Hydromyz. 10. 7. ♀. (specimen typicum ipsissimum Fallenianum ante oculos habeo, hodie vetustum, tamen partibus bene conservatum). — Meig. Dipt. 6. 73. 28 (ex descriptione Falleni sola descripta). *Psilopa glabricula* Stenh. Monogr. 256. 6. ♂♀. (Sect. *Clasiopa).*

Hab. in graminosis &c., Sueciæ meridionalis & mediæ, hactenus propter minutiem raro observata; scilicet in Scania ubi specimen originarium in Fogelsång ante multos annos detegi; e fungis vero ad Lund (Scaniæ) captis plura individua utriusque sexus d. 3 Oct. 1837 exclusa eximius *Dahlbom* mihi communicavit; in Ostrogothia "ad

margines paludum & fovearum coenosarum* teste Cel. *Stenhammar*, a quo etiam transmissam possideo.

♂♀. Omnium certe minutissima. Tota nigra nitidula vix l. parum fusco-micans, abdomine nitidiore. Frons subopaca, antice declivis, postice setulosa. Antennæ totæ nigræ (in juvenilibus & nuper declaratis dilute fuscæ l. testaceæ), seta radiis circiter 5 (nec plures numero). Epistoma in fundo nigricans, leviter cinerascenti pollinosum. Vibrissæ utrinque 2. Præterea setulæ mystacinæ in sinu oris utrinque 2 l. 3, quarum tantum unica distincta. Oculi majusculi, rotundati. Genæ brevissimæ. Thorax postice & scutellum planiusculum, parce setulosa. Pleuræ cinerascentes. Abdomen parum puberulum. Alæ subcinereo-hyalinæ, nervis ut in priori directis, sed longitudinali 2:do fere adhuc paullo breviore. Nervus long. 5:tus non usque ad summum marginem alæ interiorem extensus. Halteres albi. Pedes simplices, nigri, tarsis pallide testaceis articulis ultimis leviter fuscescentibus.

Obs. In exemplis Scanensibus atque in his typico nervus longitudinalis secundus ad exitum in costam apice levissime flectitur, sed in speciminibus Ostrogothicis idem nervus in costam apice rectissimo exit. In ceteris vero quantum observare possim, omni puncto conveniunt. — *Psilopa nigritella* Stenh. & eadem hujus operis infra n:o 3, huic nostræ *N. glabriculæ* valde similis est, epistomatis forma excepta.

31. *N. argyrostoma:* nigra nitida, fronte atra velutina, macula supra antennas nivea; epistomate planiusculo ecarinato argenteo; antennis nigris (♀), aut articulo ultimo subtus fusco-testaceo (♂); alis subhyalinis, segmentis costæ 2:do & 3:tio subæque longis; halteribus citrinis; pedibus nigricantibus, tibiis tarsisque fuscescentibus. ♂♀. (Long. $\frac{1}{3}$ fere $\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen segmento 6:to inflexo, minuto, brevi, nigro;

Fem.: abdomen apice obtuso.

Stenh. Monogr. 236. 32. ♂♀. *(Hydrellia).* Fig. 26. (ala). — *N. albilabris* Meig. Dipt. 6. 71. 22? *Discocerina albilabris* Macq. Buff. 2. 528. 3?

Hab. in graminosis uliginosis & scaturiginibus, per Sueciam mediam passim; scilicet in Westrogothia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; mihi in Succia meridionali haud obvia, sed a D. *Boheman* & *Stenhammar* communicata.

♂♀. Minuta. Per colorem totius corporis nigrum nitidum, frontem atram, maculam supra antennas distinctam candidam, epistoma subangustatum, parallelum (nec inferne dilatatum), planiusculum absque carina, totum argenteum, nervum longit. 2:dum insolito brevem, fere ante nervum transv. ordinar. in costa apice inflexo eductum & exinde segmentum costale 2:dum 3:tio nonnihil brevius, halteres pulchri citrini coloris, ut & pedes nigricantes, tibiis tarsisque tantum obscure fuscis l. piceis, intra subdivisionem suam satis superque distincta. — Frontis lineæ laterales normales aterrimæ & ita approximatæ ut subconfluentes totam fere frontem impleant. Antennæ nigræ, articulo ultimo rotundato, in ♂ apice subtus fusco-pellucido, seta in utroque sexu 5-radiata. Seta utrinque mystacina præter vibrissas 2 evidentes adest. Oculi majusculi. Genæ mediocres, breves. Palpi, ni fallor obscuri. Thorax postice parce setulosus. Abdomen oblongum, puberulum, segmentis posterioribus subæque longis. Alæ hyalinæ, non infuscatæ. Nervi ut in priori directi, excepto nervo long. 2:do adhuc paullo breviore. Nervus longit. 5:tus fere ad summum marginem interiorem continuatus. Pedes simplices, opaci, puberuli.

Obs. Synonymon Meigeni dubium, quia halteres "albas" describit Auctor Clarus. Nec multum a *Notiph. albicipite* Meig. Dipt. 6. 68. 11, magnitudine & halterum colore exceptis, nostra *N. argyrostoma* discedit. Synonymon Macquarti ideo anceps, quod in *Discocerinæ* speciebus nervus 5:tus longitudinalis mox infra transversum ordinarium abbreviatus, nec ad marginem productus, ut in nostra *N. argyrostoma.*

††. Vibrissæ utrinque 3 l. 4 plerumque 5. (Sect. *Hydrellia* Stenh.).

32. *N. fusca:* obscure fusco-cinerascens, subopaca, fronte fusco-nigricante, macula supra antennas alba l. pallida; epistomate leviter obtuse carinato, argenteo aut pallide flavo; vibrissis utrinque 5; antennis nigris; alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do tertium paullulum superante; pedibus totis nigris. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, segmento 5:to 4:to fere duplo longiore, 6:to inflexo, basi convexiuscula prominulo, appendice brevi, bifida, ferruginea;

Fem.: abdomen subovatum, segmentis 5 & 4 æque longis, 6:to annulato, evidenter prominulo.

Stenh. Monogr. 225. 24. ♂♀.

Hab. in Suecia media, Ostrogothia; in foliis natantibus Nympheæ & Polygoni amphibii in lacu Sörbyholmensi paroeciæ Häradshammar sat copiose inventa a D. *Stenhammar*, qui etiam speciminibus utriusque sexus me donavit.

♂♀. *N. concolori* 18, & *pilitarsi* 21, sat similis, paullo obscurior. Frons nigricans, lineis lateralibus obscurioribus. Antennæ breves, nigræ, seta 7-radiata. Macula supra antennas epistomati concolor. Epistoma subangustatum, inferne modice dilatatum, subdescendens, in medio longitudinaliter leviter obtuse carinatum, totum argenteum (aut in specimine misso masculo flavidum). Palpi flavi. Oculi mediocres, ovales. Genæ breviusculæ. Thorax dorso fusco-nigricans, supra totus parce setosus. Pleuræ cinerascentes. Abdomen nigricans, vix ænescens, subnitens, pubescens. Alarum segmentum costæ 2:dum 3:tio nonnihil, sed non dimidio longius, ita ut si rationem mensuræ exactius determinarem, segmentum 2:dum 3:tio sesquitertia ($1\frac{1}{3}$) l. sesquioctava ($1\frac{1}{8}$) longitudine vix superare di-

cerem. Nervi omnes subnigricantes; longitudinalis 5:tus fere, sed non plene, ad marginem descendens. Pedes toti nigri, coxis anticis præsertim in ♂ antice canescenti micantibus. Tibiæ intermediæ in ♂ nonnihil compresso-dilatatæ ut solito in speciebus, quarum vivendi ratio in foliis plantarum aqvaticarum natantibus talem tibiarum structuram exigit.

33. *N. Nympheæ:* fusco-nigricans, subtus cinerea; epistomate convexo-subcarinato, descendente, subargenteo; antennis nigris (♀), aut articulo ultimo toto flavo-testaceo (♂); alis cinereo-hyalinis, segmento costæ 2:do tertium paullulum superante; pedibus nigris, tarsis flavo-testaceis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas: abdomen angustatum, subcylindricum, segmento 5:to 4:to fere duplo longiore. 6:to inflexo basi convexiuscula prominulo; tibiis intermediis paullo dilatatis;

Fem.: abdominis segmenta 5 & 4 æque longa, tibiis simplicibus.

Stenh. Monogr. p. 227. ♂♀.

Hab. rarissime cum priore; sed in foliis Nympheæ luteæ in lacu coenoso Holmiensi Uplandiæ, Clara-sjö dicto, ubi *N. fusca* haud visa, ab oculatissimis *Wahlberg* & *Stenhammar* in utroque sexu non parce observata.

♂♀. Speciei mihi ignotæ descriptionem, quam dedit Cel. Monographiæ Ephydrinarum Auctor, intactam reddo. "Corporis forma & colore ad *N. fuscam* proxime accedit. Paullo tamen minor. Alæ etiam minus cinerascunt, & nervus longitud. secundus fere aliquantum longior. Tarsi saltem posteriores fere toti pallide testacei, antici interdum, basi excepta, fuscescentes. In mare antennarum articulus tertius totus flavo-testaceus & margo segmenti abdominis quinti margini qvarti fere parallelus, nec ut in *N. fusca* oblique adscendens. Forma igitur segmenti qvinti magis normaliter annularis diversitatem a *N. fusca* prodere videtur." *Stenhammar* l. c.

Obs. Per varias illas notas discernentes supra allatas, & præcipue segmenti abdominis 5:ti rationem in ♂, maris antennarum articulum ultimum flavo-testaceum, ut & tarsos in utroque sexu flavos, species mihi sat distincta videtur, a Clar. Indagatore dubia proposita.

34. *N. grisea:* supra fusco-grisea, subtus cinerascens; tota opaca; epistomate leviter obtuse carinato, albo vel flavo, macula supra antennas concolori; vibrissis utrinque 4 distinctis; antennis nigris, medio flavis; abdomine vitta dorsali fusca, segmentis posterioribus æque longis; alis hyalinis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; trochanteribus tibiisque obscure testaceis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Mas: abdomen oblongum, angustatum, segmento 6:to inflexo, minimo, triangulari, convexo, apice acutiusculo, dimidiam partem segmenti 5:ti æquante; antennarum articulo ultimo basi latius flavo-testaceo;

Fem.: abdomen ovatum, apice acutum, antennarum articulo ultimo basi angustius flavo.

Stenh. Monogr. 227. 25. ♂♀.

Hab. in foliis plantarum aqvaticarum, ut Nymphcæ, Polygoni, Potamogetonis, passim frequenter; hactenus tantum in Suecia media observata; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, ubi primum a Prof. *Wahlberg* inventa & denominata, deinde etiam alibi ex. gr. ad Holmiam lecta. Mihi a D. *Stenhammar* ex utroque sexu communicata.

♂♀. Corpore, in primis maris, angustato, antennis medio pallescentibus, abdomine vitta media fusca, segmentis 4 & 5 in utroque sexu subæque longis, 6:to in ♂ minuto, trochanterum tibiarumque colore sordide testaceo, ab affinibus sine difficultate dignoscitur. A *N. griseola* 12. & *incana* 13. quibus

colore corporis ut plurimum convenit, magnitudine paullo majore, antennarum tibiarumque pictura, segmento costali 2:do breviore, &c., discedit. — Opaca. Frons setosa. Antennarum radii circiter 6, mediocriter longi. Epistoma superne obtuse convexo-carinatum, inferne planiusculum, dilatatum, in utroque sexu, observante D. *Stenhammar*, aut album aut flavum. Vibrissæ utrinque 4 distinctæ, præter 5:tam infimam minutissimam. Palpi retracti, flavi. Oculi majusculi, ovales. Genæ mediocres l. breves. Thorax dorso griseo-fuscescens, setosus. Pleuræ dilutiores. Abdomen opacum, pubescens, griseum, vitta longitudinali media, in segmentis anterioribus præsertim dilatata, ad qvintum continuata, tota fusca. Alarum nervi omnino ut in *N. fusca* (32), sed longitudinalis 2:dus nonnihil brevior. Halteres pallide citrini. Pedes grisescentes, coxis anticis læte cinereis. Trochanteres omnes subtestacei. Tibiæ sordide l. sufusco-testaceæ, intermediæ plerumque, posticæ etiam interdum, immaculatæ, sed anticæ & posticæ sæpissime grisescenti annulatæ, basi apiceque summis tantum testaceis. Tarsi fuscescentes.

35. *N. laticeps:* supra obscure fusco-grisea, subtus cinerea, tota opaca; epistomate latiusculo leviter obtuse carinato, pallide flavo aut albicante, macula supra antennas concolore; vibrissis utrinque 4—5; antennis nigris, articulo ultimo subtus flavo; abdomine obscure æneseente, subnitente, segmento 5:to 4:to duplo & ultra longiore; alis albo-hyalinis, segmentis costæ 2:do & 3:tio subæque longis; pedibus flavo-testaceis, coxis posterioribus femoribusque omnibus griseo-nigricantibus, tarsis apice fuscis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: paullo minor; abdomen oblongum, apice truncatum, segmento 5:to longitudine segmentorum 2:di, 3:tii & 4:ti simul sumtorum, 6:to inflexo, appendice ovata, acutiuscula, bifida, testacea, ultra tertiam abdominis partem elongata; antennarum articulo ultimo pallido, superne extus fuscescente;

Fem.: robustior; abdomen subovatum, segmento 5:to longitudine segmentorum 3:tii & 4:ti simul sumtorum, 6:to subprominulo; antennarum articulo ultimo fusco, basi testaceo.

Stenh. Monogr. 229. 26. ♂♀. figg. 24. 25 (ala & abdominis segmentum 6:tum).

Hab. in paludosis regionum Sueciæ interiorum, minus frequens; sed in litoribus marinis passim copiosissima; in Ostrogothia litorali ubique, D. *Stenhammar*, qui plura specimina utriusque sexus amice communicavit; in Uplandia ad Holmiam; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*.

♂♀. Per antennas apice subtus flavas, abdominis segmenti 5:ti ratione antecedentium insolitam longitudinem, alas albescentes, ut & pedes ad maximam partem testaceos, hæc species ab aliis facillime distingvitur. — Frons lata, fusca, setosa. Macula supra antennas plerumque albicans. Antennarum seta radiis circiter 6. Epistoma sat latum, superne subcarinatum, inferne planiusculum dilatatum, totum plerumque in utroque sexu testaceum, interdum sordide albicans. Vibrissæ utrinque 5, in ♂ sæpius 4. Palpi flavi. Oculi mediocres, subovales. Genæ mediocres, breviusculæ. Thorax immaculatus, setosus. Abdomen obscurius, pubescens. Alæ certo situ sat distincte albicantes, nervis ut in priori. Halteres pallide citrini. Pedes puberuli. Coxæ anticæ fere totæ testaceæ, posteriores cinereæ. Trochanteres omnes testacei. Femora cinereo-nigricantia, antica posticaque summo apice testacea. Tibiæ testaceæ, posticæ basi plerumque extus obscuræ. Tarsi antici toti fusci, postici testacei, apice fusci.

36. *N. discolor:* supra obscure fusco-grisea, subtus cinerea; opaca; epistomate planiusculo superne levissime carinato, toto argenteo, macula supra antennas concolore; vibrissis utrinque 5 subæqualibus; antennis nigris, articulo ultimo toto flavo-testaceo (♂), aut subtus testaceo (♀); abdomine obscure ænescente, subnitente, segmentis posterioribus subæque longis; alis cinereo-hyalinis, segmentis

costæ 2 & 3 æque longis; pedibus nigris, tibiis tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen segmento 5:to 4:to parum longiore, sexto inflexo, appendice brevissima, ovato-lanceolata, bifida, flavo-testacea; antennarum articulo ultimo flavo;

Fem.: abdomen segmentis 5:to & 4:to æque longis; antennarum articulo ultimo subtus plus minus testaceo, interdum fere toto obscuro, immaculato.

Stenh. Monogr. 230. 27. ♂♀.

Hab. in Suecia media, passim, etiam in maritimis; in Ostrogothia frequenter, D. *Stenhammar*, a quo multa specimina accepi; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*.

♂♀. Pygmæa. Similis *N. griseæ* (34), sed minor, & differt: antennarum articulo ultimo in ♂ toto, in ♀ latius, flavo, vibrissis utrinque 5 longiusculis, abdomine nitente & ænescente unicolore (nec griseo, opaco, vitta media fusca), trochanteribus nigris, nec rufescentibus, tarsis testaceis, nec fuscis. — Epistoma inferne parum dilatatum, totum candidum. Palpi flavi. Antennarum articulus ultimus subangulatus, seta radiis 5—6. Macula supra antennas distincta, nivea. Oculi majusculi, ovales. Genæ breves. Thorax obscure griseus, opacus, parce setosus. Scutellum planiusculum, subnitens. Abdomen oblongum (♂), aut subovatum (♀), nigro-ænescens, nitidulum, puberulum. Alarum segmentum costale 2:dum, ut mihi videtur, 3:tio in ♂ æquale l. fere aliquantulum brevius, in ♀ fere aliquantulum longius. Nervi præterea ut in proxime præcedentibus directi. Halteres pallide citrini. Pedes cinerascenti nigri, tibiis tarsisque rufo-testaceis, horum articulo ultimo fuscescente. Tibiæ posticæ basi plus minus late, intermediæ basi anguste, interdum obscurescunt.

37. *N. fulviceps:* supra obscure fusco-grisea, subtus obscure cinerea; parum nitida; epistomate angustato, carinato, fulvescente; macula supra antennas flavida; vibris-

sis utrinque 5 inæqualibus; antennis atris; abdomine nitente, segmentis posterioribus subæque longis; alis subfumato-hyalinis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; pedibus nigricantibus, coxis anticis apice trochanteribusque omnibus rufescentibus, metatarsis posterioribus testaceis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen segmento 6:to inflexo, brevissimo, appendice brevi, cordato-emarginata, ultra medium bifida, flava;

Fem.: abdomen segmento 6:to annulato, prominulo.

Stenh. Monogr. 231. 28. ♂♀. fig. 27 (maris segmentum anale 6:tum).

Hab. in uliginosis Sueciæ mediæ præcipue continentalis, passim frequens; scilicet in Ostrogothia ad Häradshammar &c., D. *Stenhammar*, qui specimina multa utriusque sexus dedit, sed tempus florendi non indicavit; in Westrogothia, D. *Boheman;* in litore maris ad Amager Daniæ mens. Sept. quoque observata fuerit, teste D. *Staeger* in litteris.

♂♀. Epistomate fulvo per totam longitudinem carinato, antennis totis atris, coxis anticis apice, trochanteribusque omnibus ferrugineis, metatarsis posterioribus flavis, abdominis segmentis 5 & 4 & invicem & in utroque sexu fere æque longis, ut & segmento 6:to in ♂ brevissimo appendice in lobos rotundatos profunde fissa, in hac subdivisione a reliquis satis distincta. — Frons obscure fusca, opaca, setosa, macula antica supra antennas distincta, pallida. Antennæ totæ atræ, seta radiis 6, raro 7. Epistoma superne subangustatum, inferne modice dilatatum utrinque impressum, haud descendens; evidenter carinatum; totum aureo-fulvum, interdum pallidius. Vibrissæ utrinque 5, quarum 3 superiores eminentes. Thorax supra fusco-griseus, subopacus, setosus, subtus cinerascens. Abdomen olivaceo-nigrum, subnitidum, puberulum, apice in utroque sexu acutiusculum.

Alæ hyalinæ, leviter fuscanæ, nervis ut in *N. grisea* (34) directis. Halteres pallide citrini. Pedes ut in diagnosi; antici, exceptis apice coxarum & trochanteribus rufinis, toti nigro-fusci.

38. *N. nigripes:* supra olivaceo-nigra subnitida, sublus obscure cinerea; epistomate planiusculo superne levissime carinato, toto fulvescente, macula supra antennas pallida; vibrissis utrinque 5 inæqvalibus; antennis nigris, articulo ultimo flavo; abdominis segmentis posterioribus subæque longis; alis cinereo-hyalinis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; pedibus cinerascenti nigris, metatarsis posticis fusco-testaceis. ♂♀. (Long. ½ lin.).

Mas: abdomen apice obtusum, segmento 6:to inflexo, brevi, appendice lineari, carinato-convexa, obtusiuscula, nigricante, incano-tomentosa, 4:tam abdominis partem æqvante;

Fem.: abdomen apice acutiusculum, segmento 6:to annulato, subprominulo.

Zett. Ins. Lapp. 717. 4. ♂. — *Notiph. flavicornis* Stenh. Monogr. 232. 29. ♂♀. certissime, secundum specimen ab Ipso Cel. *Stenhammar* communicatum (excluso synon. Fall. *N. flavicorni*, quæ apud nos supra sub n:o 15 est invenienda).

Hab. in graminosis & paludosis, per Sueciam mediam & borealem, minus frequens; scilicet in Ostrogothia, D. *Stenhammar;* in Lapponia Umensi ad pagum Wilhelmina d. 18 Jul. 1832 specimen typicum a me detectum; in Lapponia (Lulensi?) 1843 individua plura invenit D. *Boheman*, teste Eoden *Stenhammar*.

♂♀. Per minutiem corporis, colorem olivaceo-nigrum nitentem, antennarum articulum ultimum totum flavum, epistoma flavo-fulvum superne tantum obsolete carinatum, abdominis segmenta 4 & 5 subæque longa & simul sumta tria anteriora etiam simul sumta longitudine paullo superantia, & denique pedes piceo-ni-

gros subimmaculatos, a reliquis abunde differt. — Frons obscura, setosa, macula supra antennas distincta pallida. Antennæ seta 6—7-radiata. Epistoma inferne tantum leviter dilatatum, haud descendens, apice utrinque subimpressum. Vibrissæ utrinque 5, quarum 3 superiores magis eminentes. Præterea setula solita mystacina utrinque in sinu oris. Palpi retracti, flavi. Oculi majusculi, ovales, in viva rufescentes. Genæ brevissimæ. Thorax supra parce setosus. Pleuræ obscure cinereæ. Abdomen oblongo-ovatum, puberulum, olivaceo-nigrum, certo luminis situ æneo-micans. Segmentum 4:tum 3:tio paullo longius. Nervi alarum fere ut in *N. grisea* (34). Segmentum costæ 2:dum 3:tio vix l. paullulum tantum longius. Nervus longit. 5:tus apice parum abbreviatus fere usque ad summum marginem alæ interiorem extensus. Halteres pallide citrini. Pedes simplices, puberuli, piceo-nigri, leviter cinereo-micantes. Coxæ saltem anticæ cinereæ l. canescentes. Genicula puncto in fractura ferrugineo. Tarsi plerumque dilutiores. Metatarsi postici fusco-ferruginei. — Antennarum apex in ♀ plerumque leviter fuscescens.

39. *N. nigricans:* ænescenti nigra nitida, subtus cinerea; epistomate planiusculo, argenteo, macula supra antennas concolore; vibrissis utrinque 5 subæqualibus; antennis nigris, articulo ultimo basi angustissime testaceo; abdominis segmentis posterioribus subaque longis; alis cinereo-hyalinis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; pedibus nigricantibus, metatarsis posticis fusco-testaceis. ♂♀. (Long. fere $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen attenuatum, segmento 6:to inflexo, brevissimo, appendice lineari-ovata, nigra;

Fem.: abdomen subovatum, segmento 6:to annulato.

Stenh. Monogr. 231. 30. ♂♀. vera (secundum specimen typicum ab Ipso acceptum). — *Hydrellia maura* Meig. Dipt. 7. 374. 21? (ut conjicit D. *Stenhammar* l. c.).

Hab. in graminosis & uliginosis præsertim in litoribus marinis, per Sueciam passim; in Scania rarissime; in Ostrogothia; in Upplandia ad Holmiam; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; &c.

♂♀. Priori valde affinis & similis, sed paullo major, longior, & antennis nigris, epistomate argenteo, nec fulvo, colore corporis & præsertim abdominis magis ænescente, &c., plene diversa. Nec cohabitant. — Frons obscura, lineis utrinque lateralibus nigris. Macula antica supra antennas (vel rectius intra antennas, nam cum epistomate superne cohæret & inde color maculæ & epistomatis plerumque similis) distincta, alba. Antennarum articulus ultimus brevis, suborbicularis basi transversim tenuissime flavidus, in mortua fere totus niger. Seta radiis 6—8. Epistoma superne obsoletissime carinatum, inferne parum dilatatum, totum candidum. Palpi retracti, flavi. Vibrissæ utrinque 5, subæqvales. Thorax supra parce setosus. Abdomen puberulum. Alæ exacte ut in præcedente, etiam quoad nervorum directionem. Halteres pallide citrini. Pedes ut in diagnosi.

40. *N. flavilabris:* supra nigro-fusca subopaca, subtus cinerea; epistomaste supra angustato, obsoletissime carinulato, inferne planiusculo, toto fulvescente l. albicante, macula supra antennas concolore; vibrissis utrinque subqvinis, inæqvalibus; antennis nigris, articulo ultimo flavo, superne fusco; abdominis subnitentis segmento 5:to 4:to paullo longiore; alis cinereo-hyalinis, segmentis costæ 2 & 3 exacte æque longis; pedibus nigricantibus, anticorum coxis tibiisque, posteriorumque tibiis apice tarsisque basi, testaceis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen segmento 5:to 4:to dimidio & ultra longiore, 6:to inflexo, brevissimo, appendice breviuscula transversim elliptica convexa apice truncata;

Fem.: abdomen segmentis 5 & 4 subæque longis, 6:to annulato,

Stenh. Monogr. 235. 31. ♂♀.

Hab. locis turfosis, in Suecia media hactenus observata; in Ostrogothia ad Gusum capta specimina utriusque sexus benevolentia celeberrimi speciei Descriptoris mecum communicata, tempore vero vigendi non indicato.

♂♀. Tam similis est *N. laticipiti* (35), ut primo adspectu eandem fere crederes; sed præter magnitudinem paullo minorem, epistoma angustius, segmenta abdominis posteriora nonnihil forte breviora, pedum picturam & quasdam alias levioris momenti notas, differt ab illa præprimis per appendicem analem segmenti 6:ti maris dissimilem, cujus structuram & rationem extricavit oculatissimus *Stenhammar*, quare fide Ejus speciem ut distinctam etiam propono. — Frons modice lata, fusca, setosa. Antennæ nigræ, articulo ultimo in ♂ pallescente, extus ad basin nigricante, intus puncto apicis fusco superne sæpe ornato; in ♀ superne magis infuscato, tantum basi subtus testaceo. Seta radiis 5. Epistoma superne angustatum, vix carinatum, inferne modice dilatatum, parum descendens, totum luteo-flavum l. raro albicans. Palpi retracti, flavi. Vibrissæ utrinque 4—5, inferiores, ut solito, sensim decrescentes. Thorax supra griseo-fuscus, parce setosus, opacus. Abdomen oblongum, puberulum, nigricans leviter æneo-micans, subnitens. Segmentum 5:tum 4:to in ♂ vix duplo, in ♀ circiter dimidio, longius. Alæ cum nervis ut in priori. Pedes nigricantes, simplices; in illis rufo-testacea sunt: apex coxarum anticarum late, trochanteres, tibiæ anticæ totæ, tibiarum posteriorum apex & basis tarsorum posticorum. Tarsi nigro-fusci.

41. *N. lapponica:* griseo-fusca, epistomate superne coarctato, obtuse carinato, infra medium eximie dilatato, descendente, toto albicante opaco, macula frontali concolore; antennis nigris, articulo ultimo suborbiculato basi subtus testaceo; abdomine æneo-viridi, nitente; alis subhyalinis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; pedibus

nigricantibus, coxis anticis, tibiis omnibus metatarsisque posterioribus flavo-testaceis. ♀. (Longit.)

Stenh. Monogr. p. 237. ♀.

Hab. in Lapponia Åselensi, Mus. Reg. Acad. Scient. Holmiense, ubi 2 individua asservantur.

♀. Auctoritate Cel. *Stenhammari* speciem a me non visam afferam, adjecta descriptione a Clar. Auctore l. c. data. "Pedum pictura *Not. laticipiti* similis, at abdomine æneo-viridi metallice nitente, lineis lateralibus verticis (frontis) eximie nigris, certo situ sericeo-atris, sed præcipue epistomate superne arctissime angustato, protruso-convexo, inferne valde inflexo-dilatato, luculenter ab omnibus differt. — Vibrissæ (utrinque) 5. Seta antennarum 5-radiata. Corpus subtus, latera thoracis & coxæ pedum posteriorum plumbeo-cinerea. Maris ignoti articulus antennarum tertius ex analogia specierum antecedentium forte totus flavo-testaceus." *Stenhammar.*

Obs. Notiph. pusilla Meig. Dipt. 6. 71. 23. seu *Discocerina* eadem Macq.: "nigra opaca; antennis, tibiis tarsisque flavis, nervo qvinto alarum apice abbreviato; $\frac{3}{4}$ lin. long. Epistoma albicans. Antennæ basi nigræ. Alæ hyalinæ. Halteres albi." Meig. seriei nostræ sub littera A. inserenda, in Dania "mense Junio pluries lecta", ut per litteras asseveravit D. *Staeger*, mihi plane ignota.

B. Seta antennarum nuda aut nudiuscula (in *N. picta* (n:o 46) var. seta breviter subradiata).

Epistoma lineola impressa circumscriptum. Setulæ vibrissinæ utrinque paucæ, exiguæ. Spinula in apice antennarum articuli 2:di nulla. Orbitæ oculorum tenues, sed manifestæ. Abdomen basi saltem parum convexum. Alarum nervi: longitudinales, 2:dus apice plerumque leviter incurvatus, 3:tius 4:tusque pone transversum ordinarium sæpissime paralleli; transversi

plus minus in disco approximati, horum medius seu anterior mox pone apicem nervi auxiliaris ductus, & ordinarius versus medium alæ a margine interiore remotius situs. Spinula costæ nulla. *Philygria* & *Telmatobia* Stenh.

a). Epistoma subangustatum, esulcatum. Prælabrum inclusum. Nervi longitudinales 4 & 5 ad transversum ordinarium breviusculum leviter incurvati, horum 5:tus non ad marginem interiorem extensus. *Philygria* Stenh. — *Mas:* abdominis segmento 6:to ovato intra marginem incurvatum 5:ti comprehenso, apertura ani a basi 6:ti introrsum elongata. *Minutæ* aut *minutissimæ*.

*. Alæ cinereo-hyalinæ immaculatæ. (*N. nigricauda* nervis transversis angustissime infuscatis in serie altera ** sub n:o 52 invenienda).

42. *N. abdominalis:* nigra, nitida, sublilissime punctulata; epistomate sordide lutescente; antennis nigricantibus, articulo ultimo suborbiculari; abdomine dorso basi late impresso, segmentis 4 & 5 magnis convexo-declivibus; alarum segmentis costæ 2 & 3 æque longis; pedibus nigris, tarsis pallide testaceis. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Mas: abdominis segmento 6:to plano, ovato, apertura ani basali tuberculato, intra marginem segmenti 5:ti valde incurvatum & coarctatum comprehenso;

Fem.: abdominis segmentis ultimis annulatis, sub apice abdominis conspicuis.

Stenh. Monogr. Ephydr. 238. 33. ♂♀.

Hab. in graminosis turfosis udis in Suecia media rarissime; in Ostrogothia ad Häradshammar, D. *Stenhammar*, a quo mihi communicata; in Uplandia ad Holmiam, D. *Boheman*.

Cum a me tantum in unico specimine visa descriptionem fidelem & plenam, quam dedit meritissimus *Stenhammar*, afferre lubet:

♂♀. "Sat speciosa propter corporis formam late ovatam, dorsum abdominis antice quadrato-impressum postice convexo-declive, apicem abdominis incrassatum truncatum. — Epistoma superne impressum, carinula media distincta subobtusa, medio gibberosum. Antennæ declinatæ nigro-fuscæ articulo tertio ex ovali suborbiculari. Dorsum abdominis basi planum fovea qvadrata communi segmentorum secundi & tertii impressa. Segmenta posteriora, qvartum & qvintum, convexa, transversim ampliata, singulum tertio duplo longius, subæqvalia, qvintum postice subverticale. Hinc apex abdominis, in mare præsertim incrassatus & truncatus. Margo segmenti qvinti in mare insigniter incurvatus & coarctatus, sextum arcte comprehendens. Pedes nitidi summa tibiarum basi testacea, tarsis saltem posticis pallide testaceis apice infuscatis. Alæ cinerascentes immaculatæ. Segmentum costæ secundum vix tertio brevius, nervi qvarti tertium intermedio duplo longius. — Totum corpus cum vertice (fronte) subtilissime punctulatum. In segmento abdominis qvinto puncta majora, vix tamen nisi oculo armato observanda". *Stenhammar*. — Affinis & similis est *N. ænescenti* infra n:o 55, sed directione nervorum in alis &c. mox dignota.

43. *N. punctulata:* nigra nitida; epistomate albicante, superne carinula media abbreviata nigra nitida; antennarum articulo ultimo suborbiculari; abdomine ovato-rotundato, depresso, cærulescenti nigro, crebre impresso-punctato, segmento 4:to maximo; alis hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem divergentibus, segmento costæ 2:do 3:tio fere breviore; pedibus nigris, tarsis fusco-testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum margine inflexo, coarctato 6:tum ovato-lanceolatum arcte comprehendente, apertura ani in basi 6:ti prominula;

Fem.: abdominis segmentum 5:tum margine inflexo minus coarctato; 6:tum annulatum, intra marginem 5:ti sub apice abdominis conspicuum.

Stenh. Monogr. Ephydr. 241. 35. ♂♀.

Hab. in paludosis coenosis, etiamque in litoribus maris & ad ripas amnium, per Sueciam meridionalem & mediam, passim; scilicet in Scania ex. gr. ad Esperöd ubi 20—26 Jul. 1818, a me in pluribus exemplis inventa; quoque ad amnem Kjeflinge-å 3 Oct. 1837 a D. *Dahlbom* lecta; in Ostrogothia, D. *Stenhammar*, qui specimina quoque transmisit; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.*

♂♀. Per totum corpus cum femoribus nigrum nitidum, epistoma albicans carinula media nigra, alarum nervos longitudinales 3 & 4 versus apicem manifeste divergentes, ut & in primis abdominis depressi obovato-dilatati dorsum scabro-punctatum, subcærulescenti nitens, segmento 5:to amplissimo, convexo, margine apicali 5:tum brevem, inflexum fere obtegente, ab omnibus facillime dignoscenda. — Frons subænescenti nigra, nitida, setulis posticis ordinariis. Antennæ subporrectæ, proportione capitis magnæ, nigræ opacæ, seta vix nisi nuda l. superne in medio microscopice puberula. Epistoma subparallelum, inferne parum dilatatum, in fundo nigrum, nitidum, lateribus albo-pollinosum, relicta vitta longitudinali media leviter elevata, denuata nigra, in cujus apice (in medio epistomatis fere sito) tuberculum minutum. Vibrissæ utrinque paucæ, valde exiles, vix observandæ. Mystaces nullæ. Palpi retracti, obscuri? Oculi majusculi, rotundati. Genæ mediocres. Thorax glabriculus, lævis. Alæ hyalinæ, immaculatæ, nervis tenuibus. Segmentum costale 2:dum 3:tio nonnihil fere bevius. Halteres albi. Pedes simplices, nigri, nudiusculi. Femora nitida. Tibiæ opacæ. Tarsi saltem basi dilutius l. obscurius testacei l. ferruginei; antici sæpe toti, & reliqui apice fusciores.

Obs. Sub nomine: *Notiph. scabra,* specimina hujus speciei mihi diu cognitæ Scanensia inter Amicos entomologicos olim di-

vulgavi; quod quidem jam in Wahlbergianum "*punctulata*" mutavi, præeunte D. *Stenhammar.* — *Trimerinæ cæruleiventri* Macq. Buff. 2. 529. 3. simillima videtur præter antennarum setam in nostra nudam, in *Trimerina* radiatam.

41. *N. trinervis:* nigra subnitida; epistomate albo, puncto utrinque infra oculos frontisque lineis lateralibus atris; antennarum articulo ultimo ovato; abdomine ovali-oblongo apice nitido, segmento 4:to 3:tio duplo longiore; alis subhyalinis, nervis longitudinali 2:do brevissimo & auxiliari parallelis, segmento costæ 2:do obsoleto; pedibus nigris. ♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ lin.).

Stenh. Monogr. Ephydr. 242. 36. ♀.

Hab. in litore maris. In Ostrogothia & paroecia Jonsberg in unico exemplo a D. Doct. *Stenhammar* detecta.

♀. Præter descriptionem a Cel. Detectore plene datam mihi plane ignota. "Certissime distincta & ob nervi 2:di longitudinalis brevitatem prorsus insolitam maxime memorabilis, quare non prætermittendam censui *(Stenhammar)*, quamvis ex unico specimine non satis tuto dijudicari potest. — Primo quidem adspectu tres modo in disco alæ adesse nervos longitudinales, secundum autem prorsus deficere videtur. Hic tamen revera adest, sed brevissimus, proxime ad auxiliarem ductus & mox pone hujus apicem in costam excurrens, quare ab auxiliari difficilius oculis distingvitur. — Præcedentibus longe magis angustata, lineari-oblonga, nigra subnitida, antennis pedibusque concoloribus opacis, segmentis abdominis posterioribus nitidis, epistomate, genis verticisque (frontis) medio late, albis. Epistoma angustatum carina longitudinali tenuissima, inferne incurvatum, vix gibberosum. Linea juxta oculos utrinque in vertice, & macula minutissima infra oculos versus genas, intense atra. Alæ e flavo fuscescentes. Ob nervum secundum ad auxiliarem quam proxime procedentem, segmentum costæ secundum fere evanescit vel oculis vix animadvertitur, tertium vero longissimum evadit." *Stenhammar.*

45. *N. brevicornis:* nigra nitida lævis, subtus cinerascens; epistomate albido-lutescente, superne obsolete carinato; antennarum articulo ultimo subquadrato, subtus anguste testaceo; abdomine subovato, basi transversim impresso, segmentis 4 & 5 convexiusculis longioribus; alis cinereo-hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 extus parallelis, transversis conspicue approximatis, segmentis costæ 2 & 3 æque longis; pedibus nigro-fuscis, tibiis tarsisque lividis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum subtriangulare acutiusculum, margine incurvato 6:tum ovato-lanceolatum comprehendens;

Fem.: abdominis segmenta 5 & 4 subæque longa, 6:tum annulatum sub apice abdominis obtusiusculi perspicuum.

N. guttata var. b. *brevicornis* Stenh. Monogr. Ephydr. p. 210. ♂♀. fig. 29 (ala).

Hab. in Ostrogothia, D. *Stenhammar*, a quo mihi communicata.

♂♀. Species ut videtur distincta. Tota nigra, nitens. Antennæ porrectæ, nigræ, opacæ, articulo ultimo breviusculo, rotundato-qvadrato, superne apice parum acuto, subtus basi haud late testaceo l. lutescente. Epistoma modice latum, inferne subdilatatum, totum sordide lutescenti album. Vibrissæ vix ullæ. Palpi retracti, obscuri? Oculi rotundati. Genæ longiusculæ. Thorax postice parce setulosus. Abdomen glabriculum, basi supra subopacum, lineis transversis impressum, postice convexiusculum nitidum, segmentis 4 & 5 majoribus. Nervi alarum tenues nigricantes, transversi manifeste approximati, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti intermedium sive 2:dum tertio seu ultimo quadruplo fere brevius evadat. Halteres albi. Pedes sæpe nigricantes, femorum, saltem posticorum, apice, & tibiarum tarsorumque basi ferrugineis vel fusco-testaceis. — A *N. guttata* n:o 47, cui valde similis & affinis, sed epistomate magis lutescente, saltem non albo, antennarum articulo ultimo

breviori apice minus acuto, alarum nervis transversis nonnihil magis approximatis, & denique pedibus plerumque non vero semper, paullo obscurioribus, distingvitur.

46. *N. picta:* obscure fusca, opaca; epistomate sordide albido-lutescente, orbitis oculorum frontalibus, genis, thoracis lineis lateralibus sternoque albis; antennarum articulo ultimo ovato subtus testaceo; scutello aterrimo; abdominis segmentis 4:to majore 5:toque nigris nitidissimis; alis cinereo-hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 extus parallelis, transversis conspicue approximatis, segmento costæ 2:do 3:tio parum longiore; pedibus sordide testaceis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum paullulum longius, 6:tum inflexum intra marginem 5:ti incurvatum comprehensum;

Fem.: abdominis apex obtusiusculus, segmento 6:to annulato, margine sub 5:to perspicuo.

Fall. Act. Holm. 1813. 254. 12. ♂♀. Hydromyz. 11. 13. ♂♀. Stenh. Monogr. 213. 37. ♂♀. *Ephydra picta* Meig. Dipt. 6. 125. 30 (e descriptione Falleniana transscripta). — *Not. pullula* Fall. Hydromyz. 11. 10. ♀.

Hab. in graminosis uliginosis, etiamque in truncis putridis Pini a me observata, per Sueciam meridionalem & mediam, Jul.—Sept., passim, plerumque solitarie, mihi saltem haud gregatim, obvia; scilicet in Scania ad Fogelsång, Abusa, Esperöd (in litore maris), &c.; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Häradshammar &c., non raro.

♂♀. Minutie corporis, epistomate pallide lutescente, genis, oculorum orbitis, thoracis lineis lateralibus sternoque albis, scutello atro velutino, abdomine postice nigro, nitidissimo, segmento 4:to tertio duplo longiore, ut & alarum segmento costæ 2:do

3:tium longitudine parum superante, ab omnibus diversa, nec dubito quin *N. picta* Fall. & *pullula* Fall., quantum ex comparatione speciminum typicorum utriusque colligere potuerim, unam eandemque constituant speciem, licet color & pictura in illæsis & detritis sæpe paullo aliena. — Nostratum certe minutissima. — Frons opaca, fusco-brunnea, postice setulosa. Antennarum porrectarum seta nudiuscula, in specimine vero, quod in collectione Falleni sub nomine *N. pullula* asservatur, seta superne in medio radiis 4 l. 5 brevissimis instruitur. Epistoma convexo-gibberosum, superne angustatum, inferne inflexo-dilatatum. Vibrissæ vix ullæ. Palpi retracti flavi. Oculi rotundati. Genæ subprominulæ. Thorax fusco-brunneus lineola utrinque alba. Abdomen ovatum, versus apicem attenuatum, totum obscurum, opacum, segmentis 4 & 5 subconvexis, nigris, lævibus nitidissimis. Alæ ut in priori, sed nervus longit. 2:dus forte paullo longior. Halteres albi. Pedes fusco- l. obscure testacei, coxis posterioribus tarsisque omnibus obscurioribus. Sed variant pedes sæpe plus minus fuscescentes, genubus tarsorumque basi plerumque dilutioribus.

**. Alæ cinereo-hyalinæ l. sordide albidæ, aut nervis transversis simpliciter infuscatis (in *N. nigricauda* (52) levissime infuscatis), aut disco parce & obsoletissime guttato vel crebrius & distinctius fusco-punctato, aut denique interstitio nervorum costali vel interiori marginali sæpe valde obsolete maculato.

47. *N. guttata:* nigra nitida lævis, pleuris cinerascentibus; epistomate albicante; antennarum articulo ultimo obovato subtus testaceo; abdomine basi transversim impresso, segmentis 4 & 5 longioribus convexiusculis; alis cinereo-hyalinis, ad nervum transversum ordinarium obsoletissime albido-biguttatis, segmentis costæ 2 & 3 æque longis; pedibus totis testaceis. ♂♀. (Long. circiter ½ lin.).

Mas: abdomen acutiusculum, segmento 5:to subtriangulari, margine inflexo 6:tum ovato-lanceolatum comprehendente;

Fem.: abdomen obtusiusculum, segmento 5:to 4:to fere breviore, 6:to annulato sub apice 5:ti conspicuo.

Fall. Act. Holm. 1813. 253. 11. ♂♀. Hydromyz. 11. 12. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 718. 7. ♂♀. Stenh. Monogr. 239. 34. var. a. ♂♀. fig. 28 (ala). — *Ephydra* Meig. Dipl. 6. 125. 31. (ex descriptione Falleniana transscripta).

Hab. in graminosis plerumque uliginosis, sed mihi quoque in aridis quandoque obvia, ut etiam in litoribus marinis degens, per Scandinaviam, præsertim versus finem Augusti usque ad initium Octobr., sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp, Tranås, Esperöd (in litore maris, verum etiam in siccis circa Stenshufvud minorem), &c., frequens; in Ostrogothia ad Gusum &c. non parce; in Uplandia ad Holmiam; in Bottnia boreali ad Harads in Öfver-Luleå, D. *Wahlberg* rarius; in Lapponia rarissime; e Dania in unico specimine a D. *Staeger* missa.

♂♀. Colore corporis nigro nitido, epistomatis albicante, antennarum apicis subtus flavo, pedumque testaceo, ut & alis hyalinis obsolete biguttatis segmentisque costæ 2 & 3 fere æque longis, in sua subdivisione statim dignoscitur. A *N. brevicorni* (45), cui proxime accedit, differt, ut antea dictum, epistomate magis albicante, antennarum articulo ultimo paullo longiore, apice truncato, alis biguttatis, nec immaculatis, nervis transversis non tam prope approximatis, ut & pedibus totis testaceis. — Per alarum picturam cum quibusdam *Ephydræ* speciebus ex. gr. *E. litorali* (10), *affini* (11) & *nasuta* (12) quodammodo convenit. — *Psilopæ* etiam accedit. — Supra nigra. Frons lata, postice setosa. Antennæ porrectæ, seta nuda. Epistoma parum gibberosum, superne modice angustatum, subcarinatum, inferne

dilatatum, læve. Vibrissæ haud distingvendæ. Palpi retracti, flavi. Oculi exserti, orbiculares, in viva ferruginei, æneo-micantes. Genæ subdescendentes. Thorax postice, & scutellum, parce setulosa. Abdomen ovatum, glabriculum, supra nitidum, basi subopacum lineis transversis impressum. Venter in medio longitudinaliter sæpe pallescit. Guttula albo-hyalina utrinque ad nervum transversum ordinarium in fundo alarum cinereo-hyalino parum perspicua. Nervus transversus ordinarius manifeste a margine interiori remotus & a nervo medio seu anteriori paullo magis qvam in *N. brevicorni* distans, in medio alæ situs & apici nervi longitudinalis 2:di oppositus. Pone hunc longitudinalis 5:tus continuatur, sed perspicue ante marginem alæ desinit. Nervi longitud. 3 & 4 pone ordinarium exacte paralleli. Segmentum costæ 2:dum 3:tio subæque longum vel si exactius diceres illo fere aliqvantulum brevius. Halteres albi. Pedes simplices, subnudi, toti testacei, tarsorum tantum articulo ultimo infuscato. Coxæ posteriores cinerascentes. — Variat rarius pedibus præsertim anterioribus plus minus fusco-testaceis l. obscuris. Variat etiam junior tota fusca, abdomine fusco-testaceo, pedibus læte flavis. — In varietate a. nervi transversi levissime l. angustissime infuscati. — Cum *N. abdominali* (42) vix confundi potest.

48. *N. flavipes:* grisea, opaca; epistomate testaceo, albido-micante; antennis obscuris, articulo ultimo rotundato-qvadrato flavido, superne infuscato; thorace brunneo-sublineolato; abdomine postice nigro nitidissimo, segmento 4:to 3:tio duplo longiore; alis pallescenti hyalinis, nervis transversis infuscatis, segmento costæ 2:do 3:tio fere duplo longiore; pedibus flavo-testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: abdominis segmento 6:to inflexo, nigro; antennarum articulo ultimo pallide testaceo vix infuscato;

Fem.: abdominis segmento 5:to breviore, 6:to annulato prominulo; antennarum articulo ultimo fuscescente basi subtus testaceo.

Fall. Hydromyz. 12. 15. ♀. Stenh. Monogr. 211. 38. ♂♀. fig. 30 (ala). -- *Ephydra* Meig. Dipt. 6. 123. 25. (*Hydrellia flavipes* Macq. Buff. 2. 525. 11. ♂. alia videtur species antennarum seta radiata & nervis alarum transversis non infuscatis a nostra diversa).

Hab. in graminosis & plantis aqvaticis, per prata depressa & paludosa Sueciæ meridionalis & mediæ, a medio mensis Junii, tota Julii, usque ad finem Augusti, passim frequens; scilicet in Scania ad Lund, Krageholm, Tranås (in Pinu sylvestri locis siccis Jul. feminæ plures sed forte errabundæ), Esperöd, &c., sat vulgaris; in Smolandia; in Ostrogothia ad Gusum, Häradshammar, Wadstena, Lärketorp &c., frequens; in Ölandia; in Gottlandia ad Nähr, Gothem &c., non parce; in Uplandia ad Holmiam; in Dalecarlia, teste D. *Stenhammar*, mihi vero non supra Nericiam obvia; sed in Norwegia litorali ad Thynæs in paroecia Skogn rarius a me lecta. (E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* communicata. In Helgolandia Jul. 1838 a D. Doct. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Per epistoma in fundo testaceum, sed polline albido superfusum, antennas extus flavidas, thoracem fusco-tenuiter lineatum, abdomen apice nigrum, nitidum, alas pallescentes, nervos transversos fuscedine distincte cinctos, & tandem pedes testaceos, ab aliis sufficienter diversa. — Opaca. Frons latiuscula, obscure grisea, postice ut solito setulosa. Antennæ porrectæ, seta nuda. Epistoma superne angustatum, subcarinatum, infra medium gibberosum, inferne nonnihil dilatatum, descendens, testaceum, albo-pollinosum, gibbere medio plerumque denudato subnitente. Vibrissæ utrinque 2 vel 3 minutissimæ. Palpi flavi. Oculi rotundati, orbitis infernis albis. Genæ mediocres. Thorax griseus, dorso parce setosus, lineolis 5 tenuissimis, brunneis, sæpe ægre distingvendis. Scutellum setulosum, griseum, lineola media brunnea. Pleuræ cinerascentes. Abdomen oblongo-

ovatum, glabriculum, læve, basi subopacum l. parum nitens, cinereo-fuscescens, segmentis 4 & 5 (atque etiam feminæ 6:to) subænescenti nigris nitidissimis. Alæ cinereæ, flavedine tinctæ, nervis transversis præsertim juxta eorum apices, punctoque ad apicem nervi auxiliaris, evidenter infuscatis. Nervi præterea ut in priori directi, sed 2:dus longitudinalis multo magis elongatus, & ultra situm transversi ordinarii productus, ita ut segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo longius evadat. Halteres pallide flavi, clava apice interdum infuscata. Pedes simplices, flavo-testacei, coxis posterioribus, tarsisque omnibus summo apice, subinfuscatis. — Variat epistomate in fundo fusco, albo-pollinoso, & guttula alba utrinque ad nervum transversum ordinarium, & femoribus interdum basi leviter infuscatis; sequenti valde affinis, & vix nisi ratione segmentorum costæ 2 & 3 discrepans.

49. *N. femorata:* grisea, opaca; epistomate fusco-testaceo, albido-micante; antennis obscuris, articulo ultimo rotundato-qvadrato, flavido, superne infuscato; thorace brunneo-sublineato; abdomine postice nigro, nitidissimo; alis cinereo-hyalinis, plaga discoidali albo-pellucida, nervis transversis infuscatis, segmento costæ 2:do sesquiplicem 3:tii longitudinem vix æquante; pedibus testaceis, femoribus nigricantibus. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 4:tum 3:tio duplo, & 5:to paullo, longius; 6.tum parvum, inflexum;

Fem.: abdominis segmenta 4 & 5 subæque longa, & 3:tio circiter dimidio longiora.

Stenh. Monogr. 215. 39. ♂♀. fig. 31 (ala). — *Notiph. flavipes* var. *β.* Fall. Hydromyz. 12. 15.

Hab. in graminosis uliginosis rarius; in Scania rarissime; in Smolandia ad Anneberg, D. *Boheman*, & ad Skärsjö, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum D. *Wahlberg*;

Häradshammar, D. *Stenhammar*, & ad Wadstena, ipse. (E Finlandia in uno specimine etiam a D. *Sahlberg* communicata).

♂♀. Priori, ut ovum ovo, similis, & fere tantum differt: alarum nervo longitudinali 2:do paullulum breviore, unde segmento costali 2:do 3:tio fere vix dimidio, nec fere duplo longiore, guttulis binis albidis ad nervum transversum ordinarium magis dilatatis & ita confluentibus, ut plagam discoidalem albo-pellucidam obsoletam, nervum transversum includentem, constituant, & denique femoribus plerumque obscurioribus; sed hæ notæ, simul consideratæ ejusmodi videntur esse momenti, ut, autumante ipso primo Descriptore & præeunte D. *Stenhammar*, hanc Fallenianam *Notiphilæ flavipedis* varietatem tamquam propriam speciem proponam. — Epistoma in meis exemplis, inter quæ etiam typicum, in fundo sæpissime fuscum (nec testaceum), albo-pollinosum. Thoracis lineolarum dorsalium tantum 3 conspicuæ, laterali utrinque nempe obsoletissima. Segmentum alarum costale 2:dum 3:tio non quidem sesqui, sed saltem 4:ta parte, longius. Pedes testacei, omnium coxis & femoribus fere ad apicem fusco-nigricantia. Sed variat etiam interdum femoribus dilutioribus. Tibiæ posteriores fusco-annulatæ. Reliqua ut in præcedente.

50. *N. interstincta:* grisea, opaca; epistomate albicante; antennis testaceis, apice superne infuscatis; thorace brunneo-lineato; abdomine postice nigro, nitidissimo; alis albido-hyalinis, maculis interstitiorum quinque punctiformibus liberis, fuscis, nervis transversis leviter infuscatis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; pedibus testaceis. ♂. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Fall. Act. Holm. 1813. 251. 14. ♂. Hydromyz. 12. 16. ♂. Stenh. Monogr. 246. 40? (secundum specimina, ut ipse ait vetusta descripta). — *Ephydra* Meig. Dipt. 6. 122. 23? Macq. Buff. 2. 539. 16?

Hab. in Suecia rarissime; in Scania ante plures annos semel capta; in Gottlandia in prato paludoso ad Gothem d. 5 Jul. unicum individuum quoque inveni.

♂. Duo tantum specimina lustravi, quorum unum Fallenianæ descriptioni typicum, vetustum & antennis jam mutilatum, alterum Gottlandicum, recentius, & sat completum. — *N. flavipedi*, 48, affinis, & parum major. Opaca. Frons grisescens, postice setulosa. Antennæ porrectæ, testaceæ, articulo ultimo apice superne infuscato. Epistoma superne modice angustatum, utrinque distincte impressum, unde carina media evidens, infra medium distincte gibberosum, inferne paullo dilatatum, margine inflexo; totum albicans. Palpi retracti. Oculi mediocres, rotundati, orbita inferne albida. Genæ breves l. mediocres. Thorax obscure griseus, dorso lineis subquinis brunneis, parce setulosus. Scutellum concolor, parce setosum. Abdomen ovatum, segmentis 3 anterioribus brevibus, grisescentibus, subopacis, apicalibus subconvexis, brunneo-nigris, nitidissimis. Segmentum 4:tum 3:tio duplo longius, at 5:to longitudine æquale. Segmentum 6:tum inflexum, parvum, basi subprominulum. Alæ albicantes, in singula maculæ 5, parvæ, rotundatæ, fuscæ, in interstitiis omnino liberæ, nullo modo cum nervis cohærentes; nempe 2 in interstitio nervorum longitudinalium 2:di & 3:tii, rotundæ & distinctiores, 3:tia solitaria in interstitio nervorum long. 3 & 4 versus apicem alæ sita, 4:ta ad marginem interiorem pone nervum transv. ordinarium, etiam discreta, & 5:ta intra marginem & nervum longitud. 5:tum, nervo tamen adjacens, ante transversum ordinarium. Hæ tres posteriores maculæ minus regulares & magis obsoletæ. Præterea nervi transversi & punctum ad exitum nervi auxiliaris, infuscata. Nervi transversi modice approximati, sed horum ordinarius propius ad marginem interiorem alæ retractus, quam in proxime antecedentibus, unde 5:tus longitudinalis infra hunc brevissimus, ad marginem non extensus. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem levissime divergentes, nec exacte paralleli. Nervus long. 2:dus modice elongatus, manifeste pone medium costæ

excurrit. Hinc segmentum costale 2:dum in ambolus nostris individuis cum 3:tio fere æque longum vel eo potius paullulum longius, saltem minime "brevius", ut in speciminibus *Stenhammari* indicatur, quare de identitate Ejus (quæ præterea major videtur & maculis alarum 6 gaudet) & nostræ speciei, in ceteris sat convenientis, dubitare cogor. Pedes testacei, coxis anticis ima basi & posterioribus totis cinerascentibus. Tarsorum articulus ultimus infuscatus.

Obs. In *Ephydra interstincta* Meig. & Macq. (ex Austria & Germania) "antennæ brunneæ, femora nigra & alæ 6-punctatæ describuntur", quæ notæ in nostram non quadrant.

51. *N. punctato-nervosa:* dilute grisea, opaca; epistomate testaceo, albo-micante; antennis testaceis; abdomine postice nigro, nitidissimo, segmento 4:to 3:tio duplo longiore; alis hyalino-albis, ad nervos longitudinales nigro-punctatis, segmento costæ 2:do 3:tio dimidio fere longiore; pedibus testaceis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum convexo-incurvatum, acutiusculum, 6:tum inflexum;

Fem.: abdominis segmentum 4:tum parum brevius, 5:tum obtusum, 6:tum annulatum, prominulum.

Fall. Act. Holm. 1813. 254. 13. ♂♀. Hydromyz. 12. 14. ♂♀. Stenh. Monogr. 247. 41. ♂♀. *Ephydra* Meig. Dipt. 123. 24.

Hab. in pratis humidis secundum *Fallèn*, mihi vero præsertim locis siccis immo aridis obvia, Scandinaviæ meridionali quantum novimus peculiaris; sed in Scania minime raro occurrit, nempe ad Lomma, Silfåkra, Krageholm, Esperöd, Raflunda, Vidtsköfle &c., ab initio mensis Julii usque ad finem Aug., in utroque sexu frequenter lecta; e Dania, ubi teste D. *Staeger* in arena litorali

copiose visa, etiam missa. (E Silesia a D. *Zeller* quoque communicata).

♂♀. Per picturam alarum ab omnibus facillime dignoscenda. — Opaca. Frons flavescenti grisea, postice setulosa. Antennæ porrectæ, articulo ultimo oblongo-ovali, apice superne interdum leviter infuscato; totæ testaceæ, seta nuda. Epistoma ut in priori constructum, infra medium valde gibberosum, totum testaceum, polline albido superfusum, gibbere plerumque denudato, flavo. Vibrissæ utrinque circiter 5, brevissimæ & valde exiles. Palpi flavi. Oculi rotundato-subovales, orbita inferne tenuissima, alba. Thorax supra flavescenti griseus, immaculatus, parce setosus, pleuris cinereo-griseis. Scutellum thoraci concolor. Abdomen ovatum, segmentis tribus anticis brevibus obscure cinereis, subopacis, 4:to 5:toque nigris, sæpe ænescenti brunneo-nitentibus, semper nitidissimis. Segmentum 4:tum maximum, trium anteriorum simul sumtorum fere longitudine; 5:tum 4:to fere dimidio brevius, in ♂ tamen nonnihil longius quam in ♀. Alæ abdomine paullo longiores, margaritaceo-albicantes. Nervi longitudinales: 2:dus modice elongatus, 3 & 4 pone transversum ordin. paralleli, 5:tus infra transversum ord. longius continuatus quam in priori non vero usque ad marginem extensus. Nervi transversi: modice approximati, fuscedine sat late cincti; ordinarius longius quam in priori a margine remotus & paullo propius ad medium alæ situs. Segmentum costæ 2:dum 3:tio saltem dimidio longius. In interstitio nervorum 2 & 3 puncta brunneo-nigra numero valde variantia, plerumque 4—5 (interdum 6), ad utrumque nervum; horum media sæpius confluentia tria l. quatuor paria efficientia, ultimum vero punctum semper solitarium. Ad nervum longitud. 4:tum pone transversum ordinarium puncta ejusdem coloris circiter 4, inæqualiter magna, quorum 3 fere æquali spatio remota in latere superiore, & unicum majusculum in medio segmenti ultimi nervi long. 4:ti latere inferiore situm. Insuper punctum minutum nigrum ad exitum nervi auxiliaris. Halteres albidi. Pedes toti cum coxis anticis flavo-testacei, articulo tantum ultimo tarsorum obscuro; nudiusculi, femoribus intermediis

antice pone medium setis 3 l. 4 nigris munitis.[1] — Variat punctis nigris uno l. altero in alis deficientibus. Sæpe vero apex nervorum longitud. 3 & 4 puncto minutissimo fusco notatur.

52. *N. nigricauda:* griseo-cinerascens, opaca; epistomate flavido-albicante; antennis brevibus, obscuris, articulo ultimo rotundato, testaceo; abdomine elongato, cinereo, opaco, postice nigro nitente, segmento 4:to 3:tio dimidio longiore; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis leviter infuscatis, segmento costæ 2:do 3:tio triplo longiore; pedibus nigro-fuscis, tibiis tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. circiter ⅔ lin.).

Mas.: abdomen angustatum, segmentis 4 & 5 subæque longis, 6:to inflexo, minuto;

Fem.: abdomen oblongo-ovatum, apice subobtusum, segmento 5:to parum breviore, 6:to annulato, subprominulo.

Stenh. Monogr. Ephydrin. 248. 42. ♂♀. certissime. — An quoque *Ephydr. posticata* Meig. Dipt. 6. 124. 27? & Macq. Buff. 2. 539. 17?

Hab. in graminosis uliginosis raro; in Scania, D. *Sundewall*, testante D. *Stenhammar*, (sed mihi in Scania non obvia); in Ostrogothia ad Sudercopiam, Gusum & Häradshammar, D. *Stenhammar*, qui mihi specimina benigne misit.

♂♀. Magnitudo & statura *N. griseolæ* (12). Frons grisescens, postice setosa. Antennæ porrectæ, obscuræ, articulo ultimo testaceo, apice superne leviter infuscato. Epistoma superne angustum, carinatum, utrinque sulcatum, inferne compresso-coarctatum; totum albicanti pollinosum, polline l. pube tenuissima detrita flavescens. Vibrissæ abortientes. Oculi rotundati, orbita inferne gracillima, alba. Genæ mediocres, cinereæ.

Thorax & scutellum grisescentia, opaca, parce setulosa. Pleuræ cinereæ. Abdomen (præsertim in ♂) longiusculum, segmentis 3 anterioribus cinereis l. plumbeis, opacis, 4:to cinereo-nigro, minus nitente, 5:to atro, nitido. Segmentum 4:tum 3:tio circiter duplo longius, 5:tum in ♂ versus apicem angustatum, 4:to vix, in ♀ paullo, brevius. Alæ cinenero-hyalinæ. Nervi longitudinales: 2:dus elongatus, 3 & 4 versus apicem subparalleli, 5:tus infra transversum paullo continuatus, sed non ad marginem extensus. Nervi transversi: modice approximati, nigri, sed parum vel angustissime tantum infuscati; horum ordinarius modice a margine remotus, fere in medio l. mox pone medium alæ ductus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio exacte triplo longius. Interstitium nervorum long. 2 & 3 concolor, haud visibiliter fuscanum. At interstitium nervorum 4 & 5, ante & pone nervum transv. ordinarium certo luminis situ, paullo albescit. Halteres albi. Pedes nigro-fusci. Coxæ anticæ apice, & tibiæ omnes, testaceæ. Tarsi pallidiores, articulo ultimo l. hoc & antepenultimo nigricantibus. — Sequenti speciei affinis & similis.

Obs. Ephydram posticatam Meig. l. c. etiam in Dania in arenosis litoralibus d. 9 Jul. 1844 deprehensam esse, per litteras mihi asseveravit Cel. D. *Staeger*. Sed specimina Danica non vidi; forte ad nostram *N. nigricaudam* referenda? — *Notiph. posticata* Meig. Dipt. 6. 66. 4. & *Ephydra posticata* Ejusdem l. supra cit. nostræ *N. nigricaudæ* affines & similes videntur; sed illa pedibus totis pallide flavis, ut & antennarum seta pectinata, & hæc epistomate lætius flavo, antennis brunneis, nec non pedibus totis nigris, tarsis flavis tantum exceptis, satis differunt.

53. *N. vittipennis:* griseo-cinerascens, opaca; epistomate albicante; antennis brevibus obscuris, articulo ultimo rotundato, subtus testaceo; thorace brunneo-lineato; abdomine oblongo, cinereo, opaco, postice nigro nitente, segmento 4:to 3:tio fere dimidio longiore; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis anguste, & interstitio

nervorum longitudinalium 2:di & 3:tii dilute, infuscatis, segmento costæ 2:do 3:tio triplo & ultra longiore; pedibus fusco-nigris, tarsis flavis. ♂♀. (Long. circiter ⅔ lin.).

Mas & *femina*, quantum in speciminibus mortuis, iis vero pluribus & bene conservatis, observare liceat, ut in præcedente differunt.

Zett. Ins. Lapp. 718. 6. ♂♀. Stenh. Monogr. Ephydr. 250. 43.

Hab. in graminosis Sueciæ borealis & Lapponiæ, passim, 27 Jun.—15 Aug. deprehensa; scilicet in Jemtlandia ad radicem Mullfjellet haud parce; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, & Tornensi ad Karesuando, minus frequens.

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed, ut opinor, distincta. Differt ab illa: epistomate sordide albicante, nulla flavedine tincto, antennis obscurioribus, articulo ultimo tantum subtus plus minus late testaceo, interdum fere toto nigricante, thoracis dorso lineis tribus, tenuibus quidem at sat determinatis, læte brunneis, alarum segmento costali 2:do paullulum longiore, interstitio toto nervorum longitudinalium 2 & 3 griseo vel dilute fusco-testaceo, ut & pedibus fere totis fusco-nigricantibus, tarsis solum flavis. — Frons ut in priori. Antennæ ut in diagnosi. Epistoma omnino ut in *N. vittipenni* constructum, sed sordide albicans. Oculi cum orbita & genæ ut in præcedente. Thorax cinereo-griseus, lineolis 3 angustis, brunneis. Scutellum concolor. Abdomen ut in priori. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervi ut in *N. vittipenni* directi, sed longitudinalis 2:dus nonnihil (non multo) longior, & transversus ordinarius in medio l. mox ante medium alæ retractus & forte a margine paullulum magis remotus, unde longitudinalis 5:tus infra ordinarium aliquando longior videtur. Vestigium albedinis in interstitio nervorum longitudinalium 4 & 5 parum detegitur. Pedes nigro-fusci. Tibiæ obscure testaceæ l. obscure ferrugineæ. Tarsi flavi, articulis 2 ultimis nigricantibus.

b). Epistoma latum, utrinque leviter sulcatum. Prælabrum apice prominulum. Abdomen apice subincurvum, segmentis subæque longis. Nervi longitudinales 4 & 5 ad transversum ordinarium modice latum vix incurvati, horum 5:tus fere usque ad marginem interiorem extensus. *Telmatobia* Stenh.

Mas: abdominis segmento 5:to planiusculo subtriangulari, apice obtuso, 6:to inflexo, lineari-oblongo convexo-carinato, apertura ani ad basin segmenti 6:ti sita. In hoc genere *mediocres.* Nitidæ, plerumque ænescentes. *Psilopis* appropinquantes. Typus seriei: *N. ænea.*

54. *N. ænea:* late ovalis, nigro-ænea, nitida; epistomate griseo-albicante; antennis nigris; thorace antice cupreo-trilineato; abdomine punctulato; alis subhyalinis, nervo transverso ordinario ad marginem alæ subretracto; pedibus æneo-nigris, tarsis omnibus basi late testaceis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 5:tum 4:to paullo longius, triangulare, parum convexum, 6:tum ultra dimidiam abdominis longitudinem productum;

Fem.: abdominis segmentum 5:tum singulo antecedentium fere brevius, 6:tum breve, subprominulum.

Fall. Act. Holm. 1813. 253. 10. ♂♀. Hydromyz. 11. 11. ♂♀. var. *α.* verissima. Stenh. Monogr. Ephydrin. 209. 12. ♂♀. fig. (ala). — *Ephydra ænea* Meig. Dipt. 6. 124. 29. (ex descriptione Falleni transscripta).

Hab. in graminosis uliginosis ad margines lacunarum paludumque coenosarum &c., per Sueciam meridionalem & mediam, Jun.—Aug., passim haud raro; scilicet in Scania ad Abusa, Fogelsång (D. *Möller)*, Tranås, Esperöd &c., sat frequens; in Blekingia, D. *v. Borck;* in Ostrogothia

ad Wadstena, Gusum & pluribus aliis locis; in Westrogothia; in Uplandia ad Holmiam; sed vix in provinciis magis borealibus occurrit, mihi saltem neque in Bottniis, neque in Lapponiis obvia; in Dania Aug. & Sept. non parce, D. *Staeger.*

♂♀. Per corpus robustum, subvirescenti æneum, epistoma sordide albicans, thoracis lineas 3 cupreas, nitidas, abdomen latiusculum, evidenter subrugolo-punctulatum, alarum nervos transversos remotiores, horum ordinarium ad marginem interiorem propius retractum, & denique tarsos omnes basi late flavo-testaceos, a sequentibus uberrime distincta. — Tota & supra & subtus nitens, ænea, glabricula. Frons lata, nitidissima, in medio sæpe cuprea, postice parce setosa. Antennæ subporrectæ, nigræ opacæ, articulo ultimo rotundato, brevissime puberulo, seta nuda, in medio microscopice parce puberula. Epistoma latissimum, sulcis lateralibus superne evanescentibus, inferne manifestis arcuatis, curvaturam orbitarum oculorum manifestarum sequentibus; area intermedia convexa. Setulæ vibrissinæ paucæ, minutæ. Palpi retracti, obscuri. Genæ mediocres. Oculi rotundati, exserti. Thorax puberulus, postice & scutellum parce setulosa. Abdomen glabriculum, saltem basi subdepressum, segmento 2:do transversim obsolete impresso, 5:to ad apicem lævi; totum æneum, raro cupreum. Alarum lobulatarum nervi longitudinales: 2:dus elongatus, ad exitum leniter incurvus, 3 & 4 paralleli, 5:tus infra transversum ordinarium brevis, sed usque in marginem productus. Nervi transversi modice distantes, horum ordinarius paullo pone medium alæ situs. Segmentum nervi longit. 4:ti secundum tertio seu ultimo fere dimidio brevius. At segmentum costæ 2dum 3:tio fere quadruplo longius. Halteres psllide flavo-testacei. Pedes simplices, nudiusculi, nigro-ænei, nitentes. Tibiæ opacæ. Tarsi flavo-testacei interdum pallide lutescentes, apice semper obscuri.

Obs. 1. In descriptione Falleni *Not. æneæ "nervus auxiliaris fere ad medium costæ extensus"* dicitur. Sed cum ipsissima illa specimina, quæ sub oculis Illustris Auctoris subjecta erant,

dum eandem suam descriptionem confecit, jam comparare & consulere potui, & in his *nervus auxiliaris* quidem *nonnihil longior*, quam in speciebus, quas ut *proxime præcedentes* descripsit Vir oculatissimus, at minime ad medium costæ productus, ejusmodi inexactam nervi hujus allatam mensuram potius e ratione habita ad *antecedentes species*, quam ex illusione visus, ortam & interpretatam vellem, præsertim cum beat. *Fallèn* in adumbratione hujus speciei in Act. Holm. l. c. primum data, Ipse indicat: *nervum auxiliarem non ad medium costæ extendi.*

Obs. 2. *Not. ænea* Ins. Lapp. 718. 5. non est identica cum specie Falleniana genuina, sed certe ad sequentem pertinet.

Obs. 3. *Not. ænea* var. *β.* Fall. l c. revisa & adcuratius examinata, luculenter patet eam minime gentium hujus esse varietatem, sed certissime ad longe aliud genus: epistomate aliter formato, seta utrinque mystacina eminente, alarum nervo auxiliari duplici instructum, referri debere. In Ostrogothia plura hujus exempla ipse collegi, & eandem etiam sub nomine: "*Calocephala tarsata* Nov. gen. & sp." a Celeb. Prof. *Wahlberg* e Gusum Ostrog. obbinui.

55. *N. ænescens:* oblonga, ænescenti nigra, nitida; epistomate albicante; antennis nigris; thorace subimmaculato; abdomine basi impresso-ruguloso, apice lævi; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario a margine alæ remoto; pedibus æneo-nigris, tarsis varicoloribus. ♂♀. (Long. 1 lin. parum ultra).

Mas: abdominis segmentum 5:tum singulo antecedentium paullo brevius, 6:tum inflexum, breve, 5:tam fere partem abdominis æqvante;

Fem.: abdominis segmentum 6:tum brevissimum, annulatum, vix prominulum.

Var. a. ♂♀. tarsis totis nigricantibus.

Stenh. Monogr. Ephydr. 210. 13. ♂♀.

Var. b. ♂♀. tarsis testaceis l. pallide lutescentibus, apice fuscis.

Stenh. l. c. var. b. Zett. Ins. Lapp. 718. 5. ♂♀.

Hab. utraque varietas promiscue per Sueciam & Lapponiam, Jul.—Sept., priore ut videtur longius divulgata, sed minus frequenter obvia; scilicet in Scania ad Abusa prope Lund, Fogelsång *(Dahlbom)* & Esperöd; in Smolandia ad Anneberg rarissime, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Häradshammar raro, D. *Stenhammar*, & in palude coenosa juxta villam Fylla prope Wadstena, parce, ipse; in Bottnia boreali ad Råbäcken & Harads i paroecia Öfver-Luleå, D. *Boheman;* in Lapponia Lulensi ad Qvickjock & Tjomotis, Idem; in Nordlandiæ Norwegicæ inferalpinis litoralibus ad diversorium Björkvik 1821 a me in 2 individuis etiam inventa.

♂♀. Priori primo adspectu sat similis videtur, sed penitius lustrata in variis essentialibus discedit. Differt præcipue ab illa: magnitudine paullo minore, corpore & præsertim abdomine evidenter angustiore, colore æneo magis saturate nigro, epistomate purius albicante, nec griseo-micante, genis brevioribus, thoracis lineis obsoletissimis parum perspicuis, abdomine læviore, magis nitido, segmentis ratione longitudinis aliter formatis, atque tandem nervis transversis nonnihil magis approximatis, horum ordinario in medio, nec pone medium, alæ ducto & paullulum longius a margine interiore remoto; quibus omnibus consideratis Cel. *Stenhammar* summo jure hanc ut speciem peculiarem designavit. In ceteris *N. æneæ* similis.

56. *N. guttipennis:* nigra, subnitida; epistomate nigricante, superne acute carinato; antennis fuscis; thoracis antico ferrugineo, bilineato; abdomine oblongo, acuminato, subtilissime punctulato; alis fusco-flavescentibus,

albido-triguttatis, nervo transverso ordinario infuscato; tarsis fuscescentibus. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Stenh. Monogr. Ephydr. 212. 14. ♂.

Hab. in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, 1843 a D. Prof. *Boheman* detecta; a me neque deprehensa, neque visa.

Speciei mihi plane latentis descritionem, qualis a Cel. *Stenhammar* l. c. tradatur, intactam reddo. "Egregie distincta species, "corporis statura angustata *Not. ænescentem* referens, sed hac "& brevior & angustior. Corpus nigrum, parum nitidum. Ver"tex (frons) opacus, fuscus, macula media grisescente. Antica "pars thoracis supra ferruginea, opaca, dilute cinereo-bilineata. "Segmenta abdominis omnia subopaca, subtilissime punctulata, "sutura apicali intumescente nitida. — Facies nigricans, e pu"bescentia tenuissima certo situ subcinerascens. Orbitæ distin"ctæ, angustæ. Epistoma superne a fronte ad medium acute "carinatum, utrinque impressum, inferne planiusculum apice "reclinato. Genæ breves, circiter qvartam partem longitudinis "oculi æquantes. Antennæ fuscæ. Pedes nigri, tarsis nigro"fuscis opacis. Alæ flavescentes sed simul infumatæ, unde fu"scæ apparent. Nervi alarum nigri. In transverso ordinario "macula nigro-fusca, orbicularis, obsoletior. Gutta albida ante "& altera pone transversum ordinarium, tertia pone transver"sum anteriorem, in nervo longitudinali tertio. Segmentum "abdominis qvintum in mare longitudine qvartum æquans; sex"tum inflexum, quarta abdominis parte longius." *Stenhammar.*

---

141. PSILOPA Fall.

Corpus parvum, plerumque minutum, oblongum l. ovale, nitidum, glabriculum. Antennæ breviusculæ, oblique porrectæ, parum deflexæ, articulo ultimo oblongo l. ovato, apice superne interdum subangulato, compresso, basi seta dorsali pectinata. Articulus 2:dus apice superne seta breviori munitus. Caput

transversum, antice subconvexum, postice concavum. Frons lata, posterius setosa. Epistoma aut angustatum, aut latiusculum; semper ecarinatum; totum nudum præter setulas minutas ad latera & utrinque in sinu oris, vibrissas & mystaces mentientes. Peristomium nudum. Palpi retracti. Prælabrum inclusum. Oculi majusculi, ovales; orbitæ nullæ. Abdomen subdepressum posterius sæpe deflexum. Alæ incumbentes, abdomine aut longiores, aut breviores, haud lobulatæ, nervis transversis subapproximatis. Nervi longitudinales recti, simplices, horum 2:dus breviusculus, semper tamen nonnihil pone medium costæ elongatus, apice levissime incurvo ad costam flexus; 3 & 4 infra transversum ordinarium exacte paralleli, 3:tius mox ante, & 4:tus mox pone summum apicem alæ excurrentes, & 4:tus cum costali desinente conjunctus; 5:tus sæpissime fere ad marginem interiorem continuatus. Nervi transversi: medius l. anterior minutus brevissimus apici auxiliaris oppositus, ordinarius longiusculus fere in medio, raro pone medium, alæ insertus. Spinula costæ minuta adest l. abest, sed segmentum costale 1:mum semper brevissime ciliatum. Squamæ abortientes. Pedes simplices, nudi. *Colore* plerumque æneo splendentes, raro nigræ. *Volatus* brevis. *Habitatio* in uliginosis, at præcipue graminosis, in terris & continentalibus & litoralibus. *Larvæ* phytophagæ. *Differentia sexus* præter abdominis apicem in ♂ plerumque obtusiorem, in ♀ acutiusculum, in diversis speciebus l. subdivisionibus ratione abdominis segmentorum longitudinis, se præbet, uti laudanda opera dilucidavit meritissimus *Ephydrinarum* Monographiæ Auctor. Typi generis: *Ps. nitidula*, *madizans* & *incurva*.

Subd. 1. Caput modice breve. Antennæ subporrectæ. Epistoma modice latum, læve (nec rugosum); utrinque leviter sulcatum; inferne l. infra medium unicum vibrissarum par, sat distinctum. Setula mystacina utrinque quo-

que unica, exigua. Segmenta abdominis intermedia: 2:dum, 3:tium & 4:tum longiora; 4:tum maximum; 5:tum breve. Alæ rectæ. Nervi transversi subapproximati; ordinarius a margine remotiusculus, fere in medio alæ ductus. Parvæ. *Psilopa* (propr.) Stenh.

A. Epistoma planiusculum. Abdomen ovatum l. oblongum, apice acutiusculo, subincurvato. Alæ abdomine longiores. Pedes mediocres, non validi. Corpus plerumque metallice nitens, semper nitidum.

1. *Ps. nitidula:* virescenti ænea, nitida, fronte concolore; epistomate æneo; antennis flavo-testaceis, articuli ultimi apice superne acutiusculo, subinfuscato; alis pallescenti hyalinis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; tibiis tarsisque omnibus l. saltem posterioribus flavo-testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen posterius angustatum, segmento 6:to inflexo intra marginem 5:ti incurvatum comprehenso;

Fem.: abdomen obtusiusculum, segmento 6:to annulato sub apice abdominis conspicuo, vix prominulo.

Var. a. ♂♀. tibiis tarsisque anticis nigris; posterioribus flavo-testaceis.

Fall. Act. Holm. 1813. 252. 9. ♂♀. Hydromyz. 1823. 7. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 719. 2. ♂♀. Stenh. Monogr. Ephydr. 261. 8. *α.* — *Notiph. nitidula* Meig. Dipt. 6. 75. 34 (ex descriptione Falleni transscripta).

Var. b. ♂♀. tibiis tarsisque omnibus flavo-testaceis.

Stenh. l. c. p. 261. *β.* — *Notiphila comta* Meig. Dipt. 6. 68. 3. *Hydrellia comta* Macq. Buff. 2. 524. 8. Meig. Dipt. 7. 373. 12.

Var. c. ♂♀. corpore toto obscure æneo, antennis pedibusque totis fusco-nigris, tibiis tarsisque posterioribus fusco-testaceis. (Caveas ne hanc cum sequente specie seu *H. tarsella* confundas).

Var. d. ♀. similis var. a. & b., at pedibus fere totis flavo-testaceis, femoribus leviter infuscatis.

Hab. in graminosis & interdum in uliginosis regionum & interiorum & mari adjacentium, per prata, pascua, hortos & agros Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, ab initio Julii usque ad finem Sept. mihi obvia, sat vulgaris; nempe var. a. & b. promiscue occurrentes in Scania ad Lund (in Paradislyckan jam 25 Maj. capta), Fogelsång, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D.D. *Boheman* & *Ljungh* *); in Ostrogothia ad Omberg, Wadstena, Lärketorp, Gusum &c., minime rara; in Ölandia passim; in Dalecarlia ex. gr. ad diversorium Rörshyttan parce; in Bottnia boreali ad Råbäcken in paroecia Öfver-Luleå, D. *Wahlberg*; intra Lapponiam non nisi rarissime visa; e Dania a D. *Staeger* missa. (In Finlandia, D. *Sahlberg*. Ad Eldena prope Gryphiam 28 Maj. 1842 & ad Sedinum 23 Jul. 1845 a Clar. *Dahlbom* capta mihique oblata). Varietas c. ad Lund & Björnstorp Scaniæ, atque ad Hafniam Daniæ rarius lecta; varietas d. in Scania & Ostrogothia a me deprehensa.

---

*) Collectio defuncti Cammerarii & Eqvitis Wasæi *Svenonis Ingemari Ljungh*, insectis præsertim exoticis, sed etiam rarioribus Suecicis circa villam Skärsjö Smolandiæ inventis, prædives, Universitatis Lundensis Museo ante plures annos emta, jam asservatur sub Inspectione & fideli cura Cel. *Dahlbomi*, cujus benevolentia ad eandem Collectionem non minus quam ad reliquas nominati musei gazas entomologicas mihi consulenti semper patuit aditus.

♂♀. Tota viridi-ænea (colore interdum in cæruleum vergente), nitidissima, abdomine præsertim polito. Frons postice concolor, rarissime subcærulescens, semper setosa. Antennarum seta circiter 7-radiata. Epistoma superne utrinque tenuissime sulcatum, totum ænescens, nitidum, sed levissime albescenti pollinosum, unde in illæsis minus politum. Mox infra medium vibrissa utrinque solitaria sat elongata. Seta vibrissina utrinque unica etiam distincta. Palpi retracti, fusci? Oculi subrotundati. Genæ breves. Thorax postice & scutellum parce setosa. Abdomen oblongum, convexulum, glabriculum; segmentum 3:tium 2:do parum, 4:tum 3:to manifeste longius, 5:tum & 3:tio & 4:to brevius. Alæ flavido-hyalinæ, nervis tenuibus, pallescentibus. Nervi: auxiliaris brevissimus ad exitum spinula costæ parva; longitudinalis 2:dus breviusculus; 5:tus non usque ad summum marginem interiorem extensus. Segmentum costæ 2:dum & 3:tium æque longa, nec, ut mihi videtur, 2:dum 3:tio brevius. Halteres albidi. Pedes nudi, ut in diagnosi colorati. Femora summo apice in a. & b. testacea.

Obs. A *Drosophila glabra*, cui magnitudine, colore, antennarum seta radiata, habitu &c., valde similis, epistomate subconvexo, nec impresso, nec retuso, facile dignoscitur.

2. *Ps. tarsella:* nigro-ænea, nitida, fronte concolore; epistomate ænescenti nigro, nitidissimo; antennis totis nigricantibus; alis pallescenti hyalinis, segmento costæ 2:do 3:tio fere breviore; tarsis flavis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Mas & femina ut in antecedente differunt.

Hab. in Scania rarius; ad Esperöd, in pascuo sic dicto Qvasa juxta litus maris 21 Jul. & 15 Sept. duo specimina mascula & unicum femineum invenire mihi contigit.

♂♀. Similis & præcedenti præcipue ejus varietati c., & sequenti, inter ambas quasi media; sed a *Ps. nitidula:* colore obscuriore, epistomate magis polito albedine scilicet pollinosa (saltem in exemplis visis) nulla superfuso, ut & antennis tibiisque ni-

grioribus; a *Ps. nigritelia:* magnitudine fere duplo majore, colore corporis metallico, æneo, nec nigro; & ab utraque nervo loogitudinali forte paullulum breviore, facile dignoscitur. — Antennæ fusco-nigræ, articulo ultimo basi angustissime testaceo. Epistoma angustatum, nigrum, valde politum, ad latera sat evidenter sulcatum, unde interstitium magis elevatum vel convexum apparet, præterea quoad formam, unicum par vibrissarum ad medium & setam utrinque mystacinam ut in priore descriptum. Palpi certe nigri. Alarum segmentum costale 2:dum 3:tio ni fallor nonnihil brevius. Pedes fusco-ænescenti nigri, tarsis præsertim posticis pallide flavis. Tibiæ posteriores fuscescentes. Tarsi omnes apice obscuri. Reliqva ut in præcedente.

3. *Ps. nigritella:* nigra nitida, fronte concolore; epistomate leviter cinereo-micante; antennis nigro-fuscis; alis hyalinis, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; tarsis pallidis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{3}$ lin.).

Mas & *Fem.* ut in præcedente differunt.

Stenh. Monogr. Ephydr. 262. 9. ♂♀.

Hab. in Ostrogothiæ paroecia Jonsberg, ubi in litoribus marinis detecta est a Cel. *Stenhammar*, qui benignitate solita specimina pro comparatione mecum communicavit.

♂♀. Valde affinis & similis *Notiph. glabriculæ* n:o 30. — Minutissima. Lævis. Tota nigra, subnitida, vix æneo-micans. Frons nitens, postice setosa. Antennæ breves, articulo ultimo obtuso, seta circiter 5-radiata. Epistoma angustatum, superne utrinque sulcatum, interstitio convexo; totum nigrum, levissime cinereo-pollinosum. Vibrissa in medio fere epistomatis utrinque unica, longiuscula, infra quam duæ aliæ tenuissimæ, parum distingvendæ. Seta mystacina utrinque adest. Palpi retracti. Oculi magni, rotundati. Genæ brevissime. Thorax postice & scutellum parce setosa. Abdomen oblongum, posterius angu-

stius, glabrum, segmento 4:to 3:tio fere dimidio longiore; segmentum 5:tum breve. Alæ abdomine nonnihil longiores, hyalinæ, certo situ albido-cinereæ, nervis tenuibus pallide fuscescentibus, costali obscuriore, præterea ut in *Ps. nitidula* (1) directis. Segmentum costale primum breve, ut in reliquis ciliatum, cilia ultima distinctiori simplici, nec gemina. Halteres pure albi. Pedes simplices, nudi, nigri, nitentes, tibiis nigrofuscis, opacis. Tarsi flavi, articulo ultimo obscuro.

4. *Ps. leucostoma:* obscure virescenti ænea, nitida; epistomate albicante; antennis testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario fuscedine cincto, segmento costæ 2:do 3:tium paullulum superante; pedibus omnibus cum coxis anticis flavo-testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}-\frac{2}{3}$ lin.).

Stenh. Monogr. Ephydr. 263. 10. ♂♀. *Notiphila leucostoma* Meig. Dipt. 6. 68. 12. T. 58. f. 12. (ubi vero segmentum costæ 2:dum justo longius, nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem alæ immerito divergentes, & transversus ordinarius nimis longe ad marginem interiorem retractus, depicta sunt.) — *Hydrellia* Macq. Buff. 2. 524. 7. Meig. Dipt. 7. 373. 11.

Hab. in graminosis non minus uliginosis quam aridis per Sueciam meridionalem & mediam, a die 20 Maj. — per totam æstatem — & usque ad 25 Novemb. mihi passim obvia; scilicet in Scania ad Lund (in Paradislyckan), Alnarp *(Dahlbom)*, Lackalänga, Räften, Tranås, Esperöd &c. frequens; in Ostrogothia ad Häradshammar, Wadstena &c.; in Uplandia ad Cedersdal prope Holmiam, D.D. *Wahlberg & Boheman*; in Dania, D. *Staeger*.

♂♀. Colore corporis obscure viridi-æneo, epistomatis albicante, antennarum pedumque flavo-testaceo, & denique alarum nervo transverso in medio alæ sito, perpendiculari, fuscedine distincte

cincto, a reliquis hujus seriei facillime dignota. — Frons nitens, postice setosa. Antennæ ut in *Ps. nitidula*, apice superne interdum levissime subinfuscato; seta 6—7-radiata. Epistoma cum vibrissa laterali & seta mystacina ut in præcedente constructum & ornatum; totum albicans. Palpi flavi. Oculi magni, subovales, in viva æneo-virides, unicolores. Genæ brevissimæ. Thorax postice & scutellum parce setosa. Abdomen brevissime puberulum, convexum, oblongum, posterius angustatum. Segmentum 1:mum brevissimum, 2:dum paullo longius, 4:tum 3:tio fere dimidio longius, 5:tum brevius, longitudine circiter 2:di. Alæ pallide cinereæ, nervis ut in priori, at 2:do longitudinali nonnihil longiore, unde segmentum costæ 2:dum 3:tio etiam paullulum longius. Spinula costæ parva, sed distincta. Halteres albi. Pedes mediocres, subnudi, toti flavo-testacei, coxis posterioribus cinereis. Tarsorum articulus ultimus fuscus.

B. Epistoma planiusculum, angustatum, longitudinaliter subparallelum, inferne nonnihil dilatatum. Abdomen aut late ovale, subdepressum, aut oblongum, supra convexum; totum leniter incurvum. Alæ aut longitudine abdominis, aut illo paullo breviores. Pedes validiusculi. Corpus nigricans, nec metallice nitens, subopacum.

5. *Ps. madizans:* ovalis, nigricans, subopaca; epistomate subargenteo; antennis testaceis, apice infuscatis; abdomine ovali, depresso, nigro, segmentis 2, 3 & 4 magnis, subtilissime ruguloso-punctulatis; alis longitudine abdominis, cinereo-hyalinis, nervo transverso ordinario infuscato, segmentis costæ 2 & 3 subæque longis; pedibus validiusculis, testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmentum 6:tum inflexum, apertura ani basali;

Fem.: abdominis segmentum 6:tum vix prominulum, sub apice abdominis, intra marginem 5:ti, conspicuum.

Var. a. ♂♀. Pedes fulvo-testacei, coxis posterioribus nigricantibus, tibiis tarsisque anticis fuscis l. obscuris.

Fall. Hydromyz. 7. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 718. 1. ♂♀. Stenh. Monogr. Ephydrin. 263. 11. ♂♀. *Notiphila madizans* Fall. Act. Holm. 1813. 252. 8. ♀. Meig. Dipt. 6. 74. 32 (ex descriptione Falleni transscripta). — *Trimerina* Macq. Buff. 2. 529. 2. *Notiphila nigella* Meig. Dipt. 6. 72. 26. *Hydrellia* eadem Meig. Dipt. 7. 373.20.

Var. b. ♀. Antennarum articulus ultimus fuscus; pedes fulvo-testacei; antici toti nigricantes, coxis, basique femorum late, testaceis; coxis posterioribus nigricantibus.

Stenh. l. c. var. b.

Hab. in graminosis uliginosis præcipue Scandinaviæ meridionalis & Sueciæ mediæ, 27 Maj.—20 Jul., passim minus frequens; scilicet var. a. in Scania hinc inde ut ad Lund, Kjellby, Fogelsång, Abusa, &c.; in Smolandia; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena parce; in Westrogothia, *Gyllenhal*; in Gottlandia ad Kyrkbinge-Näs in paroecia Gothem 5 Jul. 1819, ipse; supra has provincias rarissime occurrit, & in Bottnia boreali ad pagum Karungi supra Torneå tempore verno semel lecta; in Dania, D. *Staeger*. E var. b. tantum unicum individuum femineum in Westrogothia a D. *Boheman* 1831 inventum vidi.

♂♀. Per corpus ovale, abdomen latiusculum planum, epistoma argenteum, antennarum basin pedesque flava, tibias tarsosque antica nigra, ab aliis diversa. — Subopaca. Frons nigricans, macula media trigona lævi, subpolita, certo situ schistaceo-micante; postice setosa. Punctum supra l. inter antennas album e margine epistomatis superno assurgens. Antennæ oblique porrectæ, sublongiusculæ, testaceæ, articulo ultimo oblongo, apice subangulato; plus minus late & intense, interdum fere

toto, infuscato, seta circiter 6-radiata. Epistoma utrinque sulcatum, totum argenteum. Infra medium utrinque vibrissa solitaria. Seta mystacina utrinque unica. Palpi retracti, nigri. Oculi magni, ovales. Genæ brevissimæ. Thorax fusco-niger, haud nitens, postice una cum scutello concolore parce setosus. Abdomen late ovale, deplanatum, nudum, nigrum, opacum, margine apicali nitido, omnium subtilissime punctulatum. Segmentum 1:mum valde breve, sed tamen perspicuum, 2:dum duplo longius, 3:tium 2:do saltem dimidio longius, & 4:tum 3:tio iterum saltem dimidio longius, ita ut segmenta a 1:mo ad 4:tum gradatim elongentur; 5:tum brevissimum, nitidum, e superno parum manifestum. Alæ pallescenti hyalinæ, nervis ut in *Ps. nitidula* (1), directis, nervo transv. interdum puncto fusco notato. Halteres albi. Pedes validiusculi, nudi, ut in diagnosi colorati.

Obs. Nomen *Trimerina* Macq., quod insectum *tribus abdominis segmentis* præditum significaret, huic speciei, quæ 6 segmentis, licet 1, 5 & 6 brevissimis, instruitur, non aptari potest.

6. *Ps. marginella:* oblonga, nigricans, subnitens; epistomate subargenteo; antennis fusco-testaceis; abdomine oblongo, convexo, segmentis 2, 3 & 4 magnis, læviusculis; alis abdomine brevioribus, albido-hyalinis, costa anguste, puncto apicis nervoque transverso ordinario nigricantibus, segmento costæ 2:do 3:tio nonnihil breviore; pedibus nigris, tarsis flavis, articulo ultimo obscuro. ♂♀. (Long. vix ½ lin.).

Fall. Hydromyz. 7. 3. ♀. *Notiphila* Meig. Dipt. 6. 74. 33. (ex descriptione Falleniana transscripta). — *Discomyza* Stenh. Monogr. Ephydr 266. 2.

Hab. in Suecia meridionali & media rarissime, duo tantum specimina, utraque a me inventa, hactenus quantum noverim cognita; scilicet unum (femineum) in graminosis loco paludoso occidentem versus ad villam Abusa

prope Lund Scaniæ 20 Maj 1816, & alterum (masculum) in prato juxta urbem Wadstena Ostrogothiæ 29 Jul. 1829, deprehensum.

♂ ♀. Corpore oblongo, subcylindrico, nigricante, nitente, antennis tarsisque subtestaceis, ut & præcipue alis abbreviatis, albidis, margine costali, puncto apicali nervoque transverso posteriore, nigris, eximie & valde distincta. — Certe hujus generis & seriei. — A priore forma corporis recedit, sed alarum brevitate, antennarum structura & ratione abdominis segmentorum cum illa bene congrua. — Tota nigricans, seu certo situ levissime ex æneo micans, polline l. forte potius pube omnium tenuissima & brevissima microscopica cinerea undique quasi vestita. Frons nitida, postice setosa. Antennæ subdeflexæ, fusco- l. sordide testaceæ, articulo ultimo ovato, apice superne distincte acuto, seta circiter 6-radiata. Epistoma superne subangustatum, lateribus leviter sulcatum, in medio parum convexum, inferne nonnihil dilatatum; totum in fundo subcærulescenti nigrum, nitidum, sed undique polline albido superfusum. Infra medium utrinque vibrissa solitaria brevis, sed distincta, & seta utrinque mystacina unica parva. Palpi retracti. Oculi majusculi, rotundati. Genæ brevissimæ. Thorax lævis, postice cum scutello parce setulosus. Pleuræ nitidæ. Abdomen incurvatum, subnitens, nudum, læve vix visibiliter punctulatum. Segmentum 1:mum brevissimum, 2:dum 1:mo fere triplo longius, 3:tium 2:do saltem dimidio longius, & 4:tum 3:tio iterum quoque dimidio saltem longius, subtriangulare seu versus apicem (præsertim in ♀) lateribus inflexis sensim angustatum; 5:tum parvum, 4:to aut duplo (in ♂), aut quadruplo & ultra (in ♀), brevius; 6:tum aut inflexum, basi subprominulum (♂), aut sub quinto minuto occultum (♀). Alæ breves, tantum ad apicem segmenti abdominis tertii extensæ, angustatæ, albidæ, costa a basi ad apicem nervi longitudinalis 2.di anguste (h. e. interstitio hujus nervi & costæ) puncto majusculo in apice alæ supra exitum nervi longitudinalis 3:tii, & nervo transverso ordinario, nigris. Totus nervus costalis niger. Nervi longitudinales:

2:dus brevis, unde segmentum costæ 2:dum 3:tio paullo brevius, 3:tius 4:tusque paralleli, 5:tus fere ad marginem interiorem continuatus. Nervus transversus ordinarius nonnihil ante medium alæ insertus. Halteres albi. Pedes validiusculi, nigri, tibiis obscure ferrugineis. *Mas:* metatarsis ferrugineo-testaceis; *femina:* trochanteribus ferrugineis, tarsis flavis, articulo ultimo nigricante.

Subd. 2. Caput brevissimum. Antennæ deflexæ. Epistoma latum, distincte rugosum; ad latera series vibrissarum. Abdomen rotundato-ovatum, planiusculum, deflexum, segmentis 2, 3, 4 & 5 magnis, subæque longis. Alæ deflexæ. Nervi transversi sat late remoti; ordinarius ad marginem retractus, paullo pone medium alæ situs. Corpus latum. Pedes validiusculi. Nigra. Majuscula *). *Discomyza* Auctor. recentiorum.

7. *Ps. incurva:* late ovalis, nigra, nitida, punctulata, epistomate concolore, ruguloso; antennis fusco-testaceis; abdomine suborbiculari, deplanato, segmentis qvatuor intermediis magnis, subæque longis; alis deflexis, hyalinis, leviter subfuscanis, costa obscuriore; tarsis posterioribus testaceis. ♂♀. (Long. $\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

---

*) cui igitur placeat unicam illam speciem huic subdivisioni subditam ut proprium genus adumbrare, ei minime desunt notæ distinctivæ. In dispositione vero generum limini Tomi 1:mi inserta hanc *Psilopæ* generi, cum quo, præcipue *Ps. madizante* quoque plura affinia & communia habet, adsociavi, quare in genere Falleniano *Psilopa* ad interim eam etiam manere posse putavi.

Mas: abdominis segmentum 5:tum apice truncatum, 6:tum inflexum, rotundatum, subimpressum, longitudine 5:ti, apertura ani prope apicem segmenti 6:ti;

Fem.: abdominis segmentum 6:tum annulatum subprominulum.

Fall. Hydromyz. 1823. 6. 1. ♂. *Discomyza* Meig. Dipt. 6. 76. 1. tab. 58. f. 14—17. — Macq. Buff. 2. 529. 1. T. 21. f. 13 (nervorum directio in alis haud exacte delineata, & radii in antennarum seta plures justo repræsentati). — Stenh. Monogr. Ephydrin. 265. 1. ♂♀ (plene & adcurate descripta).

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per hortos, prata silvatica & pascua, ab initio Julii usque ad finem Augusti, plerumque solitarie, nec gregatim, obvia, passim; scilicet in Scania ad Esperöd raro; in Blekingia, D. *Aspegren;* in Ostrogothia in prato silvatico Mehamra-äng (prope Wadstena) juxta lacum Wettern, D. *Dahlbom*, in monte Omberg prope eundem lacum, 1831, D. *Boheman*, & ad Lärketorp, ipse; in insula Ölandia ad Borgholm; in Westrogothia, *Gyllenhal;* in Bahusia ad Trollhättan, D. *Boheman;* in Uplandia ad Holmiam, idem *Boheman;* ad Upsaliam, *Hæffner;* e Dania a D. *Westermann* missa. (E Glogavia Silesiæ a D. *Zeller*, & ex Italia a D. *Konewka*, etiam communicata).

♂♀. Statura corporis depressi, deplanati, punctulati, nigri lata, capite brevissimo, facie lata, rugosa, nitida, alis abdomineque subincurvatis, hujus segmentis 2—5 in utroque sexu magnis, subæqvaliter longis, pedibus validusculis &c., ab omnibus suæ familiæ facillime dignota. — Tota nigra, nitida, subglabra. Caput postice excavatum. Frons lata, inæqvalis, antice declivis, postice setosa, vertice acute marginato. Antennæ deflexæ, fusco-testaceæ, articulis 2:do apice superne spinula distincta armato, 3:to oblongo-ovato apice subangulato, seta 6-radiata.

Epistoma latum, scabro-rugosum, lateribus sulcatum, sulcis ob rugositatem epistomatis ægre observandis; in medio subconvexum, inferne paullo dilatatum, subdescendens, apice inflexum, summo margine leviter subreflexo. Vibrissæ utrinque 4—6 serie laterali dispositæ, versus discum inclinatæ. Palpi retracti, nigri. Oculi magni, oblongo-ovales. Genæ mediocres. Thorax punctulatus postice, cum scutello punctulato, parce setosus. Abdomen rotundatum, planum, declinatum, punctulatum, glabrum l. vix puberulum, segmentis: 1:mo valde brevi, 2, 3, 4 & 5 magnis, fere æque longis vel si exactius determinares gradatim paullulum longioribus, ita ut 5:tum semiorbiculare 2:dum longitudine perspicuius superet. Alæ longitudine abdominis, latiusculæ, in quiete incumbentes ad abdomen deflexum plerumque declinatæ, basi lobulatæ, apice rotundatæ; totæ sordide hyalinæ, costa a basi ad apicem nervi longitudinalis 2:di anguste, h. e. toto interstitio nervorum auxiliaris & longitudinalis atque costalis, nigra basi saturatius; omnino ut in *Ps. marginella* (6). Reliqua pars costæ, nempe ab apice nervi longit. 2:di ad exitum nervi longit. 4:ti in apice alæ, sæpius quoque obsolete & indeterminate fusca. Nervus transversus ordinarius fere in medio etiam plerumque (non semper) fusco-obumbratus. Nervi longitudinales: auxiliaris mediocriter longus; 2:dus breviusculus, unde segmentum costæ 2:dum 3:tio parum l. paullulum tantum longius; 3:tius 4:tusque pone transversum ordinarium subparalleli; 5:tus breviter infra transversum continuatus & non ad marginem interiorem extensus. Nervus transv. ordinarius subobliquus, nec exacte perpendicularis, modice a margine distans, a nervo transverso medio sat late remotus, paullo pone medium ælæ situs, in medio areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4.ti 2:dum & 3:tium subæque longa evadant. Segmentum costæ 1:mum breviter ciliatum, sed spinula costæ ordinaria parva. Squamæ nullæ. Halteres albi. Pedes nudi, nigri, femoribus subincrassatis. Tarsi posteriorum flavi l. lutei, articulo ultimo nigricante.

Famil. 28. OCHTIPHILINÆ.

142. OCHTIPHILA Fall.

Corpus parvum, minutum, oblongum, opacum, parce setulosum. Antennæ subporrectæ, epistomate ferè dimidio breviores, articulis 1:mo brevissimo, 2:do brevi cyathiformi, ultimo suboblongo, apice subtus rotundato, superne distincte angulato, seta dorsali elongata, nuda. Antennæ totæ nudæ præter pilum exiguum superne ad apicem articuli 2:di, & alterum subtus. Frons lata, plana, utrinque in orbitis oculorum setis 3 l. 4 simplici serie dispositis, & setis 2 validiusculis in puncto ocellorum. Epistoma breve, latum, declive, subparallelum, disco subinæquale, lateribus sulcatum, margine apicali summo subreflexo. Vibrissæ nullæ, sed seta mystacina distincta interdum adest. Palpi sæpissime retracti, subcylindrici l. leniter clavati; hirti. Oculi mediocres, rotundati l. horizontaliter subovales; in viva virescentes. Genæ mediocres. Thorax parce setosus. Scutellum 4-setosum. Abdomen oblongo-conicum, breviter puberulum, 6-annulatum, segmentis 4 intermediis subæque longis, 1:mo & 6:to brevissimis. Alæ incumbentes, abdomine longiores, hyalinæ, subimmaculatæ. Nervus costalis pone apicem alæ desinens, ibique cum 4:to longitudinali conjunctus. Nervi longitudinales: auxiliaris ad 4:tam costæ partem extensus, nervo secundario intus prope adjacente; 2:dus plus minus elongatus, apice rectus; 3 & 4 pone transversum ordinarium paralleli, horum 3:tius in summo apice alæ excurrens; 5:tus sæpissime usque ad marginem interiorem continuatus. Nervi transversi plerumque modice distantes, medius apici auxiliaris fere oppositus, ordinarius a margine alæ sat remotus, nonnihil pone medium alæ insertus, perpendicularis rectus. Spinula costæ nulla. Squamæ rudimentariæ. Halteres albi. Pedes simplices, nudi aut parce spinulosi. *Color* cinereus, plus minus obscurus. *Motu* haud agilis. *Habitatio* in graminosis, juncetis, libenter ad litora & ripas. *Differentia sexus; mas:* abdominis subcylindrici segmento 6:to exserto, rotundato, apice inflexo; *fe-*

mina: abdominis sublanceolati apice acuti segmento 6:to parvo, annulato, subprominulo. — Typus generis: *O. Juncorum.*

A. Os non mystaceum. Alarum costa nuda & spinula nulla.

1. *O. Juncorum:* cana, capite concolore; antennis, palpis, abdominis cinerei punctis dorsalibus 6, pedibusque subnudis, nigris, geniculis, tibiis tarsorumque basi testaceis; proboscide flava; alis basi albidis, costa nuda, segmento costali 2:do 3:tio quadruplo longiore. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Fall. Ochtidiæ 1823. p. 9. 1. var. a. ♂♀. — Meig. Dipt. 6. 92. 3. t. 59. f. 11. — Macq. Buff. 2. 545. 2. Zett. Ins. Lapp. 719. 1. ♂♀.

Hab. in pratis & pascuis, quæ mari vel lacubus adjacent, libenter in litoribus & ripis, ubi Juncus & Scirpus crescunt; per Scandinaviam, mensibus Julio & Augusto vulgaris; scilicet in Scania ad Kjeflinge, Lomma, Sandhammar, Esperöd &c., sat copiose; in Smolandia, D. *Boheman* (1831); in Ostrogothia ad Gusum & pluribus locis; in Gottlandia ad Näbr &c.; in Uplandia, D. *Marklin;* in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Novacculum Umenäs & ad lacum Wojmsjön, frequens; in Lapponia Tornensi, D. *Deutsch;* in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad Andeness, rarius; in Daniæ litoribus arenosis marinis abunde, D. *Staeger.* (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. Colore corporis in primis capitis cano, antennis nigris, ore nudo, proboscide flava, alis albidis, costa nuda, abdominis punctis dorsalibus 6 nigris, tibiis tarsorumque basi testaceis, a reliquis cito dignoscitur. — Caput totum albo-canum. Antennæ

porrectæ, nigræ, in medio anguste canescentes, articulo ultimo latiusculo, seta nigra, nuda, basi leniter incrassata. Epistoma ad latera evidenter impressum. Seta mystacina deest, sed inferne ad genas setulæ utrinque 3 brevissimæ, vibrissas mentientes. Palpi nigri. Capitulum proboscidis prominulum, flavum. Oculi subrotundati. Thorax & scutellum immaculata. Abdomen canum, interdum cinereum l. griseum; in dorso tria paria punctorum nigrorum, nempe unicum par in singulo segmentorum 3 4 & 5. Subtus in margine segmentorum inflexo utrinque puncta tria nigra (in segmentis 3, 4 & 5) etiam observantur. Alæ albæ, albedine versus apicem sensim evanescente, unde extus magis hyalinæ. Segmentum costæ 2:dum 3:tio quadruplo longius. Nervus secundarius auxiliari tam approximatus, ut certo tantum situ separati observentur, quare a *Fallèn* "simplex" dicitur. Squamæ minutæ, albidæ. Pedes nigri, cinereo-micantes, genubus, tibiis tarsisque flavo-testaceis, tarsorum apice fusco; toti nudi, femoribus tantum anticis latere externe pilosis. — Variat rarius pedibus fere totis nigricantibus, geniculis solis ferrugineis; magnitudine tamen majore & colore corporis lætiore ab *O. geniculata* (4) dignoscitur.

Obs. Ocht. juncorum var. b. Fall. l. c. ad sequentem speciem pertinet.

2. *O. maritima:* læte cinerea, capite concolore; oculis horizontaliter ovatis; antennis fusco-testaceis; proboscide palpisque flavis; femoribus nigro-cinereis, geniculis, tibiis tarsisque testaceis; alis albidis, costa nuda, segmento costali 2:do 3:tio quadruplo longiore. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine immaculato.

Leon Dufour in litteris 1841. *O. juncorum* var. b. Fall. Ochtid. p. 9. 1.

Var. b. ♀. abdomine punctis dorsalibus 4 parvis nigris, nempe 2 & 2 in segmentis 4 & 5, atque præterea

punctis 3 lateralibus nigris, scilicet utrinque unico in segmentis 3, 4 & 5.

Hab. in arenosis ad litora maris, in Scandinavia tantum meridionali hactenus rarissime observata; scilicet in Scaniæ litore marino, Sandhammar dicto, d. 16 Aug. 1838 varietatem a. in utroque sexu, feminamque oviparam, ova oblonga cylindrica alba parientem, inveni; e varietate b. tantum unicum individuum deprehendi. (Ex insula insigni Helgolandia plura specimina utriusque sexus & varietatis, mense Julio ejusdem anni lecta, etiam reportavit meritissimus *Dahlbom.* In Galliæ litoribus maris deprehensa a Nobiliss. D. *Leon Dufour* sub nomine descripto mihi quoque communicata).

♂♀. Magnitudo, structura partium & summa præcedentis similitudo, sed colore totius corporis magis læte griseo-cinereo, nec glaucescenti cano, abdomine immaculato, antennis sordide testaceis, nec nigris, alis totis, etiam postice, albidis, & denique tarsis totis testaceis, nec apice fuscis, certissime distincta. Oculi quoque paullo evidentius transversim ovati, quam in priori, unde sequenti seu *Oxyrhinæ* generi magis appropinqvatur. — Tota opaca. Frons latissima, plana, cinereo-albida. Antennæ porrectæ, ut in priori constructæ, sordide testaceæ, articulo 1:mo obscuriore. Epistoma antice brevissimum, ad latera utrinque sat profunde sulcatum, carina media longitudinali angusta, acuta, inferne ad os evanescente; ad latera versus genas dilatatum, vibrissis infernis utrinque 3 exiguis; totum sordide albidum. Genæ longiusculæ. Oculi horizontaliter ovati, anterius angustiores. Per frontem anterius paullo declivam, epistoma antice breve, & oculos inde anterius angustatos, caput a latere viso triangulare, antice vero non tam valde acuminatum ac in *Oxyrhina.* Thorax & abdomen ut in præcedente constructa, sed albido-cinerea, immaculata. Alæ albidæ, nervis

omnino ut in priori. Squamæ parvæ & halteres, alba. Femora nigro-cinerea, anticis latere exteriore nigro-pilosa. Genua, tibiæ & tarsi toti, flavo- l. rufo-testacea. — Cum generibus *Tetanope* (152) & *Platycephala* (186) vix confundi potest.

3. *O. polystigma:* cinerea, capite cano; oculis subrotundatis; antennis nigricantibus medio testaceis; proboscide palpisque flavis; abdomine griseo, punctis dorsalibus 8 nigris; femoribus nigro-cinereis, geniculis, tibiis tarsisque testaceis; alis albidis, segmento costali 2:do 3:tio qvadruplo longiore. ♂♀. (Long. fere vel vix 1 lin.).

Meig. Dipl. 6. 92. 4. Macq. Buff. 2. 546. 3. Tab. 22. f. 6.

Hab. in pratis silvaticis Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, minus frequens, mihi in primis mense Julio obvia; scilicet in Scania ad Räften *(Dahlbom)*, Lindholmen, Esperöd, &c.; in Ostrogothia Gusum *(Wahlberg)*, & Wadstena; in Bottnia boreali ad Harads in paroecia Öfver-Luleå rarius, D. *Wahlberg*; e Dania, ubi in arenosis ad litus maris non parce capta, a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Duabus antecedentibus valde similis, sed ab *O. juncorum* antennis in medio flavidis, nec totis nigricantibus, abdominis punctis dorsalibus nigris 8, nec 6, ut & tarsis totis testaceis, articulo tantum ultimo fusco; ab *O. maritima* antennis basi & apice nigricantibus, nec fere totis testaceis, oculis magis rotundatis, vix transversim ovatis, abdomine multi-punctato, nec immaculato, alis forte minus albidis, &c.; & ab utraque magnitudine paullo minore, sine dubio diversa. — Antennæ nigricantes, articulo ultimo basi plus minus late flavo l. testaceo. Abdominis punctorum nigrorum paria qvatuor in dorso segmentorum 2, 3, 4 & 5 locata; præterea quoque puncta in margine laterali utrinque 4. Reliqua omnia ut in prioribus vel in diagnosi.

4. *O. geniculata:* subobscure cinerea, epistomate cano; oculis subrotundatis; antennis nigris; proboscide flava; abdomine punctis dorsalibus 6 nigris; pedibus nigricantibus, geniculis omnibus metatarsisque posterioribus testaceis; alis cinereo-hyalinis, segmento costali 2:do 3:tio quincuplo longiore. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 720. 3. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ pratis silvaticis Jul. Aug. parce; nempe in Scaniæ paroecia Mellby ad Esperöd semel; in Ostrogothia circa Wadstena utrumque sexum inveni; in Westrogothia, D. *Boheman* (1835); in Dalecarlia; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad diversorium Björkvik in sinu Ofodenfjord rarissime; in Dania, D. *Staeger*. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. Præcedenti simillima; magnitudine tamen nonnihil minore, colore thoracis abdominisque paullulum obscuriore, antennis totis nigris, abdominis punctis 6 (nec 8) nigris, ut in *O. Juncorum* locatis, alis cinereis, vix albidis, & tandem pedibus fere totis cinereo-nigricantibus, geniculis tantum omnibus semper, & metatarsis posterioribus plerumque, luteis l. rufo testaceis, vère differt. — Caput canescens, epistomate albicante. Alarum nervus longitudinalis 2.dus elongatus, unde segmentum costæ 2:dum tertio saltem quintuplo longius. De cetero ut in priore. — Variat abdominis punctis obsoletis l. vix ullis.

5. *O. elegans:* cana; oculis subrotundis; antennis nigris; abdomine fasciis tribus interruptis atris; pedibus flavis; alis cinereis, segmento costali 2:do 3:tio qvadruplo longiore. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 93. 5. Macq. Buff. 2. 546. 4. *Chamæmyia* Panz. Fn. Germ. 105. 12.

Hab. in Ostrogothia rarissime; a D. Prof. *Wahlberg* ad Gusum inventa fuerit, a me non visa.

"Læte cinerea. Statura *O. polystigmatis*, at abdomine planiusculo fasciis interruptis atris. Halteres flavi. — In graminosis." Meig. — In figura Panzeri etiam puncta 2 minuta subtransversa nigra in abdominis segmento 2:do observantur.

6. *O. aridella:* cinerea, capite canescente, oculis subrotundis; antennis nigris; proboscide flava; abdomine immaculato; pedibus nigro-cinereis, geniculis, tibiis tarsorumque basi testaceis; alis cinereo-albido-hyalinis, segmento costali 2:do 3:tio quadruplo longiore. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Fall. Ochtid. 10. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 92. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 515. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 620. 4. ♂♀.

Hab. in pratis, campis, agris & pascuis, libenter locis aridis, per totam fere Scandinaviam, & litoralibus & continentalibus terris, a 20 Maj. — tota æstate — & usque ad finem Aug. mihi obvia, vulgatissima; feminam ova oblonga alba parientem etiam vidi; in Scania ubique vulgaris & copiose; in Ostrogothia pluribus locis; in Gottlandia ad Öja &c.; in Lapponia Suecica hactenus non observata, quantum noverim; in Norwegiæ Lapponia Finmarkica ad Bossekop rarissime; in Daniæ litoralibus ut ad Dyrhaven &c., abunde, D.D. *Staeger* & *Dahlbom*. (E Finlandia a D. Prof. *R. Sahlberg* etiam communicata).

♂♀. *O Juncorum* (1) similis, magnitudine vero minore, colore corporis magis griseo-cinereo, nec cano, abdomine immaculato & alis forte minus albidis, mox dignota. Ab *O. maritima*, cui quoque prope accedit, magnitudine duplo minore, colore corporis minus læte cinereo, alis minus albidis, antennis totis

nigris, nec testaceis, ut & præcipue capite magis rotundato, nec subdepressim triangulari, oculisque rotundatis, nec horizontaliter ovatis, aperte differt. — Caput læte cinereum l. canescens. Palpi, ut solito, longe retracti. Abdomen immaculatum, interdum vestigio unius alteriusve puncti nigri in segmentis posterioribus. Reliqua exacte ut in *O. Juncorum*.

B. Os seta u'rinque mystacina. Alarum costa brevissime ciliata, spinula parva.

7. *O. litorella:* griseo-cinerea; epistomate fulvo (♂) aut lutescenti albo (♀), macula gemina supra antennas in utroque sexu alba; antennis, palpis pedibusque nigris; abdomine fasciis fuscis obsoletissimis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis leviter infuscatis, segmento costali 2:do 3:tio duplo & ultra longiore. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Ochtid. 10. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 93. 6. ♂♀. Macq. Buff. 2. 516. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 719. 2. ♂♀.

Hab. in graminosis, libenter locis udis, ad litora maris & ripas fluminum lacuumque, raro in aridis obvia; per Scandinaviam, Jul. Aug. frequentissima, in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania præsertim ad litora marina, ut ad Lomma, Malmö, Sandhammar, Esperöd &c., copiose, sed etiam in Scania interiore, ut ad Lund, Räften *(Dahlbom)* &c., haud rara; in Blekingia & Smolandia passim; in Ostrogothia pluribus locis; in Westrogothia, D. *Boheman;* in Gottlandia ad Stenkyrka &c.; in Uplandia ad Holmiam; in Bahusia; in Jemtlandia boreali ad Skalstugan abundanter; in Lappponiarum Umensis & Tornensis regione silvatica frequenter lecta; in Norwegia litorali a Thynæs in parœcia Skogn usque ad NordCap a me sat copiose observata; sine dubio etiam in Norwegiæ

meridionalis litoribus occurrit; in Daniæ plantis aqvaticis passim abunde, D. *Stæger.*

♂♀. Per setam oris mystacinam utrinque manifestam, palpos subexsertos, alarum nervum longitudinalem 2:dum breviorem, & tandem costam breviter ciliatam, ab omnibus antecedentibus hujus generis discrepat, unde multiplicationis generum concupientibus, hæc species præbet ansam novum genus proponendi. Interea propter plerasque notas cum ceteris *Ochtiphilis* communes, nec non victum totumque habitum similem, intra hoc genus eam bene manere posse credidi. — Fuscescenti grisea l. obscure cinerea, opaca. Frons fusca, antice arcte supra antennas macula magna, in ♂ albissima & postice pro regione ocellorum evidenter emarginata, puncto atro in emarginatura, in ♀ alba, integra haud lucida. Antennæ ut in prioribus constructæ, subdeflexæ, nigræ, intus præsertiu in ♂ albo-micantes. Epistoma quoque ut in præcedentibus formatum, in ♂ fulvum, in ♀ albidum, plus minus secundum ætatem e lutescente tinctum. Palpi subfiliformes & proboscis, subexserta, nigra. Oculi majusculi subrotundati. Genæ mediocres. Thorax setosus, dorso lineolis 4 tenuissimis fuscis obsoletis. Abdomen: in ♂ subcylindricum, cinereum, fasciis tribus (quarum in singulo segmentorum 3, 4, 5 una) latiusculis, fuscis, obsoletis, per lineam dorsalem angustam in medio interruptis; in ♀ lanceolatum, acutum, obscure cinereum, incisuris plerumque nigris nitidis. Alarum nervi ut in prioribus directi, sed secundus longitudinalis brevior & exinde segmentum costæ 2:dum tertio tantum vix $2\frac{1}{2}$ longius. Nervus secundarius ab auxiliari remotus. Nervus longit. 5:tus non ad summum marginem extensus. Nervi transversi fuscedine leviter cincti. Costa a basi & ultra medium brevissime ciliata, ciliis sensim decrescentibus, ita ut ad apicem nervi longit. 2:di omnino cessare videantur. Squamæ parvæ, albidæ. Halteres pallidi. Pedes toti nigri, extus cinereo-micantes. Femora antica latere exteriore pilosa, posteriora antice ad apicem (in illæsis) pilis aliquot distinctioribus. Tibiæ omnes non dense, sed sat fortiter spinosæ. Mas femina paullo minor. — Variat junior pedibus rufescentibus.

Obs. O. litorella var. b. Fall. l. c. antennis subrotundatis, corpore ovato, nervo auxiliari simplici, secundario scilicet deficiente, diversa, ne quidem ad genus *Ochtiphilam* multo minus ad speciem descriptam pertinet.

---

143. OXYRHINA Meig. Suppl.

Corpus parvum, oblongum, opacum, parce setosum. Antennæ porrectæ, epistomate breviores, articulo 1:mo brevissimo, 2:doque brevi cyathiformi, parce setulosis, ultimo oblongo versus apicem angustato, basi seta dorsali antenna multo longiore, nudiuscula. Frons latissima, plana, setis lateralibus utrinque subtribus in orbitis oculorum positis suberectis, & duabus in puncto ocellorum antrorsum inclinatis. Epistoma longiusculum, latum, valde reclinatum, unde caput a latere visum depresso-trigonum, antice angulo acuto ante oculos prominens. Inferne vibrissæ utrinque 3—4 valde exiguæ. Seta mystacina omnino nulla. Apertura oris oblongo-quadrata. Palpi & proboscis retracta. Oculi horizontaliter positi, ovati antice apice subacuto. Genæ breves, incurvæ. Thorax & scutellum setis ordinariis instructa. Abdomen oblongo-conicum, pubescens, 6-annulatum, segmentis 4 intermediis subæque longis, 1:mo brevissimo & 6:to breviore 5:to. Alæ abdomine longiores, subangustatæ, immaculatæ. Nervus costalis pone apicem alæ desinens, ibique cum 4:to longitudinali conjunctus. Nervi præterea exacte ut in prioris generis subdivisione A. directi. Costa nuda. Spinula nulla. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes simplices, nudi, femoribus anticis validis, extus pilosulis. *Color* canus, aut ferrugineus. *Motu* non agilis. *Habitatio* in paludibus Scirpis, Juncis Caricibusque repletis. *Differentia* sexus; *mas:* abdomine subcylindrico, segmento 6:to rotundato, prominulo, apice inflexo; *femina:* abdomine sublanceolato, apice acuto, segmento 6:to parvo, annulato, subprominulo. — Typus generis: *O. Wahlbergi.*

1. *O. Wahlbergi:* glaucescenti cana; antennis nigricantibus, medio testaceis, seta alba; proboscide flava; abdomine obsolete obscure maculato; alis albidis, segmento costali 2:do 3:tio quadruplo longiore; tarsis flavo-ferrugineis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in insula Gottlandia rarissime; in palude Scirpis & Caricibus altis dense repleta ad Gothem d. 5 Jul. 1819 unicum specimen masculum & duo feminea detegere mihi contigit.

♂♀. Species pulchra & valde distincta, hujus certe generis. Ab *Oxyrhina frontali* Meig. Dipt. 7. 366. 1. t. 74. f. 36. seu Ejusdem *Tetanocera frontali* 6. 44. 20. t. 57. f. 11., colore totius corporis cano, nec ferrugineo, abunde diversa. — Frons lata, declivis, inter oculos exacte parallela, albo-cana, vitta media mediocriter lata paullo obscuriore. Antennæ in margine acuminato frontis porrectæ insertæ, nigræ, cinereo-micantes, articulo ultimo basi præsertim intus late testaceo, seta basi articulata, tota alba. Epistoma & genæ cano-alba. Proboscis & palpi flava. Oculi majusculi capitis latera fere tota implentes; in viva, in ♂ obscure ferruginei, in ♀ virescentes. Thorax glaucescenti l. albescenti canus, dorso setulosus, immaculatus, summo antico vestigio lineolarum 2 approximatarum, mox abbreviatarum fuscarum. Scutellum concolor, 4-setosum. Abdomen canum, maculis 8 subquadratis nigro-cinereis, nempe unicum par in singulo segmentorum 2, 3, 4 & 5, per lineam mediam dorsalem angustam canam sejunctum. Harum macularum 4 posteriores (in segmentis 4 & 5) minores & valde obsoletæ, anteriores vero magis perspicuæ. Alæ albæ, nervis ut in *Ochtiphila Juncorum* (1) directi. Nervus secundarius evidens, licet auxiliari approximatus. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes nigro-cinerei, geniculis summis, tibiarum apice tarsisque flavo-rufis; tarsorum articulo ultimo apice subinfuscato.

Obs. Caveas ne hanc speciem cum generibus *Tetanope*, *Orygma*, *Platycephala* & exoticorum *Eurina*, quoad capitis formam subsimilibus, confundas.

2. *O. frontalis:* ferruginea; capite thoraceque flavidis, vittis duabus testaceis; alis flavidis, nervis transversis nigris, segmento costali 2:do 3:tio circiter triplo longiore. (Long. circiter 1½ lin.).

Meig. Dipt. 7. 366. 1. t. 71. f. 36. *Tetanocera* Meig. Dipt. 6. 44. 20. t. 57. f. 11 (caput). *Trigonometopus* Macq. Buff. 2. 419. 1. t. 18. f. 19.

Hab. in Dania rarissime; in plantis aqvaticis ad Hafniam mens. Sept. a D. *Staeger* capta fuerit; in Suecia aut Norwegia hactenus numquam observata, quantum noverim; nec species a me visa.

Frons flavescens, in medio lineis 2 longitudinalibus testaceis. Epistoma ferrugineum. Antennæ ferrugineæ, ut in priore constructæ. Thorax ferrugineo-flavus, lineis dorsalibus 2 testaceis, subapproximatis, e lineis frontalibus continuatis & usque ad scutellum productis. Abdomen & pedes ferruginea, illius incisuris certo situ tenuissime brunnescentibus. Alæ brunnescenti flavæ, nervis transversis nigris. In nervo longitudinali 4:to in medio inter transversum ordinarium & marginem alæ adest subtus nervulus appendiceus brevis, perpendicularis, niger. Præterea magnitudo & partium formatio ut in præcedente.

---

144. PHYLLOMYZA Fall.

Corpus minutum, oblongo-ovatum, parce setulosum, subnitens. Antennæ subporrectæ, longitudine circiter epistomatis, articulis basalibus brevissimis, parce pilosis, ultimo maximo, latissimo, compresso, securiformi (♂), aut rotundato (♀), basi seta dorsali subnuda. Frons lata, ad latera setosa. Epistoma latum, infra oculos non descendens, subretusum. Vibrissæ laterales, exiguæ. Seta utrinque mystacina minuta. Palpi magni, exserti,

pilosi. Oculi majusculi, ovales. Abdomen ovatum, breviter puberulum, 6-annulatum, segmentis 4 intermediis subæque longis. Alæ (in mortua erectæ) abdomine longiores, latiusculæ, immaculatæ. Nervus auxiliaris vix ad 5:tam costæ partem extensus, simplex, h. e. nervo secundario nullo. Nervi transversi in disco approximati. Præterea nervi longitudinales & costalis ut in *Ochtiphila* directi. Costa nuda. Spinula nulla. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes simplices, puberuli. *Color* niger. *Motus* . . . . *Habitatio* in pratis. *Differentia sexus; mas:* antennarum articulo ultimo quadrato, subsecuriformi; *femina:* articulo eodem orbiculari (teste D. *Meigen*).

1. *Ph. securicornis:* nigricans, vitta frontali atra; antennis, palpis pedibusque nigris, tibiis anticis tarsisque omnibus flavo-ferrugineis; halteribus flavis; alis cinereo-hyalinis, segmento costali 2:do 3:tio sextuplo longiore. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Ochtid. 8. 1. ♂ (vix ♀). — Macq. Buff. 2. 614. 1. *Agromyza* Meig. Dipt. 6. 171. 13. ♂♀. t. 61. f. 27. (antenna maris). & Add. p. 384. — *Opomyza flavitarsis* Meig. Dipt. 6. 107. 13. ♀.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis & mediæ pratis rarissime; in Scania ad Esperöd medio mensis Julii inventa; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Dania Julio etiam semel capta a D. *Staeger*.

♂♀. Per antennarum palporumque formam singularem genus valde distinctum, forte hujus familiæ, licet *Agromyzis* appropinquans. — Tota nigra, subnitida, vix cinereo-micans. Frons atra, opaca, lineis lateralibus & macula verticis trigona, cinereo-nitentibus. Series setarum 5 l. 6 utrinque ad oculos. Seta antennarum mediocriter longa, nudiuscula. Epistoma nigrum. Palpi longitudine fere antennarum, exserti, porrecti, crassiusculi, nigri, pilosi. Thorax tenuiter setulosus. Alæ cinereo-hyalinæ.

Nervi longitudinales: auxiliaris brevis; 2:dus longissimus, apice rectus; 3:tius in summo apice & 4:tus pone apicem alæ excurrentes, versus apicem levissime divergentes; 5:tus ad marginem interiorem continuatus. Nervi transversi in disco subapproximati, perpendiculares, horum medius paullo pone apicem auxiliaris ductus, ordinarius a margine remotus, in medio alæ situs & longe ante medium areæ mediæ insertus, unde segmentum nervi longitud. 4:ti secundum tertio saltem triplo fere quadruplo longius. Segmentum vero costæ 2:dum 3:tio fere sextuplo longius. Halteres flavi. Pedes piceo-nigri, puberuli, geniculis summis, tibiis anticis tarsisque omnibus rufescentibus. Femora validiuscula. Metatarsi longiusculi.

Obs. Specimina tantum 2 typica, quæ ante oculos habuit *Fallèn* hanc speciem primus describens, lustravi. Ea autem potius mascula quam feminea videntur. Feminam mente Meigeniana non vidi.

Famil. 29. SCATOMYZIDES.

145. SCATOMYZA Fall.

Corpus majoris l. mediæ, raro minoris magnitudinis, oblongum, sæpissime crebro pilosum, opacum. Antennæ deflexæ, epistomate nonnihil breviores, articulo 1:mo brevissimo, 2:do brevi cyathiformi, 3:tio elongato, prismatico, obtuso, basi seta dorsali plumata aut nudiuscula. Caput sphæroideum. Frons lata, parallela, ante oculos subprominula, setis lateralibus pluribus in una serie dispositis, & duabus in regione ocellorum antrorsum inclinatis. Ocelli 3. Epistoma perpendiculare, paullo latius quam longum, infra oculos paullulum descendens, nudum, in medio retusum, margine apicali subreflexum. Vibrissæ nullæ, sed setæ mystacinæ 3—4 validæ, una ut solito fortior. Apertura oris subquadrato-rotundata, peristomio nudo. Palpi subfiliformes l. extus sublatiores, pilosi & proboscis, exserta, post mortem plerumque pendula. Oculi mediocres, longe remoti,

subrotundati, nudi; in viva plerumque æneseentes. Genæ longiusculæ & mentum, parcius barbata. Thorax fere in medio sutura transversa; parce setosus. Scutellum 4-setosum. Abdomen 6-annulatum. Alæ abdomine multo longiores, incumbentes; non vibrantes. Nervi longitudinales: auxiliaris non usque (sed fere) ad medium costæ extenditur; hunc intus sequitur secundarius, sed longe ante exitum auxiliaris ab illo separatus in costam divergens; 2:dus elongatus, apice leviter inflexus; 3:tius in summo apice, & 4:tus pone apicem alæ fere paralleli excurrunt; 5:tus per angulum obtusum mox infra transversum ordinarium ad marginem curvatus, haud abbreviatus; 6:tus in marginem etiam descendit. Nervi transversi modice distantes; horum medius perpendicularis apici auxiliaris oppositus; ordinarius longiusculus, subobliquus, subrectus, pone medium alæ & fere in medio, interdum ante medium, areæ ultimæ insertus, non longe a margine alæ remotus. Nervus costalis pone apicem alæ desinit & cum longit. 4:to conjunctus. Costa vix l. parum ciliata, spinula nulla. Segmentum costæ 2:dum 3:tio circiter 2½ longius. Segmenta vero nervi longitudinalis 4:ti secundum & tertium sæpius subæque longa. Squamæ mediocres l. minusculæ; valvulæ inæquales, superiore majore ciliata, inferiorem parvam nudam omnino tegente. Halteres nudi. Pedes simplices, dense pilosi. Tibiæ omnes spinulosæ. Femora posteriora versus apicem parce spinulosa. *Color* rufescens aut nigricans. *Motu* non agilis: volatus brevis, abruptus; sole sereno & urente vivacior. *Habitatio* in femetis & uliginosis. *Larvæ* in stercoratis & herbis putridis degunt. Status pupæ 10—14 diebus. Victus imaginum etiam sæpe: præda ex aliis insectis. *Discrimen sexus; mas:* corpore densius hirsuto, abdomine lineari, apice crassiore, ano rotundato inflexo, hamulis duobus corneis nigris terminato ut & segmento ventrali 5:to basi stylis 2 versus apicem inclinatis, sæpe exsertis (in *S. litorea* (12) manifestis); *femina:* corpore parcius pubescente, abdomine aut sublanceolato, aut oblongo, aut ovato, apice semper acuto, segmento 6:to annulato. — Typi generis: *S. scybalaria, stercorea, litorea.*

A. Seta antennarum distincte plumata.

*) antennis ferrugineis.

1 *scybalaria* Linn. ♂♀. 2 *lutaria* Fabr. (*suilla* Fall. var. *α. β.*) ♂♀. 3 *inqvinata* Meig. ♂♀. 4 *maculipes* Zett. (*S. suilla* var. b. Ins. Lapp. ♀) ♂♀. 5 *suilla* Fabr. (*S. glabrata* Ins. Lapp. ♀) ♀. 6 *spurca* Meig. (*suilla* var. *γ*. Fall.) ♂♀.

**) antennis nigris.

7 *stercoraria* Linn. (*Musca Scybalaria* Schrank) ♂♀. 8 *merdaria* Fabr. ♂♀. 9 *borealis* Zett. ♂♀.

B. Seta antennarum nuda.

α). Palpi albi vel pallidi.

†. antennis ferrugineis (*S. Argus:* antennis obscuris in medio ferrugineis, sub n:o 16 quærenda).

10 *squalida* Meig. Zett. Ins. Lapp. (*Cordylur. fuscinervis* Ins. Lapp. (38) var. — *Scatophaga incisa* Macq. var.?) ♂♀.

††. antennis nigris vel fuscis (in *S. Argus* (16) obscuris, medio ferrugineis).

11 *fuscinervis* Zett. ♂♀. 12 *litorea* Fall. Meig. (*Scatophaga rufipes* Meig. var.?) ♂♀. 13 *villipes* Zett. (*S. litorea* Ins. Lapp. ex parte) ♂. 14 *heteromyzina* Zett. ♀. 15 *frontata* Zett. ♀. 16 *Argus* Zett. ♂♀. 17 *antennata* Zett. ♂♀.

β). Palpi nigri (in *S. muscina* (22) palpi basi albidi, apice obscuri).

18 *Fucorum* Fall. ♂♀. 19 *affinis* Zett. ♂♀. 20 *muscaria* Zett. ♂♀. 21 *muscæformis* Zett. ♀. 22 *muscina* Zett. ♀. 23 *griseola* Fall. ♂♀. 24 *signata* Zett. ♂♀.

Scatomyza.

A. Seta antennarum distincte plumata.

*). Antennis ferrugineis.

1. *S. scybalaria:* griseo-lutescens, capite, antennis cum seta, palpis pedibusque fulvis; fronte prominente; alis elongatis ferrugineo-flavis, nervis longitudinalibus 3 & 4 ad apicem subappropinquantibus, transverso ordinario leniter subarcuato. ♂♀. (Long. circiter 4 lin.).

Fall. Scatomyzides Sueciæ 1819. p. 3. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 720. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1860. Fabr. Antl. 307. 118. *Scatophaga* Latr. Gen. 4. 358. Meig. Dipt. 5. 247. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 392. 1. ♂♀.

Hab. in fimetis, sæpe locis humidis, per Scandinaviam, ab initio mensis Maj. — sub tota æstate — usque ad finem Sept., vulgaris, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, frequens; in Gottlandia ad Gothem &c.; in Uplandia & Bottnia passim; in Lapponia Umensi ad Lycksele rara; in Tornensi parcissime; in Dania haud frequens. (Ad Moabite prope Berolinum 7 Jul. 1842 a D. *Dahlbom* frequenter visa).

♂♀. Inter nostrates fere maxima, alis valde elongatis, abdomine duplo longioribus saturate flavis, etiam e longinquo dignoscenda. Frons distincte prominens, fulva, certo situ leviter albo-micans, setis nigris 8—10 in una serie utrinque a vertice ad antennarum basin dispositis, posterioribus remotioribus. Macula ocellorum lanceolata, grisea, setis 2 obsita. Orbitæ oculorum in vertice etiam sæpe griseæ. Antennæ basi approximatæ, totæ fulvescentes, articulo 2:do superne corniculo brevi obtuso nigro setuloso.

Seta basi validiuscula, articulata, apice capillaris, in medio distincte plumata; tota ferruginea. Epistoma orichalceo-micans. Setæ mystacinæ atræ. Palpi dilute flavi, basi pallide, apice nigro-pilosi. Proboscis nigricans, capitulo ferrugineo. Oculi rotundato-ovales, subexserti, in viva rufo-ferruginei, æneo-submicantes. Genæ descendentes & mentum orichalcea, flavo-barbata. Thorax luteus, interdum grisescens, ferrugineo- & nigro-pubescens, ad latera setis validioribus nigris parce munitus, dorso lineolis fuscis obsoletis, quarum 2 plerumque perspicuioribus. Scutellum concolor, apice ferrugineum. Abdomen: in ♂ sublineare, depressum, segmentis 6, quorum 4 intermediis subæque longis, 1 & 6 brevioribus, 1:mo & 2:do subconnatis; 6:to rotundato cum 7:mo inflexo hamulis 2 parvis terminato, brevi; totum rufo-flavum, undique sat dense ferrugineo-villosum, incisuris intermediis plerumque, raro etiam plaga media, fuscis; in ♀ late lanceolatum, subconvexum, segmentis 5 anticis subæque longis, 6:to brevi, acuto, annulato; totum pubescens, parce ad incisuras setosum, supra obscurum, subnitidum, limbo laterali anguste, apicali late, rufescente. Alæ longissimæ, fulvo-flavæ (præsertim in ♂). Nervi: longitudinales 3 & 4 prope transversum ordinarium latius remoti, ad apicem & nervum medium iterum leviter appropinqvantes: transversus medius fuscus; ordinarius vix infuscatus, paullulum incurvus. Squamæ & halteres flavo-lutescentia. Pedes cum coxis toti fulvi, flavo-pubescentes, tibiis posterioribus sat valide nigro-spinosis, spinis apicalibus crebrioribus. Femora intermedia ad apicem utrinque, postica latere antico, spinulis 3—4 nigris armata. Pulvilli in utroque sexu sat magni, albidi, nitentes, ungvibus incurvis, nigris. — Variat ♀ abdomine fasciis 3 l. 4 latis fuscis; variat etiam alis subhyalinis, nervis omnibus fulvedine late cinctis. — Frontem distincte porrectam, antennarum setam rufam, nec fuscam, alas longiores intensius flavas, nervos longitudinales 3 & 4 ad apicem leniter convergentes, nec omnino parallelos, ut & transversum ordinarium subcurvum, nec rectum, probe observes, ne speciem hanc cum sequente valde affini commisceas.

2. *S. lutaria:* griseo-lutescens, capite, antennis, palpis pedibusque fulvis; abdomine ferrugineo, obscure submaculato; seta antennarum obscura; fronte haud prominente; thoracis dorso flavido-cinereo, ferrugineo-sublineato, pleuris testaceis; alis flavidis, nervis longitudinalibus 3 & 4 pone transversum ordinarium subrectum exacte parallelis, transversis leviter infuscatis; femoribus posterioribus parce spinosis. ♂♀. (Long. 3½ lin.).

Musca Fabr. Antl. 306. 115. ♀. *Scatophaga* Meig. Dipt. 5. 249. 4. ♂♀. Macq. Buff. 2. 393. 2. ♂♀. *Scatomyza suilla* Fall. Scatom. 3. 2. var. *α. β.* ♂♀. (excl. syn. Fabr.). Zett. Ins. Lapp. 720. 2. var. a. ♂♀.

Hab. in stercoratis & foliis fruticum, per Scandinaviam præsertim meridionalem, Jun.—Aug., passim abundans; scilicet ad Lund, Abusa, Grönby, Sjörup *(Möller)*; &c., vulgatissima; in Suecia media mihi parce obvia, sed in Gottlandia observata; in Lapponiis Umensi ad Lycksele, & Tornensi ad Juckasjervi, haud raro capta; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad Giebostad & Lyngen quoque deprehensa; e Dania ut frequens incola in multis speciminibus utriusque sexus a D. *Staeger* communicata.

♂♀. A priore, cui valde affinis, differt: magnitudine nonnihil minore, alis præsertim brevioribus, antennarum seta nigra l. fusca, nec ferruginea, alis hyalinis leviter flavedine tinctis, saltem non saturate flavis, nervis longitudinalibus 3 & 4 post transversum ordinarium exacte parallelis, nec ad apicem leviter convergentibus, & tandem transversis leniter infuscatis, horum ordinario non quidem exactissime recto, minime vero tam incurvato, quam in priore. — Caput cum partibus omnino ut in præcedente constructum & coloratum, exceptis seta antennarum nigra, & orbitis oculorum flavo-cinereis forte evidentioribus. Thoracis dorsum flavo-griseum, lineis 2 (raro 4) brunneis

obsoletis; callo humerali, limbo laterali & scutelli apice plerumque flavo-testaceis. Pleuræ & pectus testacea, raro fusco-testacea. Abdomen ut in priore etiam quoad sexum formatum & vestitum, sed colore in ♂ magis varians, nempe jam totum ferrugineum, jam ferrugineum aut incisuris nigricantibus aut lineola dorsali interrupta fusca ornatum, vel jam denique griseo-fuscum, incisuris plus minus late, anoque, ferrugineis. Abdomen feminæ plerumque ferrugineum, nitidum, incisuris tenuiter at determinate obscuris; raro totum obscurum, ano solum ferrugineo. Alæ præter notas differentes nuper allatas omnino ut in *S. scybalaria.* Pedes validiusculi, toti ferrugineo-fulvi, pallide pilosuli l. pubescentes. Femora intermedia latere anteriore setulis 4 l. 5 inæquali spatio remotis, & ad apicem latere postico setis 2 distinctis una post alteram, nigris; his omnibus setis sat validis & distinctis. Femora etiam postica latere antico l. fere superne setis 6 l. 7 etiam una serie positis, æquali spatio remotis, nigris. — Reliqua ut in antecedente.

Varietas b. forte junior, tota cum omnibus partibus pallide flavo-testacea, solummodo setis nigris, oculis ferrugineis, occipite thoracisque disco dorsali griseis, hoc vitta media testacea, ut & metathorace linea utrinque cinerea. In Scania ad Lund &c.

Varietas c. ♀. thorace toto supra & subtus cinereo-griseo; quæ varietas *S. inqvinatæ* proxime accedit. Notæ vero principales & constantes sunt: corpus majusculum, femora robusta, posteriora uno latere setis validiusculis & distinctis armata, nervi longitudinales 3 & 4 exacte paralleli, transversi parum vel leviter tantum infuscati, ordinarius subrectus, & tandem abdomen in ♀ ferrugineum, nitidum, incisuris anguste, sed determinate nigricantibus. In Scania, Jemtlandia (ad Skalstugan), Lapponia (ad Lycksele) & Finlandia inventa.

3. *S. inquinata:* thorace toto griseo-cinereo; capite, antennis, palpis, abdomine immaculato, pedibusque flavo-ferrugineis; seta antennarum obscura; fronte haud pro-

minente; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 pone transversum ordinarium subrectum exacte parallelis, transversis leviter subinfuscatis; femoribus posterioribus parce setosis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Scatophaga Meig. Dipt. 5. 250. 5. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum & truncis arborum viventium, per Scandinaviæ meridionalis hortos, ab initio Maj. usque ad Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund in horto botanico, Paradislyckan &c., haud rara, & ad Esperöd parce; ex Hafnia Daniæ a D. *Staeger* quoque communicata.

♂♀. Priori valde affinis & præsertim ejus varietati c. simillima, sed magnitudine paullo minore, thorace scutelloque totis griseis l. cinereis, ut & in primis abdomine in utroque sexu ferrugineo, immaculato, dignoscitur. — Caput cum partibus singulis omnino ut in præcedente constructum & coloratum. Thorax totus & supra & infra griseo-cinereus (♂), aut subglaucescenti cinereus (♀), in utroque sexu lineis 2 dorsalibus postice abbreviatis, fusco-ferrugineis, plerumque parum manifestis. Scutellum thoraci concolor, summo apice in ♀ sæpissime testaceo. Metathorax cinereus. Abdomen rufo- vel flavo-ferrugineum, immaculatum, in ♂ interdum maculis hinc inde indeterminatis fuscis obsoletis tinctum. Alæ modice elongatæ, hyalinæ, parum flavedine tinctæ, sed basi nervis pallidis. - Nervi de cetero exacte ut in priore. Squamæ & halteres pallida. Pedes cum coxis toti flavi l. ferruginei, forte aliqvantulum minus robusti quam in *S. lutaria*, & setæ femorum posteriorum, numero & situ præterea simillimæ, exinde nonnihil minus validæ quam in illa.

4. *S. maculipes:* thorace toto griseo; capite, antennis, palpis pedibusque flavo-fulvis; seta antennarum obscura; fronte parum prominente; abdomine supra griseo-nigricante, ano ferrugineo; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 pone transversum ordinarium re-

ctum exacte parallelis, transversis infuscatis; femoribus anticis superne macula fusca, posterioribus parce setosis. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}$ lin.).

S. suilla var. b. Zett. Ins. Lapp. 720. 2. ♀ (specimen ad Wojmsjön).

Hab. in Jemtlandia boreali ad Skalstugan mense Julio passim; in Lapponia Umensi rarissime: individuum unicum ad lacum Wojmsjön in paroecia Lapponica Wilhelmina 15 Jul. 1832 inveni; in Norwegia ad diversorium Suulstuen in jugo alpino sat frequenter observata Jul. 1840, etiam in copula.

♂♀. Magnitudo fere *S. lutariæ* (2) eique valde similis, differt vero thorace etiam subtus griseo, abdomine nigricante, nervis transversis fuscedine paullo evidentius cinctis, & tandem femoribus anticis superne ante medium vitta longitudinali macula oblonga fusca l. nigricante. — Antennæ ferrugineæ. Thorax totus flavescenti griseus, dorso bi- l. quadri- fusco-lineatus. Calli humerales & macula sterni infra alas, rarissime ferruginea. Scutellum obscure griseum; raro testaceum, macula basali grisea. Metathorax cinerascens. Abdomen ovatum, (in mortua) depressum, subnitidum, nigricans, levissime griseomicans; in specimine Wojmsjöensi limbo laterali inæqualiter (sinubus utrinque tribus), & apicali anguste, ferrugineo. Alæ modice elongatæ, hyalinæ, basi flavescentes. Squamæ & halteres flava. Præterea caput, alæ & femora crassiuscula atque posteriora cum setis validis in una serie dispositis, adcurate ut in *S. lutaria.* — A *S. squalida* (10), cui etiam similis, seta antennarum plumata mox dignoscitur.

5. *S. suilla:* thoracis dorso griseo; capite, antennis, palpis, callis humeralibus, pleuris, scutelli apice, abdomine pedibusque flavo-ferrugineis; seta antennarum obscura; fronte haud prominente; abdominis incisuris nigricantibus;

alis subflavido-hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 pone transversum ordinarium rectissimum exacte parallelis, transversis manifeste infuscatis; femoribus posterioribus setulis tenuibus parce instructis. ♀. (Long. vix 3 lin.).

Musca suilla Fabr. Ent. Syst. 4. 343. 129. *Scatophaga* Fabr. Antl. 206. 14. — Sub *Scatomyzæ suillæ* var. γ. Fall. Scatom. 5. 2. etiam latet. — *Scatomyza glabrata* Zett. Ins. Lapp. 721. 5. ♀. est quoque varietas hujus.

Hab. in Scandinavia Jul. Aug. Sept. passim; scilicet in Scania non rara; in Gottlandiæ insulis Fårön & Furillen, passim; in Uplandia; in Jemtlandia ad diversorium Rätan, D. *Dahlbom*, ad Mullfjellet & Skalstugan, ipse; in Norwegia ad Suul &c., in cacumine alpis Kälahög; e Dania sub nomine: »*S. lutariæ* varietas» a D. *Staeger* transmissa. (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* lecta).

♀. Similis *S. lutariæ* (2). & *inquinatæ* (3), sed species ut videtur distincta, nam ab illa magnitudine minore, thoracis dorso non lineato, alis minus flavidis; ab hac thorace subtus toto testaceo, nec griseo, scutello fere toto testaceo, abdomine incisuris nigris, nec immaculato; & ab utraque alarum nervis transversis præsertimque medio, manifeste infuscatis, ordinario rectissimo, ut & præcipue armatura femorum multo graciliori, differt. Setulæ enim 4—7 in latere antico femorum intermedii & postici una serie locatæ saltem in ♂ tam parvæ sunt, ut non nisi attento oculo a reliqua femorum pubescentia discerni possint. Setulæ 2 ad apicem postice in femoribus intermediis adsunt.

Obs. Hæc species Fabriciana, ut Germaniæ incola descripta, apud Cl. *Meigen* omnino desideratur, nisi illam sub individuis *Scatophagæ spurcæ* latentem quærere velis.

Obs. *Scatom glabrata* Zett. l. c. a *Scat. suilla* genuina vix differt nisi epistomate palpisque paullo albidioribus & corpore magis denudato; sed hæc in specimine ut videtur juniore &

nonnihil detrito haud valent. In Finmarkia occidentali Norwegiæ ad Bossekop prope Alten non longe a promontorio boreali Nordkap individuum descriptum 8 Aug. 1821 captum.

6. *S. spurca:* thoracis dorso griseo, immaculato; capite, antennis, palpis, callis humeralibus, pleuris, scutelli apice, abdomine pedibusque flavo-ferrugineis, seta antennarum obscura; fronte haud prominente; abdominis incisuris in utroque sexu nigricantibus; alis subhyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 pone transversum ordinarium rectum parallelis, transversis manifeste infuscatis; femoribus omnibus villosis absque setulis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Scatophaga spurca Meig. Dipt. 5. 250. 6. ♂♀. Macq. Buff. 2. 393. 4. *Scatomyza suilla* var. γ. Fall. Scatomyz. 5. 2. Zett. Ins. Lapp. 720. 2. var. b. & c.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per hortos & prata Scandinaviæ, vulgaris, a medio Aprilis usque ad medium Octob. mihi obvia; scilicet in Scania ex. gr. ad Lund in horto Académico & Paradislyckan verno tempore frequentissima, etiam ad Abusa &c.; in Ostrogothia rarius; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal, D. *Dahlbom;* in Jemtlandia boreali ad radicem alpium Mullfjellet & Åreskutan ut & ad diversorium Skalstugan in jugo alpino, non parce; in Lapponia Umensi ad Frederica, minus frequens; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson*; in Norwegia ad Thynæs, rar.; e Dania in pluribus speciminibus utriusque sexus a D. *Staeger* communicata. (Finlandia, D. *Sahlberg).*

♂♀. Priori iterum simillima, sed magnitudine plerumque paullo minore, alarum segmento costali 2:do nonnihil longiore &

denique præcipue femoribus omnibus sat dense (inprimis in ♂) pallide pubescentibus l. subvillosis, absque omnibus setulis, præter geminas minutas in femoribus intermediis latere postico juxta apicem, differt. — Oculi in viva ferruginei vix æneo-micantes. Thorax dorso flavo-griseus, vix vestigio linearum fuscarum. Abdomen ferrugineum, incisuris in utroque sexu nigris; in ♂ lineare, in ♀ oblongo-lanceolatum. Variat ♂ rarius abdomine aut flavo, subimmaculato, aut nigricante, ano rufo. Thoracis calli humerales, pleuræ, pectus, & scutelli apex late, testacea. Alæ hyalinæ, basi leviter flavidæ. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius. Pedes toti rufo-ferruginei, pallide hirti, omnino inermes, præter tibiarum setulas paucas & tenues. Cetera ut in *S. suilla.*

Obs. S. suillam & *spurcam* & invicem & a minoribus individuis *S. lutariæ* ægre distingves, si colorem corporis partiumque in his sat similem tantum respicis. Notas etiam fere omnes positivas e structura desumtas hactenus ab Auctoribus neglectas vides. Ad has vero *armaturam pedum* ut principalem jure numeres. Per hanc solam hæ tres species facile & bene, ut opinor, dignoscuntur. — Individua lapponica sæpe thorace abdomineque nonnihil obscuriora.

**). Antennis nigris.

7. *S. stercoraria:* grisea, abdomine in mare fulvescenti flavo-tomentoso; capite, palpis, genubus late, tibiis tarsisque in utroque sexu ferrugineo-testaceis; antennis atris; femoribus nigricantibus; alis flavescenti hyalinis, nervo transverso medio infuscato. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{2}$—4 lin.).

Mas: longior, corpore subtus, abdomine lineari, femoribusque, totis, hirsutie crebra rufo-flava tectis.

Fem.: corpore subtus, abdomine oblongo-ovato femoribusque hirsutie parciore pallida vestitis; in copula.

Fall. Scatomyz. 1. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 721. 3. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1861. ♂♀. De Geer Ins. 6. 88. 17. ♂♀.

Reaum. Ins. 4. Mem. 9. p. 377—379. T. 27. f. 8—12. Fabr. Antl. 307. 119. *Scatophaga* Meig. Dipt. 5. 218. 2. ♂♀. Latr. Gen. 4. 358. Macq. Buff. 2. 393. 5. *Musca scybalaria* Schrank Ins. Austr. 468. 950.

Hab. in stercore mammalium præsertim humano, mel florum quoque non respuens, per totam Scandinaviam & Lapponiam usque ad radicem alpium, a fine mensis Aprilis usque ad finem Octob., ubique vulgatissima, gregaria, in copula frequenter observata. Ova oblonga, alba, apice corniculis 2 instructa, in stercoratis deponuntur. Pupæ oblongæ, nudæ, brunneæ; in aqua sæpe deprehensæ. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* missa. Ad Neuenkirchen prope Gryphiam jam 20 Maj. a Doct. *Dahlbom* copiose visa; ut etiam serius ad Helgoland, Hamburgum & Travemünde).

♂♀. Corpore præsertim maris dense rufo-flavo-hirto, etiam eminus dignoscitur. Robusta. Caput flavum, nitens, orbitis oculorum, macula ocellorum occipiteque griseis, opacis. Frons lata, vitta fulvescente, opaca. Antennæ cum seta in medio plumata totæ nigræ. Palpi flavi. Proboscis nigra. Genæ & mentum pallide barbata. Oculi mediocres subrotundi; in viva rufo-brunnei seu ferruginei, unicolores, non æneo-micantes. Thorax flavido-grisescens, dorso lineis 2 (interdum subqvatuor) abbreviatis, fuscis obsoletis. Scutellum concolor. Abdomen in fundo obscure griseum l. nigricans, sed in ♂ undique & præsertim ad incisuras tomento denso ferrugineo-flavo, nitente tectum, in ♀ parce albo-nigroque pubescens, pilis incisuralibus nigris distinctioribus. Alæ hyalinæ, basi & costa in primis flavescentibus, nervis ut in *S. lutaria* (2) directis. Nervus transversus ordinarius levissime, medius manefeste, infuscati. Spinula costæ nulla. Squamæ & halteres pallida. Pedes maris villosi, feminæ pubescentes, omnium femoribus una serie subsuperna, tibiisque sparsim, in utroque sexu fortiter spinosis. Femora autem maris antica inermia. Coxæ omnes nigricantes.

Femora griseo-nigra, apice late ferruginea. Tibiæ & tarsi ferrugineo-testacea.

Obs. D.D. *Meigen* hujus speciei pedes totos "ferrugineos", & *Macquart* antennas maris "flavas" l. c. describunt. Talis vero color in nostra individua non quadrat nisi in exempla nuper exclusa. At e Capite bonæ spei per D. *Westermann* specimen masculum sub nomine: "*Scatoph. Soror* Wied." obtinui, quod pedibus totis ferrugineis, thoracisque lineis 2 mediis brunneis continuis in scutelli lateribus continuatis gaudet; de cetero *Scatomyzæ stercorariæ* simillimum.

8. *S. merdaria:* obscure grisescens, parcius hirta; capite palpisque sordide albidis; vitta frontali ferruginea; genubus anguste, tibiis tarsisque testaceis; antennis atris; femoribus nigricantibus; alis cinereo-hyalinis, basi parum flavidis, nervo transverso medio infuscato. ♂♀. (Long. 2½ vix 3 lin.).

Mas: abdomine lineari, pallide hirto (nec tomentoso);

Fem.: abdomine oblongo-ovato, acuto, albo-nigroque pubescente, & supra parce nigro-setuloso; in copula.

Musca Fabr. Antl. 306. 114. *Scatophaga* Meig. Dipt. 5. 219. 3. ♂♀. Macq. Buff. 2. 294. 6. ♂♀.

Hab. in fimetis & Fucis in litore maris rejectis, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, Majo—Sept., vulgaris, in copula pluries deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Lomma, Limhamn, Esperöd &c., frequentissima; in Ostrogothia ad Wadstena parce; in Gottlandia passim; in Jemtlandia boreali ad Skalstugan in jugo alpino situm, rarius; sed longius versus septentrionem procedentem non observavi, nisi in Norwegia ad Suul Wærdaliæ semel; in Dania frequens, D. *Staeger.* (E Finlan-

dia a Prof. *Sahlberg* missa. Ad Gryphiam & in litoribus maris insulæ Helgolandiæ a D. *Dahlbom* copiose inventa).

♂♀. Priori simillima, sed differt: magnitudine constanter minore, colore corporis propter vestitum rariorem obscuriore, epistomate palpisque pallidioribus, parum nitentibus, alis minus flavidis, & denique femorum apice multo angustius ferrugineo. — Orbitæ oculorum latæ, griseæ. Vitta frontalis flavo-fulva. Epistoma sordide albidum, interdum albido-flavum, semper vero pallidius quam in præcedente. Palpi albidi. Thorax grisescens, brunneo-sublineatus. Abdomen griseo-nigricans, in utroque sexu parce & fere æqvaliter hirsutum. Alæ basi & ad costam flavedine leviter tinctæ. Femora nigro-grisescentia, summo tantum apice ferruginea; tota distincte griseo-pubescentia l. hirta, sed non villosa; armatura ut in *S. stercoraria*, sed multo tenuiore. Tibiæ nigro-spinosæ, tarsique inermes, testacea. De cetero omnino ut in priori — Descriptionem plenam larvæ & pupæ vide *Bouché* Naturgesch. der Ins. Berolin. 1834 p. 93.

9. *S. borealis:* cinereo-nigricans, parce hirta; capite albicante; antennis nigris; palpis elongatis, flavis; alis cinereo-hyalinis, immaculatis. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus totis nigricantibus.

Zett. Ins. Lapp. 721. 4. ♂♀.

Var. b. ♂ pedibus nigricantibus, trochanteribus, tibiis tarsisque testaceis; paullo minor; an Junior? ad Thynæs Norwegiæ 4 Jul. rarissime.

Hab. var. a. in inferalpinis maritimis & litoralibus Norwegiæ, Junio, Julio passim; scilicet ad Levanger, Thynæs & Næs in paroecia Skogn, non raro; in Nordlandia ex. gr. ad Björkvik & Giebostad a me quoque haud infrequenter lecta.

♂♀. Corpore obscure cinereo l. nigricante, & tenuiter hirto, nec grisescente, a prioribus hujus seriei mox dignota. *S. litoreæ* (12), & *Fucorum* (18) colore corporis similis, sed ab illa palpis flavis, nec albis, vitta frontali obscura, nec fulvescente, & pedibus nigricantibus, nec tibiis pallide testaceis; ab hac palpis elongatis flavis, nec nigris; & ab utraque magnitudine paullo majore, seta antennarum breviter plumata, nec nuda, &c. vere differt. — Opaca. Frons paullo prominula, nigricans, orbitis cinerascentibus. Antennæ atræ. Epistoma argenteo-micans. Mystaces utrinque plures. Palpi insigniter elongati, porrecti, flavi, nigro-pilosi. Genæ eximie longæ & descendentes, subgibberosæ, argenteæ. Barba rara, albida. Thorax nigro-pubescens & supra parce setosus, totus obscure cinereus, lineis 4 dorsalibus nigris subconfluentibus seu potius dorso fusco, linea media cinerea. Abdomen schistaceum seu glauco-cinereum, tenuiter nigro-pubescens, valvulis ventralibus mediocribus, nigris. Alæ cinereo-hyalinæ, basi subferrugineæ. Nervi nigri, distincti, ut in *S. Fucorum* directi. Costa parum ciliata; spinula nulla. Squamæ parvæ, longe ciliatæ, & halteres, albida. Pedes cinerascentes, toti distincte obscure pubescentes, tarsis nigris. Femora antica valida, inermia; posteriora ut in proxime præcedentibus setulosa. Tibiæ omnes setosæ.

B. Seta antennarum nuda.

α). Palpi albi l. pallidi.

†. antennis ferrugineis (*S. Argus:* antennis obscuris in medio ferrugineis, sub n:o 16 quærenda).

10. *S. squalida:* flavescenti grisea; capite testaceo, vitta frontali fulva; palpis albis; antennis, abdominis apice pedibusque ferrugineis; femoribus anticis superne macula grisea; metathorace cinereo; alis subflavido-hyalinis, nervis transversis infuscatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Var. a. ♂♀. abdomine griseo, apice plus minus late testaceo.

Zett. Ins. Lapp. 721. 6. ♂♀. *Scatophaga* Meig. Dipt. 5. 252. 10. ♂♀. Macq. Buff. 2. 391. 9. ♂♀. *Cordylura fuscinervis* Zett. Ins. Lapp. 733. 38 etiam huc certe pertinet.

Var. b. ♂♀. abdomine testaceo, basi griseo, incisuris omnibus nigricantibus. *Scatophaga incisa* Macq. Buff. 2. 391. 10? ♀.

Hab. in foliis roridis Betulæ &c., atque in ripis fluminum, per Scandinaviam, a medio Junii usque ad finem Augusti, passim, in copula aliquoties etiam deprehensa; utraque varietas promiscue occurrit; nempe in Scania ad Lund, Fogelsång, Esperöd in paroecia Tranås, &c.; in Blekingia, D. *von Borck;* in Smolandia, D. *Ljungh;* in Suecia media a me frustra quæsita; sed in Uplandia ad Holmiam a Prof. *Wahlberg* lecta; in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellet, nec non ad Skalstugan frequens; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Umenäs rar., Lulensi, D. *Andersson*, Tornensi ad Wittangi & Juckasjervi &c.; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ex. gr. ad Giebostad parce; in jugo alpino ad Suul & in alpibus Kälahögar usque in regionem nivalem adscendens, freq.; e Dania a D. *Staeger* communicata. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Grönlandia a D. *Westermann* quoque missa).

♂♀. Similis omnino *S. maculipedi* (4), sed paullo minor, & thoracis lineis dorsalibus fere nullis, at in primis seta antennarum nuda, nec plumata, statim dignota. — Orbitæ oculorum, occiput & macula ocellorum, grisea. Vitta frontalis fulva. Antennæ ferrugineæ, seta fusca, vix nisi nuda. Epistoma & genæ albida. Palpi albi. Proboscis nigricans. Barba menti pallida. Oculi rotundati, in viva rufi. Thorax totus & scu-

tellum flavido-grisea. Metathorax cinereus. Abdomen colore variat, plerumque griseum, ano testaceo, sed interdum antice nigricans, posterius indeterminate rufescens, aut denique fere totum (basi grisea excepta) ferrugineum, incisuris præsertim in ♀ plus minus anguste nigris, & hæc forte est *Macqvarti Scatoph incisa.* Alæ cinereo-hyalinæ, basi & ad costam leviter flavedine tinctæ, nervis transversis rectis sat distincte infuscatis. Costa breviter ciliata, sed spinula nulla. Nervi præterea ut in *S. lutaria* (2) directi. Squamæ parvæ & halteres sordide alba. Pedes validiusculi, cum coxis ferruginei, pallide pubescentes, macula superna oblonga, vittiformi, nigricante ante medium femorum anticorum. Femora antica in ♂ saltem subinermia, sed postica latere anteriore setis ordinariis 4—7 nigris munita. Setæ etiam 2 postice ad apicem femorum intermediorum adsunt. Tibiæ omnes parce spinosæ.

Obs. In specimine Grönlandico, quod etiam paullo majus est, abdomen totum obscure griseum, ano concolore, nec ferrugineo. De cetero conveniens.

††. antennis nigris l. fuscis (in *S. Argus* (16) obscuris, medio ferrugineis).

11. *S. fuscinervis:* griseo-cinerea; capite palpisque albidis, vitta frontali fulva; antennis obscuris, basi ferruginantibus; pedibus ferrugineis, femoribus anticis nigricantibus, apice rufis; alis pallido-hyalinis, nervis transversis late infuscatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 722. 7. ♂♀.

Hab. in paludosis & stercoratis præcipue Sueciæ borealis & Lapponiæ a medio Maji usque ad medium Augusti minus frequens; scilicet in stercore equino juxta ipsam nivem in alpe Klöfsjöfjellet Herjedaliæ, D. *Boheman;* in Jemtlandiæ alpibus Åreskutan & Mullfjellet usque in regionem nivalem adscendens non raro; in ligno

recenter secato, atque etiam in paludosis, ad Wittangi & Juckasjervi Lapponiæ Tornensis rarius mihi obvia, usque ad lacum Torneåträsk in regione Lapponiæ alpina adscendens; in Suecia inferiore rarissime occurrit, & in Gottlandia semel tantum lecta; in alpe Dovre Norwegiæ a D. *Rosenschöld* capta, & ad Suul Wærdaliæ a D. *Dahlbom* lecta.

♂♀. Priori valde similis & affinis; sed plerumque paullo minor, antennis paullo obscurioribus, alarum nervis transversis latius infuscatis, & tandem femoribus anterioribus fere totis cinerascenti nigris, diversa. — Vitta frontalis antice crocea, postice fulva. Antennæ rufæ, articulo ultimo obscuro l. fusco. Epistoma & genæ albo-cornea, barba menti tenui, pallida. Thorax griseus, pleuris plerumque cinereis. Calli humerales sæpe (non semper) rufescentes. Abdomen obscure griseum, segmento anali 6:to ferrugineo. Alæ cinereo-hyalinæ, vix flavicantes, nervis transversis fuscedine late cinctis. Pedes ferruginei, coxis anticis concoloribus. Coxæ autem posteriores rufæ, cinereo-micantes, trochanteribus omnibus ferrugineis. Femora antica a basi & ultra medium undique cinereo-nigricantibus. Armatura pedum, directio nervorum in alis & reliqua ut in antecedente. — Variat ♂ abdomine ferrugineo, antice plus minus cinereo-micante, incisuris mediis tenuiter nigricantibus. Abdomen feminæ ad latera sæpe rufo-maculatum.

12. *S. litorea:* cinereo-nigricans, epistomate palpisque albis; vitta frontali fulvescente; antennis nigris; tibiis pallide testaceis; femoribus intermediis basi rufescentibus; alis cinereo-hyalinis, immaculatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀ pedibus nigricantibus femoribus intermediis basi anguste rufis; tibiis omnibus testaceis.

Fall. Scatomyz. 4. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 722. 8. ♂♀. *Scatophaga* Meig. 5. 251. 15. ♂♀.

Var. b. ♂♀ pedibus nigricantibus, tibiis obscure testaceis.

Zett. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♂♀ pedibus ferrugineis, femoribus anticis fere totis nigricantibus. An *Scatophaga rufipes* Meig. Dipt. 5. 253. 13? ♀.

Hab. omnes varietates promiscue in litoribus marinis Scandinaviæ, præsertim in Fucis e mare rejectis, a primo vere usque ad autumnum, vulgatissime, in copula pluries deprehensæ; scilicet in litoribus maris Scaniæ, Blekingiæ, Calmariæ, Ölandiæ, Gottlandiæ, Hallandiæ, Westrogothiæ, & Bahusiæ, passim copiose; in tota Norwegia litorali inde a Christiania usque ad Nordkap Finmarkiæ, etiam circa sinus interiores maris, abunde; in Daniæ litoribus quoque freqnenter; sed ad flumina & lacus continentis hæc species hactenus non observata. Ova oblonga, cylindrica, nuda, alba feminam parientem vidi. (E Lubeca a D.D. *Jacobo Behrens* & *C. J. Milde* atque e Gryphia a D. *Dahlbom* etiam communicata).

♂♀. Obscure cinerea. Orbitæ oculorum, macula verticis & occiput, cinerea. Vitta frontalis antice pallida l. fulva postice sæpe infuscata. Antennæ totæ nigræ. Epistoma albidum. Palpi longiusculi, subfiliformes, albi. Proboscis nigra. Genæ albæ. Mentum parum barbatum. Oculi rotundi. Thorax obsolete fusco-lineatus. Scutellum immaculatum. Abdomen obscure cinereum, immaculatum, in ♂ villosulum, in ♀ pubescens. Styli ventrales 2 in ♂. Anus concolor. Alæ cinereo-hyalinæ, basi & costa parum pallescentes. Nervi longitudinales 3 & 4 exacte paralleli; transversus ordinarius manifeste ante medium areæ mediæ insertus, unde segmentum nervi longit. 4:ti secundum 3:tio l. ultimo fere duplo brevius. Spinula costæ nulla. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes cinereo-nigricantes,

plerumque femorum omnium summo apice, intermediorumque basi plus minus anguste trochanteribusque, ferrugineis. Tibiæ omnes magis minusve pallide l. obscure testaceæ ut in varietatibus a. & b. indicatur. Tarsi revera rufescentes, sed ob pubescentiam nigram, qua vestiti, obscuri videntur. Armatura præterea ut in *S. squalida* (10). Variat ut in c. uterque sexus femoribus anticis apice paullo latius, pedibus posterioribus fere totis, exceptis coxis cinereis, anoque rufo-ferrugineis. Tarsi subobscuri.

Obs. E messe sua Insectorum Lapponiæ Lulensis 1843 Dominus *Anderson* mihi communicavit in individuo unico specimen femineum, quod per antennas paullo latiores apice superno acutas & nervum transversum ordinarium paullo propius ad medium, nec longe ante medium, areæ ultimæ insertum, a *Scat. litoreæ* varietati a. alias simili, recedere videtur; sed cum neque marem cognosco, neque locum specialem pro exemplo unico femineo indicavit inventor, speciem forte distinctam hoc modo tantum indicere potui.

13. *S. villipes:* cinereo-nigricans, undique longe hirsuta (♂); capite argenteo; palpis albis; vitta frontali fulva; antennis nigris, articulis 1 & 2, femoribus intermediis basi, genubus, tibiis tarsisque omnibus, ferrugineis; alis pallide hyalinis, immaculatis. ♂. (Long. 3 lin.).

Scatom. litorea Zett. Ins. Lapp. 722. 8. (tantum specimina ad Bossekop Finmarkiæ capta).

Hab. in inferalpinis maritimis Finmarkiæ occidentalis Norwegiæ rarissime, duo solummodo individua mascula ad Bossekop 16 Aug. 1821 inveni.

♂. Priori colore subsimilis, sed magnitudine majore, epistomate purius albo, fere argenteo, antennarum articulis 2 basalibus ferrugineis, alis pallidioribus, nervo transverso ordinario paullo propius ad medium areæ mediæ inserto & denique præcipue

toto corpore, at imprimis abdomine pedibusque villositate longa, fusca vestitis, differt. — Species valde distincta. Vitta frontalis lata, fulva. Orbitæ oculorum frontales angustæ, albæ, serie setarum nigrarum utrinque 12—14. Epistoma & genæ argenteo-micantia. Mystaces plures (6—7), validiusculæ, nigræ. Palpi albi, extorsum subcrassiores, manifeste pilosi. Proboscis nigra. Barba menti flava. Thorax supra seriatim & sat dense nigro-pilosus, cinerascens, disco dorsali brunescente, brunnedine vix in lineas digesta. Scutellum cinereum, linea utrinque brunnea; setis 4 ordinariis munitum. Abdomen lineare, cinereum, tomento longo, griseo, & supra & subtus tectum. Anus inflexus rufo-ferrugineus. Styli 2 ventrales in segmento 5:to testacei. Alæ cinereo-hyalinæ, basi albescentes, nervis ut in priori directis, at longitudinalibus 3 & 4 paullulum magis distantibus, & versus apicem non exactissime parallelis. Nervus quoque transversus nonnihil propius ad medium areæ insertus, unde etiam segmentum nervi longit. 4:ti secundum tertio vix dimidio, nec fere duplo, longius. Spinula nulla. Pedes haud spinulosi, sed femoribus & tibiis tomento longo, griseo, præsertim lateribus & subtus vestiti. Coxæ cinerascentes. Trochanteres omnes femorumque intermediorum basis rufescentia. Femora nigricantia, apice, tibiæque totæ, ferrugineo-testacea. Tarsi rufescentes, breviter obscure setulosi, sed non villosi.

14. *S. heteromyzina:* cana, parce setulosa; epistomate, palpis mystacibusque albis; vitta frontali fulva; antennis breviusculis nigris, basi fuscis; abdomine pedibusque flavis; alis pallidis. ♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin. l. paullo ultra).

Zett. Ins. Lapp. 723. 14. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele 4 Jun. 1832 unicum individuum deprehendi.

♀. Per magnitudinem minorem, antennas breviusculas nigras, basi fuscas, mystaces paucas, albas, abdomen pedesque flava, ut & alas pallescentes, ab omnibus dignota. Affinis *Heteromyzæ*,

antennis oblongiusculis, nec rotundatis, distincta. — Læte cinerea. Frons non prominula. Orbitæ oculorum, occiput & macula ocellorum, cana. Vitta frontalis fulva. Antennæ epistomate dimidio breviores, articulis 1 & 2 piceis, 3:tio nigro, subovato, apice obtuso; seta capillari, nuda, fusca, basi graciliter incrassata. Epistoma & genæ subrufuscentia, albo-micantia. Setæ mystacinæ utrinque 2, albæ. Palpi albi, extrorsum subdilatati. Proboscis nigra. Barba menti alba. Oculi rotundati. Thorax totus canus, parce setosus, dorso lineis 2 fuscis obsoletis. Scutellum concolor, setis ordinariis. Abdomen ovatum, glabriculum, læte flavum, basi macula canescente. Alæ albescentes, nervis pallidis, omnino ut in *S. litorea* directis. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes toti læte flavi, subnudi, tibiis parce spinulosis. Coxæ anticæ albæ.

15. *S. frontata:* supra obscure grisea, subtus cinerea; parce setulosa; capite lutescenti flavo; fronte porrecta; antennis breviusculis, nigris; palpis sordide albis; thorace sublineato; abdomine fusco; alis cinereis; pedibus luteo-testaceis, femoribus canescentibus. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 724. 15. ♀.

Hab. in Lapponia boreali Tornensi rarissime; in ripa fluvii Tornensis ad Juckasjervi 20 Jun. 1821 unicum specimen in societate cum *Aricia canescente* inveni.

♀. Statura prioris. Frons distincte prominula, lutea, orbitis oculorum & vertice griseis. Antennæ ut in præcedente, sed ob frontem porrectam, oblique subextensæ, saltem non incumbentes. Epistoma infra oculos descendens, declivum, lateribus luteoflavum, area media alba. Setæ mystacinæ utrinque 4 nigræ. Palpi albi, extrorsum sublatiores, apice obscuro, piloso. Proboscis nigra. Barba menti paucior, albida. Thorax parce pilosus, obscure griseus, dorso fusco-lineatus. Scutellum cinerascens, setis ordinariis. Abdomen ovato-oblongum, acutum,

cinereum, glabriculum. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervi longitudinales: 3 & 4 exacte paralleli; 2:dus elongatus, unde segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo & ultra longius. Nervi transversi vix infuscati, ordinarius distincte ante medium areæ insertus, exinde segmentum nervi longit. 4:ti secundum ultimo duplo brevius. Costa omnino nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes mediocres, tenuiter griseo-hirtuli, sed vix pilosuli, multo minus spinosi. Coxæ & femora cinerascenti fusca, intermedia nonnihil dilutiora. Tibiæ luteo-testaceæ, parce setulosæ. Tarsi tibiis concolores, apice brunnescentes.

16. S. *Argus:* fusco-grisea, pubescens & setulosa; capite argenteo-micante, fronte non prominente, lutescenti fusca; antennarum medio pedibusque luteo-testaceis; palpis albis; thorace fusco-vittato; alis hyalinis, brunneo-ocellatis, pupilla nigra; femoribus cinerascentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 727. 16. ♂♀.

Hab. in ripis arenosis fluvii Tornensis Junio, Julio & initio Augusti, passim; ad pagos Lapponicos Wittangi & Juckasjervi frequentiorem vidi, usque ad lacum Tornensem adscendentem. In superficie aqvarum stagnantium alas quatiendo quasi volitans sæpe currit. In Lapponiis Pitensi ad litus lacus Hornafvan prope Arjeploug, atque Lulensi a D. *Wahlberg*, & in alpe Dovre Norwegiæ a D. *Boheman*, quoque lecta. Infra Lapponiam hanc speciem descendere non observavi, nisi ad marginem fossarum & aquarum frigidarum in ipso cacumine alpis Jemtlandicæ Åreskutan circiter 3500 ped. supra mare, haud parce.

♂♀. Pictura alarum ab omnibus aliis facillime dignota. Opaca. Frons grisea, utrinque & postice setosa, vitta media antice lutea. Antennæ epistomate paullo breviores, oblongo-ovales, fuscæ, articulo ultimo basi late luteo-testaceæ; seta nuda, basi

subincrassata. Epistoma infra oculos descendens, argenteo-micans. Setæ mystacinæ utrinque 2 (præter pilos aliquot brevissimos tenues), haud validæ, nigricantes. Genæ longæ, epistomati concolores. Palpi albi, extrorsum sublatiores, apice pilosi. Proboscis nigra. Barba menti albida. Oculi minusculi, rotundi. Thorax obscure griseus, dorso pubescens & setulosus, lineis subtribus fuscis. Scutellum cinereo-griseum, setis ordinariis. Abdomen totum obscure cinereum, subimmaculatum, in ♂ hirsutulum, in ♀ magis denudatum. Alæ cinereo-hyalinæ, maculis circularibus brunneis, quarum 3—5 in interstitio nervorum longitudinalium 2:di & 3:tii magis regularibus & distinctioribus, nervo long. 2:do adnexis, lineola centrali brevi pupillatis, & 3—4 in disco plerumque coecis (sed una alterave sæpe pupillata). Hæ omnes maculæ annulares in viva manifestæ, in mortua plerumque valde obsoletæ & sæpe vix nisi in pupillis lineolatis l. punctis minutis nigris tenacius adhærentibus observandæ. Nervi præterea ut in priori directi, sed transversus ordinarius paullo propius ad medium areæ insertus, ita ut segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio dimidio tantum longius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ & halteres sordide albida. Pedes omnino ut in præcedente vestiti & colorati.

17. *S. antennáta:* grisea, valde setosa; macula frontali pedibus fulvis, tarsis fuscis; antennis magnis manifeste dilatatis, angulo superiori acuto, totis nigris, seta nuda, basi subfracta crassa, concolore; palpis apice subdilatatis halteribusque albidis; alis sordide albo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis, subinfuscatis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 721. 18. ♂♀.

Hab. in Dalecarlia rarissime, D. *Boheman*, 1836; mihi numquam obvia.

♂♀. Opaca. Affinis *S. muscinæ* (22), antennis majoribus, seta crassiori, fronte magis prominente, ano immaculato, &c., diversa. Affinis quoque *Cordyluræ flavipedi* (52), sed major & magis setosa.

β). Palpi nigri (in *S. muscina* (22) basi albidi, apice obscuri).

18. *S. Fucorum:* cinereo-nigricans, capite obscure griseo; fronte minus prominente; antennis, palpis pedibusque nigris; oculis subovalibus; thorace obscure vittato; alis hyalinis, immaculatis, costa ciliata, spinula distincta; squamis halteribusque albidis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis apice setosi segmentis 5 anterioribus subæque longis, 6:to inflexo, parvo, brevi, basi haud prominulo; stylis 2 ventralibus in segmento 5:to nigris; femoribus posticis basi subtus fasciculo pilorum nigrorum;

Fem.: abdominis pubescentis segmentis 4 anterioribus subæque longis, 5:to subconico 4:tum dimidio & ultra superante, 6:to minuto, retracto, annulato; femoribus posticis fasciculo pilorum deficiente, in copula.

Var. a. ♂♀ pedibus totis nigris.

Fall. Scatom. 5. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 722. 9. var. a. ♂♀. — *Scatophaga* Meig. Dipt. 5. 253. 14. ♂♀. T. 45. f. 29. — Macq. Buff. 2. 395. 12. ♂♀.

Var. b. ♂♀ tibiis testaceis.

Hab. utraque varietas præcipue in litoribus marinis, ubi Fuci rejecti litus tegunt, per Scandinaviam totam tota æstate, vulgatissima, in copula haud raro deprehensa; scilicet in litoribus maris orientalibus Scaniæ, Blekingiæ, Calmariæ, Ölandiæ & Gottlandiæ, & occidentalibus Hallandiæ, Westrogothiæ & Bahusiæ, ubique frequentissima; etiam in Norwegiæ litoribus marinis a Christiania usque ad Nordcap, præsertim in sinubus interioribus sæpe abundans; sed etiam in interiore parte Sueciæ mediæ occurrit, ex. gr. in litore lacus Wettern Ostrogothiæ passim visa; in Dania quoque valde frequens. (In insula Helgolandia,

nec non ad Gryphiam a D. *Dahlbom* haud parce lecta, in primis e varietate b. — E S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* 1841 etiam missa).

♂♀. Opaca. Frons leviter subprominula, obscure grisea, lateribus & postice setosa, vitta media obscuriore, macula supra antennas indeterminata lutea l. fulvescenti lutea. Antennæ mediocres, totæ nigræ, seta nuda. Epistoma infra oculos descendens, albido-cinereum. Setæ mystacinæ utrinque 3—4, validiusculæ. Palpi nigri. Genæ longæ, cinereo-albescentes. Mentum pilis paucis, brevibus, nigris barbatum. Oculi mediocres, rotundati. Thorax obscure cinereus, dorso setoso, grisescente, lineis tribus brunneis, interdum subconfluentibus. Scutellum cinerascens, setis ordinariis. Abdomen cinereum, certo situ linea media obscura. Alæ cinereæ. Nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli; transversus ordinarius mox ante medium areæ insertus, ad marginem alæ subretractus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere triplo longius. Costa ciliata seu ad medium breviter subserrulata. Spinula gemina adest. Squamæ parvæ albidæ. Halteres flavi. Pedes nigri, leviter cinereo-micantes. Coxæ setulosæ. Femora antica latere postico, posteriora latere antico, pilosa, intermedia postice ad apicem bisetosa. Tibiæ setulosæ, interdum plus minus testaceæ.

19. S. *affinis:* obscure cinerea, capite canescente; fronte prominente, subangustata; antennis, palpisque filiformibus, nigris; oculis ovalibus; thorace sublineato; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, costa subciliata, spinula distincta; squamis halteribusque albis; pedibus nigricantibus. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomine cylindrico, linea dorsali subinterrupta, fusca, obsoleta, lamellis 2 oppositis nigris in segmento ventrali 5:to; oculis in fronte subapproximatis;

Fem.: abdomine conico, cinereo, immaculato, subtus non lamellato; oculis modice remotis, vitta frontali nigricante.

Zett. Ins. Lapp. 722. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ septentrionalis litoralibus, Jul. Aug., rarius; scilicet in Lapponia in ripis fluminis Tornensis ex. gr. ad Juckasjervi; ut & in Norwegia ad litus maris borealis ex. gr. ad Björkvik Nordlandiæ, atque etiam ad flumen Altense Finmarkiæ occidentalis, a me parce inventa.

♂♀. Priori in variis similis, sed vere differt: colore corporis magis glaucescente, fronte distinctius prominula, epistomate infra oculos longius descendente & lætius cinereo, alarum costa brevius setulosa, nervo transverso ordinario paullo longius a margine alæ remoto, oculis præsertim in ♂ propioribus, lamellis maris ventralibus latioribus, &c. — Opaca. Frons setosa. Facies ante oculos prominula. Antennæ epistomate fere duplo breviores, nigræ, seta nuda, basi leviter incrassata. Epistoma canum l. sordide albicans, apice distincte reflexum. Setæ mystacinæ utrinque 3—4, mediocres. Palpi filiformes, extrorsum graciliter incrassati, nigri, pilosi. Mentum parum setulosum. Oculi mediocres, ovales. Genæ longissimæ, nudæ. Thorax cinereus, dorso grisescens, parce setosus, obsolete fuscolineatus. Abdomen cinereum. Alæ cinereæ, basi præcipue in ♀ albicantes. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli; transversus ordinarius paullo ante medium areæ insertus, obliquus, rectus. Segmentum costale 2:dum 3:tio duplo longius. Spinula costæ ad exitum nervi secundarii parva, sed distincta. Squamæ parvæ albæ, valvula superiore ciliata inferiorem minorem nudam tegente. Halteres albidi. Pedes toti nigri, leviter cinereomicantes, omnino ut in præcedente pilosi & (tibiis) spinulosi.

Obs. Oculi mediocres, ovales, non oblongi, potius *Scatomyzæ*, quam *Ariciæ*, cui accedit, speciem produnt.

Obs. In insula Helgolandia in societate cum *Scat. Fucorum*, D. *Dahlbom* individuum femineum invenit duabus proxime præcedentibus valde simile & affine, inter illas quasi *intermedium*; sed a *S. Fucorum* fronte facieque multo magis prominu-

lis, & genis longius descendentibus; a *S affini*, cui capitis forma proxime accedit, oculis rotundatis, minime ovalibus, & fronte paullo latiore, atque ab utraque magnitudine nonnihil majore (fere 3 lin. longa), colore corporis paullo lætius cinereo, ut & alis basi subalbicantibus, vere discedit.

20. S. *muscaria:* obscure grisescens, capite ferrugineo; fronte prominente; antennis cum seta ad medium incrassata nigris, basi ferrugineis; vertice, palpis, abdomine, halteribus pedibusque, nigricantibus; oculis subovalibus; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, costa nuda, spinula nulla; squamis albidis. ♀. (Long. fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 723. 11. ♀.

Hab. in Lapponia septentrionali rarissime; in ripa fluminis Tornensis ad Juckasjervi 23 Jun. 1821 specimen descriptum inveni.

♀. Per capitis antennarumque baseos colorem ferrugineum, antennarum setam saltem ad medium incrassatam, alarum costam subnudam, spinulam nullam, halteres obscuros & abdomen subovatum, nigricantem, nitidulum, ab affinibus statim dignoscitur. Opaca. Vertex obscurus, setis ordinariis. Frons porrecta, antice ferruginea, lata. Antennæ longitudine fere epistomatis, sat validæ, nigræ, articulis 1 & 2 rufis. Seta atra. Epistoma ante oculos prominulum & infra illos descendens, ferrugineum. Setæ mystacinæ plures, nigræ. Palpi subclavati, nigri, basi albidi. Oculi mediocres, ovati l. ovales. Genæ longæ. Thorax supra vix lineatus, sed fuscedine indeterminata tinctus; parce, sed valide setosus. Scutellum setis 6. Abdomen pubescens, apice setulosum. Alæ pallescentes. Nervi ut in priore directi, sed segmentum costale 2:dum tertio vix ultra $2\frac{1}{2}$ longius. Costa nuda. Spinula deficiens. Squamæ parvæ. Pedes nigri, ut in proxime præcedentibus pilosi.

Obs. In Scania D. Philos. Doctor *von Borck* individuum femineum invenit mihique communicavit, *S. muscariæ* in omnibus

simillimum, exceptis colore thoracis lætiore, fronte facieque minus prominulis, antennarum seta non ad medium incrassata, epistomate pallido l. subrufo-albicante, nec ferrugineo, abdomine non toto nigro, sed præsertim basi grisedine leviter tincto, ut & alis minus albidis, nervo transverso ordinario leviter subinfuscato. Sed ex individuo unico, haud optime conservato & loco natali a *S. muscaria* valde remoto, novam speciem fingere nolo, existentiam formæ aberrantis pro ulteriore inquisitione tantum hoc modo indicans.

21. *S. muscæformis:* obscure grisescens, capite sordide albido; fronte parum prominente, fusca; antennis cum seta basi incrassata, palpis pedibusque nigris; oculis rotundatis; thorace fusco-vittato; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, costa subciliata, spinula parva; sqvamis halteribusque albis. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 723. 12. ♀.

Hab. in Finmarkia occidentali Norwegiæ rarissime; ad Bossekop 3 Aug. 1821 in uno specimine a me deprehensa.

♀. Habitus *Ariciæ* l. *Anthomyzæ*, sed oculis rotundioribus & squamis parvis distincta. Opaca. Frons leviter prominens, modice lata, fusca, lateribus & postice distincte setosa, orbitis oculorum angustis, cinereis. Antennæ mediocriter longæ, atræ, puncto in apice articuli 2:di minuto, cinereo. Epistoma infra oculos descendens, albida, area media retusa nigro-cinerea. Mystaces distinctæ, plures. Genæ longæ, inferne serie nigrosetosæ. Palpi nigri. Barba menti rara, pallida. Occiput cinereum. Thorax obscure cinereus, dorso toto setoso, vittis 3 latiusculis, brunneis. Scutellum cinereum, 6-setosum. Abdomen oblongum, apice præsertim setosum. Alæ, squamæ, halteres & pedes ut in *S. Fucorum* (18).

22. *S. muscina:* cinerea, immaculata, capite rufescenti albo, vitta frontali fulva; fronte subprominula;

antennis nigris, basi piceis; palpis fuscis, basi pallidis; oculis ovalibus; ano rufescente; alis cinereo-hyalinis, immaculatis, costa subnuda, spinula nulla; squamis halteribusque albidis; pedibus flavis, femoribus anticis cinerascentibus, tarsis omnibus nigris. ♀. (Long. vix 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 723. 13. ♀.

Hab. in inferalpinis Finmarkiæ occidentalis Norwegiæ rarissime; ad Bossekop 10 Aug. 1821 unicum individuum detegere mihi contigit.

♀. Capite rufescente, ano pedibusque flavis a reliquis hujus seriei statim dignoscenda. — Statura prioris, sed paullo minor. Glauco-cinerea seu schistacea, opaca, setosa. Caput rufescenti flavum, undique albo-micans. Frons subprominens, subangustata, lateribus & postice setosa, vitta media fulva, macula ocellorum cinerea. Antennæ longiusculæ, nigræ, basi obscure rufescentes, seta nuda, nigra, basi graciliter incrassata. Epistoma infra oculos distincte descendens. Setæ mystacinæ paucæ, nigræ. Genæ longæ, nudæ. Palpi albi, apice obscuri. Thorax supra haud parce setosus. Abdomen oblongum, pubescens, lateribus & apice setosum, segmentis 3 anterioribus cinereis, 4:to fusco-testaceo, 5:to & 6:to minuto retracto purius testaceis. Alæ cinereæ, basi albicantes, nervis & costa ut in *S. muscaria* (20). Squamæ & halteres alba. Pedes cum trochanteribus flavo-testacei. Femora antica fere tota & coxæ omnes læte cinerascentia. Tarsi omnes nigri. Femora & tibiæ ut in affinibus pilosa & spinulosa.

23. *S. griseola:* læte cinerea, immaculata, capite cano; fronte non prominula; antennis palpisque nigris; oculis rotundatis; alis albicantibus, nervis transversis infuscatis, costa ciliata, squamis halteribusque albis; pedibus nigro-cinereis. ♂♀. (Long. 1—1⅓ lin.).

Fall. Muscid. 5. 6. ♂♀. *Scatophaga* Meig. Dipt. 5. 252. 11 (ex descriptione Falleni transscripta).

Hab. in litore maris arenoso Sueciæ meridionalis, Jul. Aug., rarius; scilicet in Scania ad Raflunda & Esperöd 2 individua mascula & 2 feminea inveni.

♂♀. Per magnitudinem parvam, colorem totius corporis læte cinereum, immaculatum, frontem non exsertam, alas albescentes, nervos transversos fuscedine distincte cinctos, & denique costam perspicue ciliatam, ab omnibus antecedentibus satis superque diversa. — Tota opaca. Frons modice lata, lateribus & postice setulosa, tota cana, vitta media parum obscuriore, macula anteriore ante antennnas sublunata plerumque testacea. Antennæ epistomate paullo breviores, totæ nigræ, seta non longa, ad medium graciliter incrassata. Setæ mystacinæ paucæ, validiusculæ. Epistoma sordide albicans. Palpi parum exserti, extrorsum nonnihil incrassati, nigricantes. Oculi minusculi, rotundi, unde ex *Ariciis* & *Anthomyzis* aliquot similibus facile dignoscitur. Genæ longæ. Thorax dorso & scutellum setulosa. Abdomen *maris* oblongum, ano distincte incrassato, inflexo; totum canum, apice pilosulum; *feminæ* magis oblongo-ovatum, læte cinereum, glabriculum, apice acutum. Alarum nervi omnino ut in *S. affini* (19) directi. Costa ultra medium manifeste ciliata; spinula costæ adest, sed a ciliis distinctis parum diversa. Squamæ parvæ, albæ. Pedes nigricantes leviter cinereo-micantes, ut in affinibus pilosuli.

24. *S. signata:* læte cinerea, immaculata, capite cano, macula supra antennas testacea; fronte non prominula; antennis palpisque nigris; oculis rotundatis; alis albicantibus, nervis transversis, fascia basali, vitta costali, maculisque duabus, una discoidali altera apicali, distincte fuscis, costa subciliata, squamis halteribusque albis; pedibus nigro-cinereis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 721. 17. ♂♀.

Hab. in Lapponia septentrionali regione sylvatica, rarius; in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi initio mensis Julii 1821 quatuor mares totidemque feminas detegere mihi contigit; nec alibi inveni.

♂♀. Priori valde affinis & simillima, sed magnitudine nonnihil majore, macula testacea supra antennas plerumque paullo majore, costa forte paullo brevius ciliata, at præcipue pictura alarum eximia, certissime distincta. Alæ nempe in fundo albescentes; fascia prope basin inæqualis, a margine interiore ad costam extensa, ibique elongatur & costam sequitur, totum interstitium nervorum costalis & longitudinalis 2:di implens; deinde in medio alæ macula oblonga, obliqua, fere a centro ad marginem interiorem summum alæ dilatata, nervos transversos adhuc saturatiores totos includens; & tandem macula minor, rotundata ad apicem alæ sita, apicemque nervi longitudinalis 4:ti cingens. Hæ omnes alarum signaturæ fusco-brunneæ, evidentes. Reliqua omnia exacte ut in præcedente, cujus tamen varietas e climate severiore orta minime habenda.

146. CORDYLURA Fall.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum, pubescens & pilosum. Antennæ deflexæ, epistomate paullo breviores, articulis basalibus brevioribus, ultimo oblongo, compresso, apice truncato, basi seta dorsali plumata aut nuda. Caput sphæroideum. Frons plus minus lata, subparallela, setis lateralibus 6—8 magis minusve validis, in una serie dispositis, & paucis in regione ocellorum. Ocelli 3. Epistoma perpendiculare, infra oculos plerumque parum descendens, nudum, in medio retusum, apice reflexum. Vibrissæ nullæ. Seta mystacina utrinque vix nisi unica valida. Apertura oris subquadrato-rotundata, peristomio nudo. Palpi clavati l. dilatati, pilosi, cum proboscide in mortua sæpe penduli. Oculi majusculi l. mediocres, magis minusve late distantes, rotundati l. ovales.

nudi, in viva plerumque obscure ferruginei æneo-micantes. Mentum barbatum. Thorax sutura media transversa, dorso sex seriebus setosus. Scutellum margine 4-setosum. Abdomen 6-annulatum, segmentis subæque longis, 1:mo & 2:do sæpe quasi in unum coalitis. Alæ abdominis longitudine, illo sæpe breviores, raro longiores; incumbentes, non vibrantes. Nervi ut in *Scatomyza* directi, at auxiliaris sæpe paullo brevior. Squamæ & halteres etiam ut in genere præcedente. Pedes simplices, parce setulosi. Tibiæ omnes spinulosæ. *Color* corporis niger, cinerascens, griseus, ferrugineus. *Motu* sat agilis: volatus brevis. *Habitatio* imaginum in graminosis & foliis fruticum, libenter locis umbrosis; larvarum verosimiliter in aqvaticis & terra uliginosa; larvæ autem quarundam in Noctuarum larvis parasitæ vivunt, ex. gr. *Cordyluræ apicalis* Meig., teste D. *Fr. Boie*. *Differentia sexus; mas:* abdomine lineari, interdum fere filiformi, distinctius clavato quam in *Scatomyza*, segmento nempe ultimo magno, subtumido, rotundato, inflexo, varie appendiculato; segmento 4:to ventrali plus minus distincte bilamellato; alis sæpissime (non vero semper) abdomine brevioribus; *femina:* abdomine lanceolato, apice acuto, segmento ultimo annulato; alis longitudine abdominis, aut illud paullo excedentibus. Genus hoc *Scatomyzæ* valde affine, sed antennis apice sæpissime magis truncatis, nec obtusis, setis mystacinis paucioribus, alis præcipue in mare brevioribus, statura corporis haud villosi graciliore, abdomine maris angustiore, manifestius clavato, ano magis evoluto & composito, varie appendiculato l. ciliato, & denique motu vivaciore, magis determinato, habituque paullo alieno, distinctum. Typi generis: *C. pubera, spinimana, ustulata, flavipes, hydromyzina* & *caudata.*

Divisio Specierum.

Subd. 1:*ma.* Seta antennarum distincte plumata.

A. corpore nigricante (*Cord. Scatomyzoides* thoracis dorso grisescente, sub n:o 14, & *C. dispar* corpore nigricante, sub n:o 15, quærendæ).

*). Palpi nigri.

1 *pubera* Linn. ♂♀. 2 *geniculata* Zett. ♂♀. 3 *pudica* Meig. ♂. 4 *ciliata* Meig. ♂♀. 5 *tibialis* Zett. (*Anthomyza incerta* Zett. Ins. Lapp. est hujus varietas) ♂♀. 6 *rufimana* Meig. ♂♀. 7 *atrata* Wahlb. nov. sp. ♂♀.

**). Palpi pallidi.

8 *albilabris* Fabr. (generis *Ocypteræ*) ♂♀. 9 *albipes* Fall. ♂♀. 10 *fuscipes* Zett. ♂♀.

B. corpore pallescente vel ferruginante (in *C. Scatomyzoides* n:o 11 thorace grisescente; in *C. dispare* n:o 15 ♂ corpore nigricante).

11 *spinimana* Fall. (*Musca semiflava* Panz. ♀) ♂♀. 12 *pallida* Fall. (cum variet. a. b. c.) ♂♀. 13 *unilineata* Zett. ♀. 14 *Scatomyzoides* Zett. ♂. 15 *dispar* Zett. n. sp. ♂♀.

Subd. 2:da. Seta antennarum pubescens aut nuda. *Cleigastra* Macq.

Tribus I corpore obscuro.

A) thorace abdomineque nigricantibus (in *C. strigifronte* n:o 28, obscure griseis. — Conferantur etiam *C. fraterna* (36), *niveipalpis* (11), *hæmorrhoidalis* (13) & *caudata* (61) infra in serie B.).

†. Palpi albi vel sordide albi.

α. Antennæ breviusculæ.

*. Pedes saltem femoribus nigricantibus.

16 *ustulata* Zett. (cum var. a. b. c.) ♂♀. 17 *Kunzei* Zett. ♂♀. 18 *albitarsis* Zett. ♂. 19 *albipennis* Zett. ♂♀.

**. Pedes toti flavi vel pallidi.

20 *C. vittata* Meig. ♂♀. 21 *cuneiventris* Bohem. n. sp. ♂♀. 22 *albipila* Zett. n. sp. ♀. 23 *breviseta* Staeg. n. sp. (an *C. fulvipes* Meig.?) ♀.

β. Antennæ longiusculæ.

*) pedibus totis flavis.

24 *apicalis* Meig. ♂♀. 25 *filiformis* Zett. n. sp. ♀.

**) pedibus fere totis nigris.

26 *nigripes* Zett. n. sp. ♂♀.

††. Palpi nigricantes vel nigri (in *C. loxocerata* n:o 29 var. a. palpi pallidi).

27 *proboscidea* Zett. ♂♀. 28 *strigifrons* Zett. ♀. 29 *loxocerata* Fall. (var. a. ♂., var. b. ♀ est *C. longifrons* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 30 *nigrita* Fall. ♂♀. 31 *magnicornis* Staeg. n. sp. ♂.

B) thorace semper abdomineque plerumque cinerascentibus aut grisescentibus, plus minus obscuris (*Cord. strigifrons* corpore obscure griseo antea sub n:o 28 invenienda. *C. fraterna* (36), *niveipalpis* (41), *hæmorrhoidalis* (43) & *caudata* (64), corpore nigricante, thorace tantum leviter cinereo-pollinoso instructæ.

α. Cauda masculorum absque ciliis elongatis (in *C. clavata* n:o 38 cauda maris breviter ciliata).

*. Antennæ breviusculæ.

†. Palpi nigri.

32 *dentimana* Zett. ♂. 33 *aricina* Zett. n. sp. ♀.

††. Palpi albi vel flavi.

1. pedibus ad partem (in *C. obscurella* n:o 40 totis) nigricantibus vel obscuris.

34 *livens* Fabr. (*Hydromyza livens* Fall.) ♂♀. 35 *hydromyzina* Fall. ♂♀. 36 *fraterna* Meig. ♂♀. 37 *nigrimana* Zett. n. sp. ♂♀. 38 *clavata* Bohem. n. sp. ♂♀. 39 *lividipes* Zett. n. sp. ♀. 40 *obscurella* Zett. n. sp. ♂♀. 41 *niveipalpis* Zett. n. sp. ♂♀.

2. pedibus totis flavis. Alarum nervi transversi modice (nec longe) remoti. Minores.

a). Pedes inermes.

42 *punctipes* Meig. (♂. An *Cord. flavipes* Meig., non Fall., hujus ♀?) ♂♀. 43 *hæmorrhoidalis* Meig. ♂♀. 44 *pallipes* Zett. Ins. Lapp. (*C. melanura* Zett. Ins. Lapp. ♂ huc quoque pertinet *). An etiam *C. flavipes* Meig. ♀?) ♂♀. 45 *lineata* Zett. ♂♀. 46 *fulvipes* Zett. ♀. 47 *pallicauda* Zett. ♂.

b). Pedes antici sublus spinosi. Caput flavum, seta mystacina utrinque unica, nigra.

48 *spinigera* Zett. (an *C. flavicornis* Meig. est ♂ hujus?) ♀. 49 *ruficauda* Zett. ♂.

**. Antennæ longiusculæ.

†. Pedes fere toti pallescentes, femoribus saltem totis flavis.

50 *Friesi* Zett. ♀. 51 *planiceps* Fall. ♂. 52 *flavipes* Fall. (non Meig.) ♂♀. 53 *brevifrons* Zett. ♂♀. 54 *leu-*

---

*) *Obs. Cord. melanura* Ins. Lapp. n:o 28, & *C. fuscinervis* Ins. Lapp. n:o 38, e serie specierum hujus generis delendæ, nam *melanuræ* ♂, ibi descriptus, ut dictum, ad *C. pallipedem*, & ♀ ad *C. caudatam* n:o 64 pertinet. *C. fuscinervis* iterum est solummodo varietas *Scatomyzæ squalidæ* pag. 1959 n:o 10 hujus operis.

costoma Zett. n. sp. ♂. 55 *pilosa* Zett. ♂♀. 56 *validicornis* Zett. n. sp. ♂.

††. Pedes nigricantes, femoribus saltem nigris. 57 *obscura* Fall. (vix Meig. & Macq. eadem) ♂♀. 58 *tibiella* Zett. (an *obscura* Meig. & Macq.?) ♂♀. 59 *armillata* Zett. n. sp. ♂♀. 60 *cinerella* Zett. n. sp. ♂♀. 61 *immunda* Zett. ♀.

β. Cauda masculorum ciliis longis ferrugineis instructa. (*C. clavata* cauda maris breviter ciliata sub n:o 38 invenienda. — An *C. immunda* n:o 61 etiam ad hanc seriem referenda?). Mares & feminæ valde discrepantes. Forte proprii generis, cui nomen aut *Okenia* aut *Pogonota* in Insectis Lapponicis jam propositum fuit. *)

*) Alarum nervi transversi in mare 4.

62 *Hircus* Zett. (Ins. Lapp. ♂., *C. sponsa* ♀) ♂♀. 63 *barbata* Zett. ♂.

**) Alarum nervi transversi in mare 2.

64 *caudata* Zett. (Ins Lapp. ♂. *C. melanura* ♀.) ♂♀. 65 *crassipes* Zett. ♂.

---

*) Usque dum species hujus seriei ad utrumque sexum valde discrepantem rite extricatæ fuerunt. eas in uno eodemque genere comprehendi debere existimavi, nec in distincta & propria separari, ne non minus Descriptor systematicus incertus fuerit an femina inventa illi l. huic generi associanda, eamve falsum locum tribuerit, quam Examinator dubius hæreat in quo genere femina reperta (cum scilicet nota generica tantum e diversitate marium dependet), mare ignoto, quærenda.

Tribus II corpore pallescente (thorace sæpe plus minus infuscato; abdomine in mare *C. dorsatæ* (67) var. b. nigro, sed pleuris ferrugineis).

66 *tarsea* Fall. ♂♀. 67 *dorsata* Zett. (var. a. — Var. b. *C. pectoralis* Ins. Lapp.) ♂♀. 68 *abdominalis* Zett. n. sp. ♂. *)

Cordylura.

Subd. 1:ma. Seta antennarum distincte plumata.

A. corpore nigricante (*C. Scatomyzoides* thoracis dorso grisescente, sub n:o 14, & *C. dispar* ♂ corpore nigricante, sub n:o 15, quærendæ).

*). Palpi nigri.

1. *C. pubera:* nigra, subnitida; capite argenteo, vitta frontali atra, antice rufescente; thorace antice albo-vittato; tibiis tarsisque testaceis, his in ♂ nigro-maculatis; alis flavo-hyalinis, pallide nervosis, nervis longitudinalibus 3 & 4 rectis, parallelis. ♂♀. (Long. ♂ 3—3½, ♀ 3—3¼ lin.).

Mas: abdomen lineare, setosum & distincte griseo-pubescens, incisuris tenuissime albis, ano longe simpliciter inflexo, lamellis seu valvulis ventralibus magnis pilosis, oculis ad antennas subapproximatis, tarsis nigro-punctatis, alis abdomine multo brevioribus; *Fem.:* abdomen lanceolatum, setosum, parum pubescens, nigrum, immaculatum, ano vaginato, acuto, subcompresso, oculis paralleliter distantibus, tarsis fusco-maculatis: alis abdomine parum brevioribus; in copula.

Var. a. ♂♀. femoribus nigris, tibiis tarsisque testaceis.

---

*) *Cord. flaveola* Zett. Ins. Lapp. non nisi *Leptopa filiformis* var. hujus operis pag. 1794 est. — *Cord. myopina* Meig. Suppl. jam *Aricia myopina* in hoc opere p. 1503 n:o 113 audit.

Fall. Scatomyzid. 6. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 230. 1. ♂♀. T. 45. f. 22. ♀. Macq. Buff. 2. 381. 1. ♂♀. T. 18. f. 7. ♂. Zett. Ins. Lapp. 725. 1. var. a. ♂♀. — *Musca* Linn. Fn. Su. 1855. ♂. *Ocyptera* Fabr. Antl. 315. 10. ♂.

Var. b. ♂♀. pedibus totis flavo-ferrugineis, thorace etiam interdum rufescente; junior, nuper exclusa.

Zett. Ins. Lapp. var. b. ♂. An *C. picipes* Meig. Dipt. 5. 232. 4?

Hab. in graminosis & foliis fruticum præsertim Betulæ & Salicis, plerumque in vicinitate lacuum, amnium, rivulorum aliarumque aquarum fluitantium, sed etiam sæpe locis ab aquis longe remotis; var. a. per hortos, prata & nemora totius Scandinaviæ, April.—Sept., vulgatissima, in copula sæpe observata; scilicet in Scania (etiam sub lapide ad Lund 10 Martii semel capta), Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Ölandia, Gottlandia (ad Wamlingbo, Ejsta, Sanda, Furillen, Stenkyrka &c.), Nericia, Uplandia, Jemtlandia (ad Åreskutan &c.), ubique frequentissima; in provinciis Sueciæ borealibus passim; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Gajtik-ån &c., sat copiose; Lulensi ad Qvickjock; Tornensi ad Palajoënsuu &c., passim; in Norwegiæ litoralibus ad Christianiam, Dovre, Thynæs, Levanger, Garnæs Wærdaliæ, Giebostad Nordlandiæ & Skaaddavaara Finmarkiæ, haud parce; in Dania etiam valde freqens. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, communicata. In Germania ad Gryphiam, Eldenam & Sedinum a D. *Dahlbom* capta). — Var. b. in Gottlandia ad Öja 29 Maj, & in Lapponia Tornensi rarius deprehensa.

♂♀. In hoc genere inter nostrates fere maxima, undique setosa. Frons non prominens, modice lata, in fundo nigra, antice ple-

rumque indeterminate fulva l. ferruginea. postice albicans, orbitis oculorum subargenteis; in medio canaliculata. Antennæ oblique porrectæ, atræ, seta distincte plumata. Epistoma paullo longius quam latum, ad latera longitudinaliter impressum, apice non reflexum, totum argenteo-album, nudum. Mystaces utrinque 2, nigræ, superior valida, inferior fere duplo brevior, & præterea setula intermedia tenuis. Palpi exserti, modice clavati, nigri, pilosi, orbitis oculorum elevatis. Genæ mediocres, argenteæ, nudæ. Barba menti tenuis, albida. Oculi maximi, oblongo-ovales. Occiput cinereum. Thorax niger, setosus, vittis anticis & pleuris albicantibus. Scutellum concolor. Abdomen ut in diagnosi sexus; in ♂ subtus albido-hirtum. Nervi alarum longitudinales: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus; 2:dus elongatus, 3 & 4 paralleli, 5:tus non ad marginem interiorem continuatus; nervi transversi modice remoti: medius in medio alæ & paullo pone apicem auxiliaris situs, ordinarius perpendicularis, rectus, ante medium areæ insertus & a margine modice distans; costa vix ciliata; spinula nulla. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo & ultra (fere $2\frac{1}{2}$) longius, at segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum ultimo fere duplo saltem dimidio brevius. Squamæ parvæ, ciliatæ, albæ, valvula superiore inferiorem tegente. Halteres albi. Coxæ cinerascentes, antice in ♂ sat dense pilosæ, in ♀ parce setosæ, trochanteribus intermediis ferrugineis. Femora nigra, parum cinereo-micantia, parce setosa, sed subtus præsertim in ♂ albo-hirta. Genicula summa rufa. Tibiæ omnes rufo-testaceæ, fortiter nigro-spinosæ. Tarsi inermes, rufi, in ♂ saltem evidenter fusco-subannulati, articulo ultimo in utroque sexu semper infuscato. — Variat alis plus minus flavicantibus. Variat etiam ♂ tibiis posterioribus fere totis obscuris; in hac varietate nervulum adjectum ante nervum medium, areolamque oblongo-qvadratam in interstitio nervorum longit. 3 & 4 inde formatam, vidi.

2. *C. geniculata:* nigra, subnitida; capite argenteo, vitta frontali atra, antice rufescente; setis mystacinis utrinque pluribus; thorace antice albo-vittato; femoribus api-

ce, tibiis tarsisque totis, testaceis; alis flavo-hyalinis, pallide nervosis. ♂♀. (Long. 3—3¼ lin.).

Cord. pubera var. c. ♀. Zett. Ins. Lapp. 725. 1. Vix *Cord. pudica* Meig. Dipt. 5. 231. 3?

Hab. cum priori, sed multo rarius; Jul. Aug.; scilicet in Scania ad Lund, Höjeå, Fogelsång *(von Borck)*, & Esperöd in paroecia Tranås, parce; in Smolandia minus frequens, D. *Ljungh;* in Helsingia ad diversorium Kårböle semel; in Lapponia Umensi ad Stensele & Umenäs, rarissime.

♂♀. A priore, cui magnitudine & reliqvis simillima, vere tamen dignoscitur: setis mystacinis pluribus, nempe utrinque 4—5, antennarum seta paullo brevius plumata, nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem nonnihil divergentibus, nec parallelis, & denique genubus sat late ferrugineis.

Obs. Meigeni *Cord. pudica*, quæ *C. pubera* "constanter minor" l. c. dicitur, ad nostram *C. geniculatam*, quæ cum *C. pubera* magnitudine certat, non bene referri potest. De ratione mystacum omnino silet Auctor.

3. *C. pudica:* nigra, subnitida; capite argenteo, vitta frontali atra, antice rufescente; setis mystacinis utrinque paucis; thorace antice albo-vittato; femoribus apice, tibiis tarsisque totis, testaceis, immaculatis; alis subflavido-hyalinis, pallide nervosis. ♂. (Long. 2½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 231. 3. videtur. Forte etiam Macq. Buff. 2. 382. 5.

Hab. in Succia meridionali rarissime, in Scania a me semel inventa; ad Hafniam valde rara, D. *Staeger.*

♂. Duabus proxime præcedentibus valde similis, sed a *Cord. pubera* antennarum seta forte minus longe plumata, nervis lon-

gitudinalibus 3 & 4 versus apicem leviter divergentibus, nec parallelis, femoribus apice distincte ferrugineis, tarsis immaculatis; a *C. geniculata*, cui pedum colore & nervorum diretione in alis proxima, setis mystacinis paucioribus (utrinque tantum subbinis), & ab utraque magnitudine aperte minore, discedit. — *Mas* notis omnino ut in *C. pubera* differt, exceptis tarsis, qui in *C. pubera* fusco-notati, in *C. pudica* vero rufi, immaculati sunt.

4. *C. ciliata:* nigra, nitidissima; capite argenteo, vitta frontali atra; thorace antice albo-vittato; pedibus fere totis nigris; alis flavido-hyalinis, pallide nervosis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3, ♀ interdum $3\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, præsertim postice setosum, parum griseo-pubescens, nigrum, incisuris concoloribus, ano longe inflexo, lamellis ventralibus magnis pilosis atris nitidis, oculis ad antennas subapproximatis, alis abdomine parum brevioribus, femoribus subtus albo-nigroque longe pilosis, tibiis intermediis intus albo-villosis;

Fem.: abdomen lanceolatum, setosum, atrum, nitidissimum, ano compresso, oculis paralleliter distantibus, alis longitudine abdominis, femoribus subtus longe & parce setulosis, sed non pilosis.

Var. a. ♂♀. pedibus totis nigris, tarsorum articulo ultimo piceo.

Macq. Buff. 2. 382. 3. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus nigris, tarsis piceis l. obscure rufo-ferrugineis, metatarso posticorum plerumque obscuriore.

Meig. Dipt. 5. 231. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 725. 2. ♂♀.

Hab. varietates a. & b. promiscue in foliis fruticum Betulæ albæ &c., libenter in vicinitate rivulorum & fluminum, per Scandinaviam, Jun. Jul., passim; scilicet in Scania rarissime; in Smolandia ad Skärsjö & Anneberg,

D.D. *Ljungh* & *Boheman*; in Westrogothia, *Gyllenhal*; in Jemtlandia usque ad Mullfjellet sat frequens; in Lapponia Umensi ad Lycksele & amnem Gajtik-ån; in Lulensi, D. *Andersson*; in litoribus marinis Norwegiæ ex. gr. ad Thynäs non parce, sed plerumque tarsis ferrugineis; in Dania ad Dyrhaven &c., D.D. *Staeger* & *Dahlbom*. (Ad Sedinum (Stettin) in utroque sexu d. 8 Jun. 1842 haud parce lecta a Cel. *Dahlbom*).

♂♀. *C. puberæ* (1) similis, sed differt: colore corporis nigriore, nitidiore, pedibusque fere totis nigris. Præterea mas *C. ciliatæ* a mare *C. puberæ*: abdomine minus angusto, incisuris nigris, nec albidis, alis abdomine parum brevioribus, & denique tarsis in var. b. totis obscure rufescentibus maculis l. punctis nigris nullis, recedit. — Variat raro vitta frontali ante antennas rufo-maculata.

5. *C. tibialis*: nigra, nitida; capite argenteo, vitta frontali atra; thorace antice albo-vittato; pedibus nigris, anteriorum tibiis tarsisque testaceis immaculatis; alis subfusco-hyalinis. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas & femina ut in priore differunt.

Zett. Ins. Lapp. 725. 3. ♂♀. *Anthomyza incerta* ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 690. 128. varietas.

Hab. in Scandinavia præsertim boreali, rarius, Jul. Aug. obvia; nempe in Jemtlandiæ alpe Åreskutan parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Umenäs & Åsele; in Lulensi, D. *Andersson*; in summo alpium Tornensium jugo in ipsa nive reptantem vidi; in Norwegia ad Giebostad; e Dania a D. *Staeger* ♀ missa. (Ad Eldenam prope Gryphiam jam 28 Maj. 1842 specimen masculum legit D. *Dahlbom*).

♂♀. A præcedente, cui in ceteris similis, differt: magnitudine sæpe paullo minore, colore minus pure nigro, alis potius fusco-,

quam flavo-hyalinis, & præcipue tibiis tarsisque anterioribus rufo-testaceis, nec nigris. Vitta frontalis leviter albo-micans & antice interdum rufo-maculata. Tibiæ tarsique posteriora interdum etiam rufescunt, sed plerumque nigro-picea. Tibiæ autem intermediæ in ♀ quoque nigrescunt. Tarsi maris antici toti rufi, immaculati, nec ut in *C. pubera* nigro-notati. — Feminam oviparam, ovaque oblonga, cylindrica, nuda, alba, vidi.

6. *C. rufimana:* nigra, nitida; capite argenteo; vitta frontali atra, antice rufescente; thorace antice albo-vittato; pedibus nigris, anticorum tibiis tarsisque testaceis; alis subfusco-hyalinis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Mas & femina ut in *C. ciliata* (4) differunt; in copula deprehensi.

Meig. Dipt. 5. 232. 6. ♂. Macq. Buff. 2. 382. 7. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 726. 4. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Betulæ albæ & Salicum præsertim ad ripas lacuum & fluminum, per Scandinaviam in primis borealem, Jun. Jul., passim; scilicet in Jemtlandia ad Skalstugan & Åreskutan, parce; in Bottnia septentrionali ad Luleå raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Stensele, Umenæs, Badstuträsk, Tresunda, Nästansjö, Åsele, &c., sat frequens, in alpem Bratiksfjell adscendens; in Norwegia ad Thynäs & Garnäs Wærdaliæ, & ad Giebostad Nordlandiæ, parce lecta; in Suecia inferiore a me frustra qvæsita; sed in Smolandia a D. *Boheman* capta fuerit, & in Uplandia ad Holmiam a D. *Wahlberg.* — Ova elongata, nuda, alba.

♂♀. Priori iterum simillima, nec differt ab illa nisi tibiis tarsisque tantum anticis (nec anterioribus) in ♂ rufo-testaceis, in ♀ piceis. Incisuræ abdominis in ♂ plerumque tenuissime albidæ. Tarsi intermedii (rarissime etiam postici) in utroque sexu interdum quoque rufescunt, ut rite observavit D. *Macquart.*

7. *C. atrata:* atra, subimmaculata, subnitida; capite argenteo, vitta frontali nigra: pedibus totis nigris; alis cinereo-hyalinis, nervis nigricantibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas & femina ut in *C. ciliata* (4) dignoscuntur.

Wahlb. in litt. 1844.

Hab. in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, ubi locis humidis ad Råbäcken d. 3—13 Jun. 1843 a D.D. Professoribus *Wahlberg & Boheman* inventa; femina ibi forte rarior occurrit, ea enim mihi tantum in uno specimine pro comparatione communicata; in Jemtlandia ad Skalstugan & in ipso jugo alpino Norwegiæ inter Kongsstuen & Suulstuen plura individua utriusque sexus 29 Jun.—16 Jul. 1840 legimus D. *Dahlbom* & ipse.

♂♀. *C. ciliatæ* valde similis & affinis; magnitudine vero constanter duplo l. triplo minore, corpore minus nitido, thorace haud albo-vittato, pedibus totis etiam cum tarsorum articulo ultimo nigris, femoribus in ♂ subtus tenuius & brevius albido-pilosis, & tandem præcipue alis cinereo-, l. subfusco-hyalinis (nulla flavedine tinctis), nervis nigris, abunde dignota. — Thorax & abdomen nigra, levissime cinereo-micantia, unde superficies saltem thoracis minus nitida. Squamæ sub alis minutæ. Vitta frontalis âtra, albo-micans, antice juxta antennas interdum macula parva rufescente.

**). Palpi pallidi.

8. *C. albilabris:* atra, nitidissima; capite argenteo, vitta frontali lutea; antennis elongatis, nigris, seta rufa; palpis pedibusque flavis, tarsis obscuris; thorace antice albo-univittato; alis cinerascentibus, nervis antice flavidis, postice nigricantibus, macula apicali ad costam fusca. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Mas & femina ut in *C. ciliata* (4) differunt.

Meig. Dipl. 5. 238. 7. ♂♀. Macq. Buff. 2. 282. 8. ♂♀. *Ocyptera* Fabr. Anti. 315. 11.

Hab. in uliginosis, per Scandinaviam meridionalem, Jun. & iterum Aug. Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund certis annis haud rara; in Dania minus frequens, D. *Staeger*. (In hortis Gryphicis & ad Eldenam (in Fagetis jam 28 Maj.) plura specimina utriusque sexus collegit mihique benevole communicavit D. *Dahlbom*. Ex Austria a D. *Andersch*, & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, quoque missa).

♂♀. Per frontem paullo prominulam, antennas elongatas, angustas, epistoma valde declivum, pedes flavos, &c., in hac serie mox dignota. Frons modice lata, opaca, vitta frontali normaliter nigra, sed anterius sæpe plus minus lutea l. fulvescente, orbitis oculorum albis. Antennæ subporrectæ, elongatæ, angustatæ, nigræ, basi sæpe testaceæ, seta breviter plumata, semper rufa. Epistoma longum, infra oculos haud descendens, valde declivum, albo-corneum. Mystaces utrinque paucæ. Palpi modice exserti, pallide flavi, apice nigro-pilosi. Proboscis testacea. Oculi magni, ovales, in viva brunnei, unicolores. Genæ mediocres, nigræ, albo-micantes. Caput postice nigrum, vitta verticis alba. Thorax ater, nitidus, parce setosus, vitta dorsali antica albo-plumbea. Macula pectoris ante coxas, præsertim supra medias cinereo-alba. Abdomen atrum, nitidum, immaculatum, glabriculum. Alæ in utroque sexu abdomine breviores, flavescentes, nervis pone medium infuscatis, & macula ad apicem nervi longitud. 2:di plerumque distinctiori, fusca. Nervi præterea ut in *C. ciliata* directi. Costa nuda: spinula nulla. Squamæ minutæ & halteres, albida. Pedes cum coxis flavi, parce nigro-setosi, tarsis semper obscuris l. nigricantibus. Tibiæ posticæ etiam sæpe nigricantes. Coxæ in primis anticæ albo-micantes. Femora subtus breviter & non dense pallide hirta.

— Cum *C loxocerata* infra n:o 29, minore, antennis fronteque flavis, seta antennarum nudiuscula, &c., distincta, non confundi debet.

9. *C. albipes:* nigra, nitidissima; capite, antennis brevibus, palpis, pleuris, pedibusque totis, albis; vitta frontali flava; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Mas: abdomine lineari, nigro, ano inflexo lamellisque ventralibus magnis, flavo-albidis; ventre palido;

Fem.: abdomine lanceolato, nigro, ano acuto compresso concolore.

Var. a. ♂♀. albida, thoracis abdominisque dorso nigro, immaculato.

Fall. Scatomyz. 9. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 233. 8. ♂. Macq. Buff. 2. 383. 10. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 726. 5. ♂♀. *Mosina filipes* Rob. Desv. n:o 7, teste Macq.

Var. b. ♂♀. albida, thoracis dorso vittis 2 brunneis, abdomine supra brunneo-fasciato. Oculi ferruginei. Junior. — Similis videtur *C. nervosæ* Meig. Dipt. 5. 234. 9. T. 45. f. 21. ♂, sed femora antica in nostra subtus tenuiter pallide ciliata, pilis tantum 3—4 nigris, nec ut in specie Meigeniana longe nigro-spinosa.

Var. c. ♂♀. tota alba, oculis solum ferrugineis. Junior, nuper exclusa.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b.

Hab. hæ omnes varietates promiscue in graminosis, nec non foliis fruticum Betulæ, Coryli, Qvercus, Populi, &c., per hortos & prata Scandinaviæ, Jun.—Sept., passim; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Tranås, Esperöd, Gyllebo, &c., haud raro; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena, &c., sat frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Dalecarlia passim;

in Jemtlandia ad Mulifjellet, Åreskutan & Skalstugan frequens; in Lapponiis: Umensi ex. gr. ad Barrsele, Lycksele, Nästansjö & Wilhelmina, non infrequenter; Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg;* in Nordlandia Norwegica ad Björkvik, parce, ut etiam ad Thynäs & Näs; in Dania circa Hafniam vulgaris. (In insula Rugia ad Putbus atque ad Neuenkirchen prope Gryphiam jam 20 Maj. lecta a D. *Dahlbom).*

♂♀. Per antennas breves & colorem partium album ab affinibus facillime dignota. — Angusta, gracilis, alba, supra nigra. Frons minime prominens, mediocriter lata, flava, lateribus & postice setosa, macula verticis obscura. Antennæ breviusculæ, deflexæ, albæ, seta nigra, distincte plumata. Epistoma breve, perpendiculare, album. Setæ mystacinæ utrinque subbinæ. Oculi mediocres, ovales, in viva violaceo-brunnei, unicolores. Genæ elongatæ, albæ. Palpi albi, apice nigro-pilosi. Proboscis testacea. Mentum tenuiter & breviter pallido-barbatum. Caput postice nigrum. Thorax in var. a. dorso, & scutellum totum, nigra, nitida, parce pilosa; ille subtus totus pallide flavo-albus. Scutellum raro variat linea media alba. Abdomen nigrum nitidum glabriculum, lateribus & postice setosum. Venter plerumque plus minus late pallidus. Anus in ♂ aut totus aut saltem apice albidus; valvulæ 2 ventrales semper albæ, nigro-pubescentes; in ♀ anus niger. Alæ abdomine breviores, hyalinæ, flavedine leviter tinctæ. Nervi longitudinales: 2:dus elongatus, 3 & 4 paralleli, 5:tus fere ad summum marginem extensus; nervi transversi subapproximati, ordinarius manifeste ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere $2\frac{1}{2}$ longius, at segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio seu ultimo duplo fere brevius. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ minusculæ & halteres alba. Pedes haud validi cum coxis toti albidi, parce spinulosi. — Ad Skalstugan Jemtlandiæ varietatem masculam pectore nigricante, femoribus tibiisque posterioribus fuscis, alias var. a. simillimam, 16 Jul. inveni.

10. *C. fuscipes:* nigricans, subnitida; epistomate palpisque albis; antennarum brevium basi, fronte antice pedibusque flavis, femoribus in medio subinfuscatis, anticis subtus inermibus; alis sordide pallescentibus. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Var. a. ♂ femoribus flavis, in medio late fuscis.

Zett. Ins. Lapp. 726. 6. var. a. ♂.

Var. b. ♂♀ femoribus flavis, colore in medio saturatiore.

Zett. l. c. var. b. ♂.

Hab. in Suecia boreali & Lapponia rarissime; var. a. in Lapponia Tornensi a D. *Frigelio* lecta, & var. b. in Dalecarlia a D. *Boheman*, atque ad Stensele Lapponiæ Umensis in uno specimine 3 Jul. 1832, & altera vice ad diversorium Skalstugan Jemtlandiæ 29 Jun. 1840, etiam in unico exemplo a me, inventa. In Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg.*

♂♀. Statura gracilis & affinitas magna prioris, sed antennarum apice obscuro, pectore cinereo, nec albo, pedibus intense flavis, nec albis, &c., vere diversa. — Frons flava, postice cinerascens. Antennæ breves, flavæ, articulo ultimo nigricante, basi testaceo, seta distincte plumata nigra. Epistoma, genæ & palpi alba. Proboscis testacea. Thorax supra niger, nitens, vix l. parum cinereo-micans, subtus schistaceus. Scutellum nigrum. Abdomen lineare, nigrum, nitidum, pilosum, ano maris inflexo concolore, genitale testaceo. Lamellæ ventrales maris majusculæ oblongo-rotundatæ nigræ. Alæ (♂♀) subflavide hyalinæ, nervis ut in præcedente directis. Squamæ & halteres alba. Pedes cum coxis flavi. Coxæ anticæ totæ albidæ, posteriores basi rufo-cinerascentes. Femora in ♀ flava, in ♂ fere a basi ad apicem saturate flava l. dilute brunnea. Femora omnia in ♂ parce nigro-setosa. Tarsi quoque subtestacei. Tibiæ omnes

parce nigro-setosæ. Femora parcissime nigro-pilosa, antica (in ♂) subtus breviter flavo-ciliata. Reliqua ut in priore. Abdomen feminæ lanceolatum, acutum.

B. corpore pallescente l. ferruginante (in *C. Scatomyzoides* n:o 14 thorace grisescente, in *C. dispare* n:o 15 ♂ corpore nigricante).

11. *C. spinimana:* thorace ferrugineo, fusco-bilineato; fronte, antennis, palpis pedibusque flavis; epistomate albo; seta antennarum subplumata, abdomine femorumque posticorum apice obscuris; ano rufescente; alis pallescentibus; pedibus anticis subtus duplici serie nigro-spinosis. ♂♀. (Long. circiter 3 lin.).

Mas: abdomine lineari, ano inflexo, magno, lamellis ventralibus oblongis, subconicis, testaceis;

Fem.: abdomine ovato-lanceolato, apice acuto; in copula.

Fall. Scatomyz. 7. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 235. 13. ♂♀. Macq. Buff. 2. 383. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 726. 7. ♂♀. *Musca semiflava* Panz. Fn. Germ. 59. f. 19. ♀.

Hab. in graminosis & foliis plantarum, libenter locis occultis humidiusculis, per Scandinaviæ hortos & prata, a fine Maji usque ad finem Septemb., vulgaris, etiam in copula; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Gottlandia (ad Ahlskog &c.), Uplandia & Bahusia, etiam frequens; in Ångermannia ad Hernösand; in alpe Åreskutan Jemtlandiæ usque ad cacumen (1000 ped. supra mare) adscendens; in Lapponia Umensi ad Lycksele & in monte subalpino Bratiiksfjell, passim; in Lapponia Lulensi, ad Qvickjock, D. Mag. *Andersson;* in Norwegia a Christiania & Thynäs usque ad Gamstenstind Finmarkiæ, parce; in Dania copiose, D. *Staeger.*

(In hortis Gryphicis atque etiam ad Neuenkirchen prope Gryphiam jam 20 Maj. a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Parum nitida; armatura pedum anticorum præcipue dignota. Frons non prominula, latiuscula, intense flava, orbitis oculorum tenuibus, albis, puncto ocellorum nigro; ad latera & postice setosa. Antennæ breviusculæ, deflexæ, ovales, flavæ, seta nigra, non breviter plumata. Epistoma longitudine fere latitudinis, infra oculos non descendens, album, nudum. Seta utrinque mystacina unica, nigra. Palpi parum incrassati, albidi, pallide, nec nigro-, pilosuli. Proboscis testacea. Oculi mediocres, rotundati. Genæ elongatæ, albæ. Barba brevis, tenuis, pallida. Caput postice ferrugineum. Thorax ferrugineus, nitens, supra parce nigro-setosus, lineis 2 dorsalibus fuscis. Scutellum ferrugineum. Abdomen griseo-fuscum, subnitens (præsertim in ♀), ano plus minus late ferrugineo; basi etiam interdum ferrugineum. Alæ longitudine circiter abdominis, flavidæ, nervis ut in *C. albipede* (9) directis, transversis vix infuscatis. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, & halteres, albida. Pedes cum coxis toti flavi, nitidi, femorum posticorum apice superne macula brunnea. Coxæ anticæ flavo-albæ. Femora omnia subtus breviter pallide ciliata; posteriora latere antico parcissime nigro-pilosa; intermedia ad apieem latere postico pilo solitario nigro; antica valida, subtus bifariam nigro-spinosa, spinis in serie postica 7—8 fortibus, in serie antica 5—7 brevibus & minus validis. Tibiæ omnes parce nigro-setosæ, at anticæ intus spinis 4 validis armatæ.

Var. b. ♂. simillima var. a., sed thorace vitta dorsali lata, obscura, interstitio scilicet toto linearum 2 fuscarum colore griseo-cinereo repleto. Lapponia rarissime.

Var. c. ♂♀. simillima etiam var. a., sed tota flava, abdominis medio in ♂ tantum leviter grisescente, & vestigio obsoleto linearum 2 tenuissimarum fuscarum in utroque sexu. Forte tantum juvenilis. Scania.

12. *C. pallida:* flava, thorace lineis subquatuor brunneis, lateralibus abbreviatis; epistomate albo; anten-

narum articulo ultimo longiusculo, valido, setaque distincte plumata, fuscis; mystacibus utrinque subbinis, nigris; abdominis incisuris tenuiter nigricantibus; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. 2 lin. & ultra).

Mas & *femina* ut in priori different.

Var. a. ♂♀. thorace vittis dorsalibus 4, lateralibus abbreviatis, palpis apice subnudis seu breviter pilosulis.

Fall. Scatomyz. 8. 4. ♂. typica. — Meig. Dipt. 5. 242. 28 (ex descriptione Falleniana transscripta). — Zett. Ins. Lapp. 726. 8. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. thorace rufo-testaceo, aut immaculato, aut lineolis 2 brunneis valde obsoletis, antennis apice fuscis, palpis apice seta elongata nigra, abdomine infuscato.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♂♀. antennis totis flavis, de cetero varietati b. similis; nuper exclusa.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. c. ♂♀.

Hab. in silvaticis præsertim Scandinaviæ borealis, Jul. Aug. Sept., passim; nempe var. a. in Westrogothia, *Dalman*; in Ostrogothia ad Gusum Septemb. in Coryletis, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Barrsele; in Nordlandia Norwegica ad Björkvik & Schiervoe; var. b. etiam ad Schiervö raro; & var. c. tantum ad Lycksele & Nästansjö Lapponiæ Umensis capta.

♂♀. A priore præcipue differt: magnitudine paullo minore, colore pallidiore, fronte angustiore, antennis longioribus validioribus articulo ultimo fusco, nec flavo, setis mystacinis utrinque subbinis (inferiore nempe exigua) & præterea setula tertia, a mystace remota (in priore omnino deficiente), genis minus elongatis, thoracis dorso lineis 4 (nec 2) fuscis, quarum mediis

subintegris, lateralibus juxta positis abbreviatis & interruptis interdum cum mediis confluentibus, interdum valde obsoletis, abdomine aut infuscato (♂), aut incisuris anguste nigris (♀), femoribus posticis immaculatis, & denique præcipue femoribus tibiisque inermibus, setis tantum paucis præditis. Frons in individuis illæsis certo situ albo- l. argenteo-micat.

Obs. In Suecia meridionali hæc species hactenus, quantum noverim, non deprehensa. Specimen enim, quod a beat. *Fallèn* in Scania captum dicitur, non est hujus speciei, sed *Helomyzæ pallidæ* ut e Musco Ejus video. Cum igitur Vir Celeb. l. c. suam *Cord. pallidam* "seta subnuda" descripsit, exemplum Scanense sine dubio ante oculos habuit. Individuum igitur Westrogothicum typicum habendum.

13. *C. unilineata:* flava, thorace linea dorsali brunnea; epistomate albido; antennarum articulo ultimo longiusculo, valido, seta breviter plumata, abdominis incisuris, tarsisque, fuscis; mystacibus utrinque subbinis; alis pallescentibus. ♀. (Long. 2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 727. 9. ♀.

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ, ut & in jugo alpino, rarissime; ad diversorium Björkvik juxta Ofodenfjord 11 Jul. 1821, & ad diversorium Skalstugan Jemtlandiæ borealis 16 Jul. 1840, specimina 2 descripta inveni; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock etiam deprehensa fuerit, teste Prof. *Wahlberg.*

♀. Simillima priori, sed nonnihil major, & oculis parvis rotundis, antennarum seta brevius plumata, palpis extrorsum paullo latioribus, thorace linea brunnea tantum unica, & tandem tarsis obscurioribus, dignoscitur. — Frons sat lata, vitta intense flava, puncto ocellorum nigro. Mystaces & seta oris remota ut in præcedente. Barba fere nulla. Thorax dorso linea media subintegra brunnea, & alia ejusdem coloris utrinque ad latera fere

ab humeris ducta ad radicem alarum, ibique angulatim flexa in dimidium pectus descendit. Abdomen subfuscum, incisuris paullo obscurioribus. Reliqua ut in *C. pallida*.

14. *C. Scatomyzoides:* supra grisescens, epistomate palpisque albis; vitta frontali fulva; antennis testaceis, seta distincte plumata; callo humerali, pectoris antico, ano ventreque rufescentibus; pedibus subinermibus, flavis; alis flavido-hyalinis, nervis transversis subinfuscatis. ♂. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 727. 10. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in frutice ad Wilhelmina 21 Jul. 1832 semel inventa.

♂. Angusta, cylindrica, grisescens, opaca, undique pubescens. Frons latiuscula, in orbitis oculorum & in vertice griseis pilosa; vitta frontali fulva. Antennæ longiusculæ, subvalidæ, fusco-testaceæ, apice truncatæ, seta distincte plumata, fusca. Epistoma breve, perpendiculare, albidum. Setæ mystacinæ utrinque subbinæ. Palpi albidi,, extrorsum parum incrassati. Proboscis fusca. Mentum parce pallide barbatum. Oculi rotundati. Genæ haud elongatæ, albidæ. Caput postice griseum. Thorax supra griseus, subimmaculatus, parce pilosus, callis humeralibus ferrugineis; subtus griseo-cinereus, antice rufo-testaceus, maculis supra coxas rufescentibus. Scutellum griseum, summo apice testaceo, setis ordinariis. Abdomen cylindricum, griseum, subnitens, subvillosum seu undique griseo-pubescens, non pilosum, maculis hinc inde fusco-ferrugineis, indeterminatis, & ano toto rufo-ferrugineo. Lamellæ ventrales parvæ, fuscæ, pubescentes. Alæ abdomine fere longiores, hyalinæ, flavedine fusca leviter subtinctæ, nervis ut in *C. albipede* (9) & *spinimana* (11) directis, transversis vero subinfuscatis. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres al-

bida. Pedes toti cum coxis rufo-flavi, undique pallide pubescentes. Femora subnitida, inermia, non setosa, antica robusta. Tibiæ omnes parce nigro-setulosæ.

15. *C. dispar:* nigricans (♂), aut ferruginea (♀); epistomate palpisque albis; antennis rufis, articulo ultimo nigro, seta distincte plumata; vitta frontali pedibusque flavis; alis fusco-flavidis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ $2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: angustus, thorace, abdomineque subfiliformi, nigricantibus, ano inflexo, genitale pallido, lamellis ventralibus mediocribus, ovatis, fuscis, parum pubescentibus; fronte subangustata; antennarum articulo ultimo nigro, basi pallido; palpis albis; alis abdomine fere brevioribus;

Fem.: elongata, thorace, abdomineque lanceolato, ferrugineis, incisuris nigris, ano acuto, subcompresso; fronte latiuscula; antennarum articulo ultimo toto nigro; palpis flavis; alis longitudine abdominis.

Hab. in Dalecarlia; in paroecia Särna medio Jun. a D. Prof. *Boheman* in copula deprehensa.

♂♀. *Femina C. spinimanæ* (11) subsimilis, sed minor; *mas* gracilis. Vitta frontalis flava (♂), l. fulvescens (♀); puncto ocellorum obscuro. Orbitæ oculorum albidæ, setulosæ. Vertex setulosus. Antennæ epistomate multo breviores. Seta nigra. Epistoma ut in præcedente. Setæ mystacinæ utrinque subbinæ. Palpi apice nigropilosi. Proboscis fusca. Mentum parce barbatum. Oculi majusculi, subrotundati. Genæ subelongatæ, albidæ. Thorax subnitens, parce pilosus. Abdomen nitidum, lateribus parce pilosum. Alæ ut in priore, sed paullo breviores, & nervi transversi haud infuscati, paullo magis approximati, ordinarius nempe longius ante medium areæ insertus, ita ut segmentum nervi long. 4:ti secundum 3:tio saltem duplo brevius. Squamæ parvæ & halres albida. Pedes cum coxis flavi. Coxæ vero anticæ totæ albidæ, posticæ præsertim in ♂ basi cinerascentes. Femora subnitida, antica validiora, subtus in ♂ pallide ciliata, in ♀

nigro-setosa, setis 7 l. 8 elongatis erectis, una serie positis; postica in ♂ vix, in ♀ parcissime nigro-pilosa, pilo vero solitario nigro postice ad apicem femoris intermedii in utroque sexu distinctiore. Tibiæ omnes setis nigris in ♂ paucis, in ♀ distinctioribus munitæ.

Subd. 2:da. Seta antennarum pubescens aut nuda. *Cleigastra* Macq.

Tribus I corpore obscuro.

A) thorace abdomineque nigricantibus (in *C. strigifronte* (28) obscure griseis. Cfrantur etiam *C. fraterna*, *niveipalpis*, *hæmorrhoidalis* & *caudata* in serie B).

†. Palpi albi l. sordide albidi.

α. Antennæ breviusculæ.

*. Pedes saltem femoribus nigricantibus.

16. *C. ustulata:* nigra, nitida, antennis vittaque frontali concoloribus; epistomate, palpis, tibiis tarsisque albis; alis hyalinis, apice fuscanis, nervis flavedine cinctis, tertio longitudinali distincte flexuoso. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Mas: abdomen cylindricum, cinereo-subvillosum, ano inflexo, appendiculato, lamellis ventralibus 2, magnis, ovalibus, nigris, nitidis;

Fem.: abdomen lanceolatum, tenuiter griseo-pubescens, ano acuminato, compresso.

Var. a. ♂♀. alis apice fuscis, nervis flavedine cinctis, tibiis albis.

Zett. Ins. Lapp. 727. 11. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂. paullo minor, alis hyalinis immaculatis, femoribus piceis, tibiis albis; forte junior.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♂.

Var. c. ♀. magnitudo var. a. & b. tibiis posticis nigris; alis ut in var. a.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. c. ♀.

Hab. in floribus Salicum, foliis Betulæ albæ, etiam in graminosis, locis paludosis, juxta rivulos &c., præsertim per Scandinaviam borealem & Lapponiam, ab initio mensis Junii utque ad finem Julii mihi obvia, passim; scilicet var. a. in Smolandia rariss., D. *Boheman*; in Jemtlandia boreali ad alpem Åreskutan & diversorium Skalstugan parce; in Bottnia boreali ad Råbäcken, Bredåker & Storsand in paroecia ÖfverLuleå, D.D. *Wahlberg* & *Andersson*; in Lapponia Umensi ad Lycksele & lacum Wojmsjön, in Tornensi ad Juckasjervi sat frequens; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ex. gr. ad Björkvik & Giebostad, non rara; feminam oviparam, & ova elongata nuda alba vidi. Varietates b. ad Lycksele, & c. ad Wojmsjön tantum captæ.

♂♀. Per frontem nigram, thoracem immaculatum, alas apice infuscatas, & præcipue nervos longitudinales 3 & 4 a basi ad medium alæ valde approximatos, post nervum transversum medium sensim late remotos, ab affinibus vere diversa. — Magnitudo & statura corporis omnino ut in *C. pubera* (1). Tota nigra, nitida. Frons parum l. haud prominens, latiuscula, lateribus posticeque setosa, vitta media lata atra opaca, macula verticis cinereo-nigra. Orbitæ oculorum frontales antice albæ, posticæ cinereo-nigræ. Antennæ epistomate fere duplo breviores, oblique deflexæ, nigro-fuscæ, articulo ultimo mediocri, obtuso, nigro, apice superne acutiusculo, seta basi incrassata,

medio tenuissime puberula. Epistoma perpendiculare, argenteo-album. Setæ mystacinæ utrinque 3—4, harum superior valida, huic proxima valde exigua. Palpi albi, extrorsum distincte dilatati, albo-pilosi, seta apicali longa nigra. Proboscis nigra. Barba menti albida. Oculi magni, oblongo-ovales. Genæ mediocres. Thorax supra & scutellum parce setosa. Alæ longitudine fere abdominis, pallide cinereæ, nervis perspicue flavedine cinctis. Limbus apicalis inter apices nervorum long. 2:di & 4:ti distincte infuscatus. Nervi longitudinales: 3:tius in medio (ad nervum transv. medium) obtusangulatim curvatus, & 4:tus pone transversum ordinarium late remoti & subparalleli. Nervi transversi subapproximati, ordinarius ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio vix triplo longius; segmentum vero nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio duplo brevius. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ mediocres l. parvæ, & halteres, alba. Pedes cum coxis simplices, nigri, nitidi, femoribus validiusculis in primis subtus præsertim in ♂ sat dense, tibiisque tenuiter, albido-pubescentibus. Tibiæ tarsique plus minus sordide albida. Femora parcissime pilosa. Tibiæ nigro-setosæ. Variat rarius macula frontali antica lutea.

17. C. *Kunzei:* fusco-nigricans, subopaca; antennis nigris; macula frontali fulva; epistomate, palpis, tibiis anticis tarsisque omnibus albidis; thorace subvittato; abdomine femoribusque nigro-glaucescentibus; alis subinfuscatis, nervo tertio longitudinali leviter flexo. ♂♀. (Long. ♂ $3\frac{1}{2}$, ♀ 3 lin.).

Mas: epistomate albo-corneo, abdomine elongato, lineari, nigro-pubescente, postice nigro-piloso, ano rotundato, inflexo, lamellis ventralibus mediocribus, oblongo-ovatis, cinereis, opacis, alis abdomine brevioribus, femoribus anticis validis, griseo-villosis, posterioribus manifeste incrassatis, subcurvatis, subtus breviter at rigide nigro-ciliatis, tibiis intermediis extus ad basin longe nigro-quadrisetosis, metatarsis posticis dilatatis:

Fem.: epistomate rufescenti l. flavescenti albo, abdomine lanceolato, subdepresso, lateribus parce nigro-piloso, ano acuminato, alis longitudine saltem abdominis, pedibus simplicibus, griseo-pubescentibus, sed vix pilosis l. setulosis; in copula.

Zett. Iter Lapp. 1821. P. 1. pag. 263. Ins. Lapp. 728. 13. ♂♀. Iter Jemtlandicum 1840 pag. 516. ♂♀.

Hab. in ripis arenosis fluminum & lacuum Sueciæ maxime borealis & Lapponiæ per partem sylvaticam, in alpestrem non adscendens, neque in inferalpinis maritimis Norwegiæ observata; a medio mensis Junii ad finem Jul. mihi obvia, in copula sæpe capta; scilicet occurrit in Jemtlandia boreali ad lacum Skalvattnet frequens; in Bottniis occidentali & boreali ex. gr. ad Skellefteå & Randijaur, D.D. *Wahlberg* & *Boheman*; in Lapponia Umensi ad Wojmsjön, Tresunda & Åsele non parce; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi frequens. Ova elongata, cylindrica, nuda, alba.

♂♀. Thorace griseo, subopaco, supra fusco- 4-lineato, abdomine femoribusque schistaceis, alis subinfuscatis, nervo longitud. 3:tio modice curvato, & denique maris femoribus crassis, tibiisque intermediis extus ad apicem setis 4 longis nigris munitis, & a præcedente & a reliquis abunde dignota. — Vix l. parum nitida. Frons subprominens, latiuscula, setis ordinariis. Vitta antice fulvescens, postice obscura. Orbitæ griseæ. Antennæ cum seta, epistoma & mystaces ut in priore. Palpi etiam ut in illa, at seta apicali longa nigra deficiente. Oculi parvi, rotundati, unde epistoma infra illos descendens. Genæ elongatæ, canæ. Sternum schistaceum. Abdomen schistaceum, incisuris certo situ albicantibus. Alæ præsertim in regione nervi auxiliaris infuscatæ. Nervi præterea fere ut in præcedente directi, sed longitudinalis 3:tius quidem arcuatim curvatus, at non tam manifeste ac in priori, unde spatium inter nervos long. 2 & 3 præsertim ad nervum transversum medium non

tam latum ac in *C. ustulata.* Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes schistacei, anticorum tibiis totis, omniumque metatarsis in ♂ flavo-albidis (in mortua rufo-testaceis), at in ♀ tibiis omnibus rufo-testaceis, tarsis pallidis, apice fuscis. Pedes prætere ut in diagnosi sexus.

18. *C. albitarsis:* nigricans, subopaca; antennis nigris intus macula ferruginea, vitta frontali antice flava; epistomate, palpis tarsisque albis; thorace sublineato; femoribus fusco-cinereis; tibiis obscure testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervo tertio longitudinali subrecto; femoribus simplicibus, validis. ♂. (Long. fere 2½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 728. 14. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Degerfors & Lycksele tantum lecta.

♂. Similis priori, a qua tamen magnitudine minore, macula frontali pallidiore, antennis apice superne distinctius acuto, intus in medio macula ferruginea, nec articulo ultimo toto nigro, thoracis lineis 2 angustioribus, abdomine breviore, griseo-fusco, nec glaucescente, alis immaculatis, nervo longitudinali 3:tio magis recto, pedibus dilutioribus & simplicioribus, satis distincta. — Thorax obscure griseus. Anus simpliciter inflexus. Lamellæ ventrales parvæ. Squamæ sub alis & halteres alba. Pedes pubescentes sed vix pilosuli. Coxæ cinerascentes, trochanteribus intermediis testaceis. Femora cinerascentia, posteriora basi, & intermedia etiam apice, testacea. Tibiæ omnes fusco-testaceæ, parce setulosæ. Tarsi pallidi. Metatarsi postici simplices.

19. *C. albipennis:* nigricans, subnitida; antennis atris; macula frontali fulva; epistomate palpisque albis; tibiis tarsisque pallidis; alis albidis, nervis transversis subapproximatis, 3:tio longitudinali recto. ♂♀. (Long. vix ultra 1 lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, ano simpliciter inflexo, appendiculis ventralibus (in segmento 5:to) 4 approximatis, filiformibus, nigris, nitidis, subnudis, quarum 2 interioribus brevibus, exterioribus longioribus (non tamen apicem abdominis attingentibus) subincurvis;

Fem.: abdomen lanceolatum, subdepressum, segmento 6:to trapezino, atro, nitidissimo, apice truncato, ano parvo, annulato, retracto; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 729. 17. ♂.

Hab. in Lapponia rarissime; in insula illa parva Dolpatie dicta, in lacu Stor-Uman Lapponiæ Umensis sita, ad litus inter gramina marem unicum d. 5 Jul. 1832 detegi; deinde utrumque sexum in copula junctum ad Qvickjock Lapponiæ Lulensis versus medium Junii 1843 D. Prof. *Boheman* invenit mihique pro comparatione transmisit.

♂♀. In hoc genere minuta. Frons latiuscula, minime prominula, tenuiter setulosa, vitta cinerascenti nigra, opaca, antice determinate fulva, orbitis oculorum angustis, albis. Antennæ deflexæ, epistomate duplo breviores, nigræ, puncto superne in apice articuli 2:di cinereo, seta ordinaria capillari, nuda, basi graciliter subincrassata. Epistoma longitudine paullo latius, infra oculos haud descendens, album. Mystaces utrinque paucæ, valde tenues, albæ. Palpi albi, in ♂ subfiliformes, in ♀ latiores. Proboscis nigra. Oculi majusculi, rotundi. Genæ mediocres, nigricantes. Thorax nigricans, levissime cinereomicans, parum nitidus, immaculatus, supra parce setosus. Scutellum concolor. Abdomen nigrum, nitidum, tenuissime cinereo-pubescens. Alæ albo-hyalinæ, basi pallidiores, nervo costali toto & auxiliari apice crassioribus nigris. Nervi longitudinales 3 & 4 pone transversum ordinarium paralleli. Nervus transversus ordinar. ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo longius, at segmentum 2:dum nervi long. 4:ti 3:tio duplo brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes simplices, breviter & tenuiter

cinereo-pubescentes, vix pilosi l. setulosi. Coxæ & femora nigricantia. Tibiæ & tarsi pallide flava.

Obs. Alæ in specimine e Lapponia Umensi magis albæ & nervi omnes, exceptis costali & apice auxiliaris nigricantibus, pallescentes; in exemplis vero Qvickjockensibus alæ tantum albido-l. cinereo-hyalinæ, nervis, præter basales albescentes, omnibus nigricantibus & determinatis; de cetero in omni puncto conveniunt hæc individua & certe ad eandem pertinent speciem.

**. Pedes toti flavi l. pallidi.

20. *C. vittata:* nigra, nitida; capite, antennis (♂), palpis, pleuris pedibusque albis; vitta sub alis, femorum posticorum apice tarsisque omnibus fuscis; alis pallescenti hyalinis, nervis transversis subapproximatis, 3:tio longitudinali leviter curvato. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomine angusto, lineari, ano simpliciter inflexo, lamellis ventralibus parvis, nigris; antennis totis albis;

Fem.: abdomine angustato sublanceolato; antennis flavis, articulo ultimo interdum obscuro.

Meig. Dipt. 5. 236. 14 certe, ♂. Zett. Ins. Lapp. 729. 20. ♂.

Hab. in pratis silvaticis Scandinaviæ Jun.—Aug. sat rara; scilicet in Scania ad diversorium Röstånga 18 Jul. 1839 specimen femineum invenit oculatissimus *Dahlbom*, & ad Esperöd utrumque sexum etiam Julio, ipse; in Jemtlandiæ Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan, passim; in Lapponia Umensi ad Stensele 4 Jul. 1832 specimen unicum masculum deprehendi; in Daniæ silvis versus finem mensis Maji parcissime legit D. *Staeger*.

♂♀. Magnitudo, statura corporis gracilis, color & omnia ut in *C. albipede* n:o 9, a qua tamen vere differt: antennarum seta

tantum puberula, minime plumata, vitta horizontali nigra utrinque in pectore mox sub alis sita, femorum posticorum apice leviter fusco, tarsis omnibus nigricantibus, alis longitudine abdominis, & denique maris ano nigro (nec flavo) lamellisque ventralibus minoribus. — Frons minus lata, flava, orbitis oculorum obscuris. Seta antennarum nigra, pubescens. Venter vix pallidus. Nervus longitudinalis 3:tius nonnihil curvatus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere triplo longius. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti 2:dum 3:tio $1\frac{1}{2}$ brevius. Nervus transv. ordinar. a margine remotus, ante medium areæ insertus. Costa subnuda, in ♂ subciliata. Spinula nulla. Pedes simplices, graciles, tenuiter puberuli, vix setulosi nisi pilis aliquot in feminarum tibiis. — Variat junior vitta pectorali nigra & fuscedine apicali femorum posticorum fere deficientibus, manet tamen nota essentialis ex antennarum nuditate desumta, qua a *C. albipede* facile distingvitur.

21. *C. cuneiventris:* nigra, nitida, griseo-puberula, antennis concoloribus; capite in ♂ nigro, in ♀ fronte antice flava, epistomate subargenteo; palpis in utroque sexu albis; pedibus flavis, tarsis apice fuscis; alis pallescentibus, nervo longitudinali 2:do breviusculo; ano in ♀ valde compresso, subfalcato. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: capite nigro, peristomio angustissime, palpisque totis, albis; abdomine subcylindrico, clavato, ano inflexo, appendice gemina, magna, flavo-albida, nitida, glabricula, apice nigra;

Fem.: vertice cinerascenti nigro, macula frontali supra antennas plus minus distincta fulvescente, epistomate toto palpisque albis; abdomine basi (segmentis tribus anticis) ovato, depresso, apice (segmentis tribus posticis) valde crompresso falcatim reflexo.

Bohem. secundum Wahlberg in litteris 1844.

Hab. in Lapponia Lulensi; ad Qvickjock in summitate alpis Snjerak 15—20 Jun. 1843 a D.D. *Wahlberg*

& *Boheman* detecta mihique in 3 exemplis masculis & 2 femineis benevole communicata.

♂♀. Species eximia & per epistoma maris nigrum, feminæ album, appendicem analem in ♂ geminam albam, abdomen in ♀ cuneiforme, basi ovatum, apice longe & ad maximam tenuitatem (in mortua) compressum, & denique nervum longit. 2:dum breviusculum, valde distincta. — Frons minime prominula, lata, opaca, setis ordinariis. Antennæ breves, deflexæ, nigræ, puncto in apice articuli 2:di minuto cinereo, seta mediocri nuda l. microscopice tantum puberula, basi graciliter & indeterminate incrassata. Epistoma breve, infra oculos non descendens, latum. Mystaces utrinque saltem 3 distinctæ, nigræ. Palpi subfiliformes, albi, proboscidi nigræ (in mortua deflexæ) incumbentes. Mentum parum barbatum. Oculi mediocres, rotundi. Genæ breves, nigræ. Thorax tenuissime & brevissime griseo-puberulus, vix setulosus. Abdomen fere glabrum, saltem non pilosum. Alæ cum nervis pallescentes. Nervi ut in *C. albipenni* (19) directi, at longitudinalis 2:dus brevior & inde segmentum costæ 2:dum 3:tio vix dimidio longius. Halteres & squamæ alba. Pedes mediocres, flavi, brevissime pallide puberuli, sed neque setulosi, neque pilosi. Coxæ anticæ flavo-albæ, intermediæ basi obscuræ, posticæ totæ fusco-testaceæ. Tarsi nigricantes, metatarsis testaceis.

Obs. Licet nulla individua in copula juncta deprehensa, quantum noverim, tamen descripta mascula & feminea ad eandem pertinere speciem verosimillimum est.

22. *C. albipila:* nigra, nitida, albo-pilosula; fronte antice fulva; antennarum basi, epistomate palpisque albis; pedibus flavo-testaceis, tarsorum summo apice fuscis; alis pallescenti hyalinis, nervo longitudinali 2:do elongato; ano in ♀ modice compresso. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi ad Qvickjock cum priore, a D.D. *Boheman* & *Andersson* in 1 speciminibus mihi communicata.

♀. Priori valde affinis & similis, sed forte paullulum major, & corpore tenuissime griseo-puberulo simulque parcissime albo-pilosulo, antennis basi albis, palpis latioribus, pedibus saturatius flavis, abdomine postice breviore & tantum sensim compresso, imprimisque nervo longitudinali 2:do longiori, vere diversa. Frons nigricans, lateribus & postice albo-setulosa, macula supra antennas fulva. Antennæ breves, deflexæ, articulis 2 basalibus albis, 3:tio subrotundato atro, seta microscopice puberula, nigra. Orbitæ oculorum albæ. Epistoma flavo-album. Mystaces utrinque plures, albæ. Palpi albi, extrorsum latiores. Thorax & scutellum pube brevissima, tenuissima, albida, & pilis parcioribus albis, vestita. Abdomen oblongum, glabriculum, segmentis 5 & 6 sensim in triangulum acutum compressis. Alæ subhyalinæ, nervis ut in priori directis, sed segmento costæ 2:do 3:tio fere triplo longiore. Pedes rufo-flavi, coxis posterioribus obscuris. Tarsi apice infuscati. Pedes præterea inermes, brevissime puberuli. Reliqua ut præcedente.

Obs. Mas mihi ignotus, sine dubio ut in priore constructus & coloratus.

23. *C. breviseta:* nigra, nitida, griseo-pilosula; vitta frontali fulva; antennis dilatatis, nigris, seta brevi, incrassata; epistomate albo; palpis flavis; pedibus rufo-flavis, tarsis apice fuscis; alis subpallescenti hyalinis, nervo longitudinali elongato; ano in ♀ valde compresso, subfalcato. ♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Staeg. in litt. 22 Maj. 1841. An *Cord. fulvipes* Meig. Dipt. 7. 341. 40? ♀.

Hab. in Dania rarissime; circa Hafniam capta a D. *Staeger,* qui specimen descriptum benigne transmisit; in Fagetis mense Majo volans.

♀. Duabus proxime præcedentibus similis & affinis; sed a *C. cuneiventre* magnitudine nonnihil majore, vitta frontali longius fulva, nervo longitudinali 2:do longiore, a *C. albipila* antennis

fere totis nigris, ano longius compresso, & ab utraque antennis multo latioribus, seta breviore, crassiore, palpis flavis, nec albis, loco natali, &c., vere distincta. — Frons non prominula, lata, fulva, orbitis oculorum & puncto ocellorum setulosis nigricantibus. Antennæ epistomate duplo breviores, basi fuscæ, articulo ultimo compresso, valde dilatato, subtriangulari, nigro, seta longitudine antennæ, fere usque ad apicem modice incrassata, nigra, basi articulata, fusca. Epistoma subdeclive, latum, albidum. Mystaces paucæ, breves, exiguæ (an detritæ?). Palpi flavi, extrorsum latiores. Proboscis nigra. Oculi majusculi, subovales. Genæ mediocres, albidæ. Caput postice nigrum. Thorax & scutellum ut in *C. albipila*. Abdomen tenuissime albido-puberulum, ut in ♀ *C. cuneiventris* constructum. Alæ, squamæ, halteres & pedes omnino ut in *C. albipila*.

Obs. Mas, forte ut in *C. cuneiventre* constructus, a Cel. *Staeger* quoque captus fuerit, a me non visus. (Cfr. *C. magnicornis* infra n:o 31).

β. Antennæ longiusculæ.

*) pedibus totis flavis.

24. *C. apicalis:* nigricans, nitida, longe pilosa; fronte subprominente; epistomate subargenteo; palpis albis; antennis elongatis, femorum anticorum vitta laterali, posticorum apice, tarsisque omnibus, nigris; alis leviter fuscanis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomine lineari, ano rotundato, simpliciter inflexo, lamellis ventralibus 2 majusculis, ovatis, nigris, pilosis; femoribus subtus ad basin longe pallide pilosis;

Fem.: abdomine lanceolato, acuto: femoribus subtus ad basin parum pilosis.

Meig. Dipt. 5. 236. 15. ♂♀. *Cleigastra apicalis* Macq. Buff. 2. 384. 1. ♂. T. 18. f. 8 (caput).

Hab. imago in graminosis & foliis fruticum, libenter in vicinitate aquarum, per Scandinaviam meridionalem passim, mediam rarius, mensibus Jun.—Sept. obvia; larva in larvis Noctuarum degit, observante D. *Boie*. Occurrit in Scania ad Lund rarissime, D. *Eb. Rosenschöld*; in Uplandia ad Holmiam tempore vernali, D. *Wahlberg*; in Dania non raro, D. *Staeger*, qui plura exempla ex utroque sexu misit. (Ad Neuenkirchen (in Mecklenburg Strelitz) jam 15—20 Maj. 1842, mares, & ad Jungfern-Heyde & Moabite prope Berolinum 7—12 Jul. ejusdem anni, feminas, etiam collegit Cel. Doct. *Dahlbom*).

♂♀. Per corporis partiumque pilositatem & pedum picturam ab affinibus præcipue dignota. — Frons leviter prominula, modice lata, fortiter setosa, atra, opaca, orbitis oculorum albis. Antennæ longæ, apicem epistomatis attingentes, subdeflexæ, subangustatæ, nigræ, apice articuli 2:di puncto minuto testaceo; seta distincte pubescente l. breviter subplumata, nigra, ultra medium incrassata, basi manifeste articulata. Epistoma latitudine longius, argenteum. Seta mystacina utrinque subsolitaria, valida, nigra, infra quam pili aliquot tenues. Palpi elongati, parum incrassati, albi, apice nigro-pilosi. Proboscis nigra. Mentum parce pallide barbatum. Oculi ovales. Thorax & abdomen distincte setosa, hujus incisuris præsertim in ♂ tenuiter albis. Alæ abdomine fere longiores, hyalinæ, leviter fuscanæ. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli, transversi remoti nigri, horum ordinarius fere in medio areæ insertus; segmenta nervi long. 4:ti 2:dum & 3:tium exinde fere æque longa. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ albæ. Halteres flavi. Pedes validi, rufo-flavi, distincte nigro-setosi & pilosi, præsertim subtus. Coxæ anticæ macula antice ad basin, & posteriores fere totæ, nigro-cinerascentes. Femora antica latere postico vitta nigra plus minus elongata, raro omnino deficiente. Femora posteriora apice superne breviter, sed sat determinate nigra. Tarsi omnes nigri, pulvillis niveis.

25. *C. filiformis:* angusta, nigra, nitida, parce nigro-pilosa; fronte vix prominente; epistomate argenteo; antennis longissimis, tenuibus, atris; pedibus flavidis, tarsis obscuris; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Suecia boreali (forte in paroecia ÖfverLuleå?) rarissime; a D. *Andersson* 1843 inventa mecumque communicata, loco speciali non indicato.

♀. Per corpus valde angustum, antennas longas graciles, alas hyalinas, &c., mox dignota. Statura corporis affinis & similis *C. albipedi* (9) & *C. vittatæ* (20), sed a priore magnitudine minore, antennarum seta nuda, &c., a posteriore nervis transversis nonnihil magis approximatis, & ab utraque capite, antennisque elongatis nec brevibus, atris, thorace toto nigro, nec albido, &c., copiose distincta. — Frons modice lata, vitta atra, opaca, orbitis oculorum & puncto ocellorum nigris nitidis setulosis. In vertice utrinque setula elongata erecta tenuis nigra, distinctior. Macula parva supra antennas lutea parum conspicua. Antennæ longitudine epistomatis, lineares, nigræ, nudæ, seta subnuda l. microscopice tantum puberula, fusca, basi indeterminate graciliter incrassata. Epistoma latitudine fere duplo longius, angustatum, subperpendiculare seu tantum parum declive. Seta mystacina utrinque unica, elongata, tenuis, nigra. Os subtus subnudum. Palpi retracti, ni fallor testacei. Proboscis retracta, nigra. Oculi majusculi, ovales. Genæ haud elongatæ. Thorax, scutellum & abdomen nigra, nitidissima, parce pilosa. Abdomen elongatum, angustum, tenuissime puberulum, ano acuto, sed non compresso. Alæ abdomine fere breviores, sat pure hyalinæ, nervis ut in *C. albipede* directis. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes mediocres, parce pilosuli, flavescentes, tarsis præsertim versus apicem fuscanis. Coxæ anticæ pallidæ, posteriores fere toti nigri. Femora posteriora ad apicem superne leviter subbrunnescentia.

**) pedibus fere totis nigris.

26. *C. nigripes:* nigricans, nitens, parce pilosula; fronte leviter prominente, macula antica flava; epistomate declivi palpisque albis; antennis longiusculis, abdomine pedibusque nigris, geniculis anticis testaceis; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.).

Mas: abdomen angustum, subcylindricum, ano inflexo, parum incrassato, lamellis ventralibus 2 mediocribus rotundatis nigris, glabriculis;

Fem.: abdomen lanceolatum, nigrum, nitidissimum, ano acuto.

Hab. in Suecia & Lapponia rarius; ♀ e Smolandia ante plures annos a D. *Boheman* missa; ♀ quoque in Jemtlandia boreali ad diversorium Skalstugan 29 Jun. 1840 in uno exemplo a D. *Dahlbom* lecta; uterque sexus e Lapponia Lulensi 1843 a D. *Andersson* communicatus.

♂♀. Affinis & similis *C. nigritæ* Fall. (30), sed palpis albis, nec nigris, antennis longioribus, pedibus fere totis nigris, &c., abunde diversa. Frons paullulum prominula, modice lata, atra opaca, antice supra antennas flava, orbitis oculorum albis. Antennæ oblique porrectæ, longiusculæ, nigræ, seta subnuda. Epistoma modice declive, album. Mystaces utrinque subbinæ, haud validæ, nigræ. Palpi subfiliformes, albi, glabriculi. Proboscis nigra. Mentum parum barbatum. Oculi majusculi, rotundati. Genæ mediocres, albæ. Thorax leviter cinereo-micans (præsertim in ♂), dorso parce setosus. Alæ hyalinæ. Nervi longitudinales 3 & 4 exacte paralleli; secundus elongatus, apice rectus; 5:tus ad marginem alæ extensus. Nervi transversi subapproximati, ordinarius a margine sat longe remotus, manifeste ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius, at segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio duplo brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ minutæ albæ. Halteres pallidi. Pedes simplices, nigri, in ♂ tenuiter pubescentes, in ♀ parcissime & tenuissime setulosi; anticorum genubus tibiisque plus minus late testaceis l. flavis.

††. Palpi nigricantes l. nigri (in *C. loxocerata* var. a. pallidi).

27. *C. proboscidea:* tota nigra, nitida, pilosa; epistomate perpendiculari, argenteo; fronte haud prominente; antennis sublongiusculis, apice superne acuto; alis leviter fuscanis, nervis transversis longe remotis. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Mas: corpore pedibusque sat dense pilosis & pubescentibus, abdomine cylindrico, ano distincte inflexo, lamellis ventralibus 2 majusculis, ovatis, nigris, pilosis;

Fem.: corpore pedibusque sat dense & valide pilosis, sed minus crebre pubescentibus, abdomine late lanceolato, ano acuto, apice compresso.

Zett. Ins. Lapp. 728. 12. ♂♀.

Hab. in ripis arenosis fluminum, per Sueciam borealem & Lapponiam, a medio Junii ad finem Julii minus frequens; scilicet in Jemtlandia boreali ad lacum Skalvattnet parce; in Bottnia boreali ad Råbäcken, Sävart & Bredåker in paroecia ÖfverLuleå, D.D. *Wahlberg & Anderssom*, 1843; in Lapponia Tornensi ad pagum Wittangi 1821, ipse; in Nordlandia Norwegica ad Tromsoe eodem anno, rarissime; semel quoque in jugo alpino ad Suulstuen Værdaliæ deprehensa.

♂♀. Similis *C. ustulatæ* (16), paullo robustior, & differt: antennarum seta distincte pubescente, nec nuda, palpis pedibusque totis nigris, proboscide crassiori, nitida, alis fere totis præsertim ad costam leviter infumatis, nec apice obscuriore, & tandem præcipue nervo longitud. 3:tio recto, nec curvato. Nigra. Frons lata, setosa, atra, opaca, raro (in ♀) lutea, orbitis oculorum cinerascentibus. Antennæ epistomate paullo breviores, subporrectæ, atræ, articulo ultimo latiusculo, subrecurvo, apice super-

ne acuto. Epistoma argenteo-album, nitens. Mystaces utrinque 4, validiusculæ, nigræ, & inferne pili aliquot nigri. Mentum parum griseo-barbatum. Palpi pilosi. Oculi magni, late ovales. Genæ mediocres, cinereo-nigræ. Alarum nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli; transversi remoti, ordinarius in medio areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio $2\frac{1}{2}$ longius, segmenta vero nervi longitudinalis 4:ti secundum & tertium æque longa. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ & halteres sordide albida. Pedes præsertim in ♂ validi. Tarsi in junioribus apice rufescentes.

28. *C. strigifrons:* griseo-nigricans, opaca, pubescens; epistomate perpendiculari, lateribus rufo-flavo, medio albo; fronte subprominente, striata; antennis brevibus, nigris; thoracis lineolis 2 fuscis; alis cinereis, nervis subinfuscatis, transversis modice remotis; pedibus cinereis, tibiis tarsisque fusco-testaceis. ♀. (Long. vix 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 728. 15. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in litore lacus Wojmsjön ad novaculum Tresunda 12 Jul. 1832 in uno specimine detecta a D. *Dahlbom.*

♀. *Scatomyzæ frontatæ* (15) affinis & similis, sed fronte paullo minus prominula, mystacibus paucioribus, palpis nonnihil latioribus, obscuris, nec albis, &c., certe distincta. A *Cord albitarsi* (18), cui quoque accedit, differt: fronte magis prominente, strigosa, macula supra antennas flava deficiente, antennis immaculatis, apice rotundatis, nec angulatis, palpis nigricantibus, &c. Tota obscure griseo-fusca, parum setulosa. Frons lata, antice parum lutescens, in medio longitudinaliter substriata (in mortua). Antennæ epistomate multo breviores, seta nuda, basi incrassata. Epistoma multo latius, quam longum, infra oculos manifeste descendens, lateribus rufo-flavum, area media immersa albida. Mystaces utrinque subtres, nigræ, haud validæ. Palpi extrorsum latiusculi, nigro-fusci, pilosi. Probo-

scis nigra. Oculi parvi, rotundi. Genæ elongatæ, cinereæ. Thorax obscure fusco-griseus, breviter & tenuiter pilosus, dorso medio lineolis 2 tenuibus nigris. Scutellum concolor. Abdomen ovato-oblongum, acutum, cinereum, glabriculum. Alæ cinerascentes, nervis fuscis. Nervi longitudinales: auxiliaris elongatus, 3 & 4 paralleli, 2:dus longissimus, 5:tus fere ad marginem extensus. Nervus transversus ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Segmentum costale 2:dum 3:tio triplo & ultra longius, at segmentum nervi longit. 4:ti secundum tertio fere $1\frac{1}{2}$ brevius. Costa omnino nuda; spinula nulla. Squamæ rudimentariæ & halteres sordide albida. Pedes mediocres, pubescentes, non pilosi, cum coxis cinerei. Tibiæ & tarsi sordide testacei, hi apice fusci.

29. *C. loxocerata:* angusta, nigra, nitida, pilosula; epistomate declivi, albo; fronte longe prominente, fulvo-flava, vertice nigro; antennis elongatis puberulis, fusco-nigris; alis flavido-cinereis, nervis transversis subapproximatis; pedibus flavis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: abdomen filiforme, nigro-pilosulum, ano rotundato, parum incrassato, inflexo, lamellis ventralibus minutis, parum conspicuis; *Fem.:* abdomen lineare, angustum, lateribus nigro-pilosum, ano subacuto, leviter compresso.

Var. a. ♂ palpis flavis; antennis fuscis, basi tarsisque testaceis.

Fall. Scatomyz. Suppl. 2:dum p. 12. 10. ♂. (♀ ibidem allata in collectione Falleni omnino deest).

Var. b. ♀ palpis nigricantibus l. fuscis; antennis l. totis nigricantibus l. nigro-fuscis, basi dilutioribus; tarsis atris; femoribus posterioribus ad apicem macula brunnea.

Cord. longifrons Zett. Ins. Lapp. 729. 18. ♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per hortos & prata Scandinaviæ, a medio Julii ad finem Augusti mihi

obvia, valde rara; scilicet var. a. & b. in Scania ad Lund & Abusa, parcissime; in Ostrogothia ad Gusum & in Bottnia boreali ad Råbäcken, testante D. *Wahlberg;* in Norwegia, D. *Rosenschöld;* in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norwegicæ var. b. etiam semel capta; eadem varietas e Dania a D. *Westermann* ante plures annos missa. (Var. b. e Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* communicata).

♂♀. Per frontem manifeste extensam, epistoma valde declivum, antennas margine undique brevissime puberulas, gracilitatem corporis &c., ab affinibus facile dignota. Frons horizontalis, plana, lata, opaca, orbitis oculorum tenuibus albis; postice inæqualiter nigra. Antennæ longitudine fere epistomatis, modice latæ, seta nuda, nigra, basi incrassata. Epistoma latitudine longius, albo-corneum, area media immersa, medio carinata. Mystaces utrinque subbinæ, breves, tenues, nigræ. Palpi extrorsum sublatiores. Mentum in ♂ parce, in ♀ parum, pallide barbatum. Oculi mediocres, rotundati. Genæ longiusculæ, albæ. Occiput nigrum. Thorax & scutellum parce, sed valide setosa. Alæ vix longitudine abdominis cum nervis flavedine subtinctæ, basi pallidiores. Nervi ut in priori directi, at nervus auxiliaris paullo brevior & segmentum costæ 2:dum 3:tio vix triplo longius. Costa subnuda; spinula nulla. Pedes cum coxis pallide flavi, parce setosi, tarsis plus minus intense obscuris.

30. *C. nigrita:* nigra, nitida, setulosa; epistomate perpendiculari, argenteo; fronte subangusta, prominula, macula supra antennas pallida; antennis breviusculis, atris; alis flavido-cinereis, nervis transversis subapproximatis; tibiis omnibus tarsisque anticis flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$— fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen cylindricum, ano rotundato, subincrassato, inflexo, lamellis ventralibus minutis, rotundatis;

Fem.: abdomen lanceolatum, ano subacuto, parum compresso.

Fall. Scatomyz. 10. 9. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 240. 23. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 728. 16. ♂♀. *Cleigastra nigrita* Macq. Buff. 2. 384. 2. ♂♀.

Hab. in Scandinavia media & boreali in primis versus finem Junii & sub toto mense Julio, minus frequens; scilicet in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum & Lärketorp; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad diversoria Forsa prope Mullfjellet & Skalstugan ad jugum alpinum 27 Jun. 24 Jul. 1840, D. *Dahlbom;* in Norwegiæ convallibus ad rivulos juxta Drivstuen in alpe Dovre, D. *Boheman;* in Nordlandiæ insula Hacksten prope Schiervoe, ipse.

♂♀. Magnitudine minore, fronte subangustata, antennis breviusculis, facie prominente, macula frontali, tibiis tarsisque flavis, & denique nervis transversis subapproximatis, ab affinibus dignoscitur. — Nigra, nitidissima, vix pubescens, sed undique distincte licet parce nigro-setulosa. Frons subangustata, prominula, opaca, vitta atra, antice fulva l. flava, orbitis albescentibus, setosis. Antennæ breviusculæ, nigræ, articulo 2:do superne canescente, seta subnuda, basi graciliter incrassata. Epistoma ante oculos prominulum & infra illos descendens, in fundo pallide flavum, sed totum manifeste argenteo-micans, area media concavum. Setæ mystacinæ utrinque subtres, nigræ, tenues, superior validiuscula, & pili aliquot sub ore graciles. Palpi subfiliformes, nigri. Oculi majusculi, ovales. Genæ mediocres, nigræ. Alæ longitudine saltem abdominis, flavedine leviter tinctæ, basi pallidiores. Nervi longitudinales 3 & 4 subdecurvi, paralleli, 5:tus ad marginem usque continuatus. Transversus ordinarius aperte ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio $2\frac{1}{2}$ longius, at segmentum nervi long. 4:ti secundum tertio fere duplo brevius. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, albæ. Halteres flavi (in viva citrini). Pedes validiusculi, spinulosi, nigri, geniculis summis, tibiis omnibus & totis, tarsisque anticis, flavis l. flavo-testaceis.

Tarsi posteriores obscure testacei, interdum nigricantes. Femora in ♂ subtus albido-ciliata.

31. *C. magnicornis:* nigra, nitida, tenuiter setulosa; epistomate perpendiculari, fusco-albicante; fronte latissima, parum prominente; antennis breviusculis, latis, seta brevi, incrassata; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis; halteribus obscuris; pedibus sordide testaceis. ♂. (Long. vix 1 lin.).

Staeg. in litt.

Hab. in Dania forte rarissime, mihi tantum in unico specimine a Cel. *Staeger* benevole communicata.

♂. Per minutiem corporis, frontem antennasque latas, setam crassiusculam, halteres nigros l. fuscos, &c., ab omnibus aliis abunde dignota, forte hujus generis? Frons leviter subconvexula, nigra, striatula, lateribus & postice breviter setulosa. Antennæ epistomate breviores, deflexæ, atræ, articulo ultimo lato, truncato, seta antenna paullo longiore, nuda, nigra, fere ad apicem incrassata. Epistoma latitudine brevius, infra oculos parum descendens, sordide albicans. Mystaces paucæ, exiguæ. Palpi subfiliformes, nigri. Proboscis nigra. Oculi minusculi, rotundati. Genæ elongatæ, sordide albicantes. Thorax & scutellum parce setulosa. Abdomen cylindricum, griseo-puberulum, ano rotundato, incrassato, inflexo, lamellis ventralibus mediocribus. Alæ abdomine paullo longiores, subhyalinæ. Nervi longitudinales: secundarius tenuis, auxiliaris non omnino ad medium costæ extensus, 2:dus modice longus, apice rectus, 3 & 4 paralleli, recti, 5:tus in marginem productus. Nervi transversi subapproximati, ordinarius ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio vix duplo longius; segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio fere dimidio brevius. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ minutæ, sordide albidæ. Halteres obscuri. Pedes mediocres, griseo-pubescentes, sed non spinulosi, neque setulosi; toti sordide testacei. — Affinis & similis *C. brevisetæ* n:o 23.

B) thorace semper, abdomineque plerumque, cinerascentibus aut grisescentibus, plus minus obscuris, (*Cord. strigifrons*, corpore obscure griseo, sub n:o 28 quærenda. — *C. fraterna* (36), *niveipalpis* (11), *hæmorrhoidalis* (43) & *caudata* (61), corpore nigricante, thorace tantum leviter cinereo-pollinoso instructæ).

α. Cauda masculorum absque ciliis elongatis (in *C. clavata*, 38, ciliæ breves adsunt).

*. Antennæ breviusculæ.

†. Palpi nigri.

32. *C. dentimana:* griseo-cinerascens, opaca, parce setulosa; fronte non prominente, antennis pedibusque, flavis; epistomate albido; palpis, thoracis lineis binis, abdomineque lineari nitido, nigris; alis pallescenti hyalinis; femoribus anticis in mare subtus dentatis. ♂. (Long. saltem 2 lin. & ultra).

Zett. Ins. Lapp. 730. 22. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; ad Lycksele mense Junio 1832 detecta; in Dalecarlia capta etiam refertur.

♂. Capite pedibusque flavis, palpis nigris, & præcipue femoribus dentatis facile dignoscenda. — Frons latiuscula, opaca, fulvo-flava, vertice grisescente; setis ordinariis munita. Antennæ modice breves (minime brevissimæ), mediocriter latæ, deflexæ, totæ intense flavæ, seta nigra, nuda, basi subincrassata. Epistoma longitudine paullo latius, perpendiculare, infra oculos descendens, pallide flavum, præsertim area media albo-micans. Mystaces utrinque binæ, distinctæ, remotæ, nigræ. Barba menti pallida. Palpi elongati, nigri, extrorsum manifeste dilatati,

cum proboscide nigra in mortua penduli. Oculi mediocres, rotundati. Genæ longiusculæ, albidæ. Caput postice nigrum. Thorax opacus, dorso grisescens, parce pilosus, lineolis anticis 2 mediis, remotiusculis, tenuibus, nigris, posterius evanescentibus; pleuris schistaceis. Scutellum griseum. Metathorax schistaceus. Abdomen longum, angustum, lineare, nigrum, nitidum, lateribus pilosum, ano distincte incrassato, inflexo, genitalibus ferrugineis, lamellis ventralibus 4 pilosulis, quarum 2 (in segmento 4:to) minutis nigris, & 2 (in segmento 5:to) oblongiusculis, testaceis. Alæ longitudine abdominis, angustatæ, pallescentes. Nervi longitudinales: 3 & 4 recti, versus apicem manifeste divergentes; 2:dus longissimus, leviter flexuosus; 5:tus ad marginem continuatus. Nervi transversi subremoti, ordinarius aperte pone medium alæ situs & mox ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio qvintuplo & ultra longius; segmentum autem nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio parum brevius. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes mediocres, parce pilosuli, toti cum coxis & tarsis læte flavi. Coxæ posteriores basi cinereæ. Femora antica valida, subtus in medio leviter excisa, dentibus 2 flavis. Tibiæ anticæ intus in medio bisinuatæ & dentatæ. — Similis *Cord. spinipedi* Meig., sed palpis nigris, nec rufis, femoribus tantum anticis subtus bidentatis, nec omnibus subtus spinosis., &c., abunde dignota.

33. *C. aricina:* obscure cinerea, opaca, setosa; fronte prominente epistomateque canis; vitta frontali lata, antennis, palpis pedibusque nigris; alis hyalinis, subfuscanis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Dania rarissime, D. *Staeger*, qui specimen descriptum ante plures annos communicavit.

♀. Parva, similis *Ariciæ* cujusdam minoris, sed oculis rotundatis distincta. Opaca, cinerea, distincte setosa. Frons latiuscula, nigra, orbitis oculorum cinereis. Antennæ breviusculæ, mediocres, deflexæ, nigræ, seta microscopice puberula, basi incrassata.

Epistoma ante oculos prominulum & infra illos paullo descendens, longitudine latius, perpendiculare, canum. Setæ mystacinæ nigræ, superior distincta, 2 l. 3 infra positæ, tenues. Palpi non longi, subfiliformes, pilosuli, nigri. Proboscis haud crassa, nigra, in mortua pendula. Oculi mediocres, ovales. Genæ mediocres. Abdomen oblongo-lanceolatum, nigricans, nitens, apice acutum, subcompressum. Alæ abdominis longitudine, cinereo-hyalinæ, ad costam infuscatæ, nervis omnibus leviter obumbratis. Nervi longitudinales: omnes recti, 3 & 4 paralleli, 5:tus non usque ad marginem productus. Nervi transversi subapproximati, ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere $2\frac{1}{2}$ longius; at segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio saltem $1\frac{1}{2}$ brevius. Costa fere ad medium subciliata; spinula adest. Squamæ parvæ, breviter ciliatæ, albæ. Halteres flavidi. Pedes simplices, nigri, setulosi.

††. Palpi albi l. flavi.

1. pedibus ad partem (in *C. obscurella* n:o 40 totis) nigricantibus l. obscuris.

31. *C. livens:* schisticolor, opaca, subnuda; epistomate albo; macula frontali, palpisque dilatatis, flavis; antennis totis verticeque nigris; thoracis dorso fusco-vittato; femoribus apice, tibiis tarsisque ferrugineis; alis cinerascentibus. ♂♀. (Long. 3 lin. & ultra).

Mas: ano rotundato, cinereo, appendice inflexa, simplici, genitalibus fuscis;

Fem.: ano retracto, annulato acuto; in copula.

Meig. Dipt. 5. 213. 31. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 307. 117. *Hydromyza* Fall. Hydromyzid. 1. 1. ♂♀. *Cleigastra* Macq. Buff. 2. 386. 7.

Hab. in foliis plantarum aquaticarum natantibus, ut Nympheæ, Potamogetonis &c., per Scandinaviam meridi-

onalem & mediam, a fine mensis Maji usque ad Augusti, passim, in copula etiam deprehensa; nempe in Scania ad Lund, Kjellby, Fogelsång, &c., non rara; in Ostrogothia ad Gusum, Godegård &c., passim; in Westrogothia, *Gyllenhal;* in Uplandia ad Holmiam; in Dania circa Hafniam haud infrequenter, D.D. *Fabricius* & *Staeger;* in Lapponia ad Jockmock quoque observata fuerit, testante D. Prof. *Wahlberg*, mihi in provinciis borealibus numquam obvia.

♂♀. Per magnitudinem magnam, colorem corporis femorumque cinereo-glaucum, nuditatem, antennas nigras immaculatas, a ceteris hujus seriei facile dignota. Caput subtransversum, nudum. Frons lata, postice nigra, antice supra antennas fulvescens. Orbitæ oculorum albidæ, omnium brevissime setulosæ, setulis 2 distinctioribus nigris in occipite. Antennæ epistomate duplo breviores, incumbentes, apice rotundatæ, totæ cum seta nuda basi incrassata, atræ. Epistoma perpendiculare, longitudine latius, infra oculos distincte descendens, argenteo-album, area media retusa plerumque pallide flava. Seta mystacina utrinque unica, tenuis, nigra. Apertura oris magna, nuda. Palpi extrorsum dilatati, incumbentes, toti flavo-testacei, pilosi. Proboscis nigra. Barba menti tenuis, albida. Oculi ovales, exserti. Genæ longæ glaucæ. Caput postice glaucum. Thoracis dorsum vittæ 5 fuscæ, interdum subconfluentes. Scutellum setis ordinariis. Abdomen oblongum, nudum, glaucum, immaculatum; in ♂ tenuissime puberulum. Segmentum 6:tum margine in utroque sexu nigro-ciliatum. Alæ abdomine paullo longiores, subangustatæ, cinereæ, nervis validiusculis, nigris. Nervi longitudinales recti, 3 & 4 paralleli, 5:tus ad marginem usque productus. Transversus ordinarius paullo ante medium areæ insertus, ad marginem retractus, non exacte rectus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo & forte ultra longius; segmentum nervi longit. 4:ti 2:dum 3:tio paullo (vix dimidio) brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, ciliatæ, halteresque alba. Pedes mediocres, inermes, tenuissime pube-

ruli, glaucescentes, trochanteribus intermediis, femoribus omnibus apice late, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis. Tibiæ medio late cinerascentes. Tarsi apice plerumque fusci. Femora antica crassiora, subtus breviter albo-villosa. Femora postica subtus ad apicem setulis 4—5 brevibus nigris. Setula ordinaria latere postico ad apicem in femoribus intermediis etiam adest.

35. *C. hydromyzina:* cinereo-nigricans, subopaca, parce setulosa; epistomate, palpisque valde dilatatis, albis; macula frontali pallida; antennarum medio, trochanteribus, femorum apice, tibiis tarsisque rufo-testaceis; thoracis dorso obsolete obscure bilineato; alis cinereo-hyalinis. ♂♀. (Long. 2—$2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, segmentis 2:do longissimo, 6:to brevissimo, ano rotundato, cinereo, appendice inflexa, simplici, lamellis ventralibus depressis cinereis apice ovato nigro; nervis alarum longitudinalibus 3 & 4 versus apicem paullo divergentibus;

Fem.: abdomen lanceolatum, segmentis: 2:do 1:mo connato duplo longiore; 6:to antecedente dimidio breviore, ano annulato, acuto; nervis longitudin. 3 & 4 versus apicem parallelis.

Var. a. ♂♀ pedibus ferrugineis, coxis totis femoribusque vel totis vel in medio latissime nigricantibus.

Fall. Scatomyz. 7. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 242. 29. ♂♀. *Cleigastra* Macq. Buff. 2. 385. 6. ♂♀.

Var. b. ♂♀ pedibus ferrugineis, coxis totis femorumque annulo medio plus minus lato nigricantibus.

Hab. in plantis paludosis & aqvaticis, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, a fine mensis Maji usque ad medium Septemb., passim; scilicet in Scania: ad Höje-å & Kjellby prope Lund sat frequens; ad Kjeflinge-å, Ringsjön, Abusa & Esperöd, non parce; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Gusum, Om-

berg & Wadstena prope lacum Wettern; in Westrogothia, *Gyllenhal;* in Gottlandia ad Slitö & in palude Hellvig rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia, D. *Boheman;* in Jemtlandia ad Åreskutan, parcius; ad Hafniam Danorum frequens, D. *Staeger.* (Ad Gryphiam Maj. 1812, D. *Dahlbom).* Var. a. & b. promiscue occurrunt.

♂♀. Similis priori, sed paullo minor, & corpore magis piloso & colore grisescente, antennis acutioribus in medio testaceis, nec totis atris, palpis latioribus, setis mystacinis pluribus (utrinque 2—3), thoracis lineis dorsalibus fuscis tantum 2, nec 5, & tenuioribus, numquam confluentibus, femoribus magis flavo-pictis, & denique nervis longitudinalibus 3 & 4 in ♂ versus apicem divergentibus, nec parallelis copiose distincta. Frons lata, setosa, postice nigra, antice jam pallide flava, jam fulva, orbitis albidis. Antennæ epistomate fere duplo breviores, articulo ultimo apice superne acuto; totæ raro testaceæ; plerumque nigro-fuscæ, articulo ultimo basi angustius latiusve testaceo, seta nuda, fusca, basi incrassata, subito capillari. Mystaces nigræ. Palpi ♂ albi, ♀ albo-flavi. Alæ sordide cinereæ. Pedes distincte pubescentes, femoribus validis, ut in diagnosi varietatum picti. — Reliqua ut in præcedente. — Variat detrita corpore toto nigriore, subnitido. Variat etiam ♂ junior omnibus partibus dilutioribus, quem sub nomine: *Cordyl. annulata* olim divulgavi.

36. *C. fraterna:* nigricans, subnitens, setulosa; epistomatis albi area media cinerea; palpis modice dilatatis, albis; macula frontali, antennarum medio, pedibusque flavo-ferrugineis, coxis totis, femorumque medio latissime, nigricantibus; alis cinereo-hyalinis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, ano parum incrassato, inflexo, lamellis ventralibus non magnis, conicis, atris, pilosulis;

Fem.: abdomen ovato-oblongum, ano annulato, acuto; in copula.

Meig. Dipl. 5. 213. 30. ♂ ♀.

Hab. in plantis aqvaticis & paludosis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, versus finem Julii usque ad finem Septembr., passim frequens, in copula etiam multoties capta; nempe in Scania ad Kjeflinge (in plantis in amne crescentibus), ad Tranås (in plantis in stagnantibus crescentibus), Esperöd (ad litus maris), &c., sat vulgaris; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena (ad lacum Wettern) non raro; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dania ad Hafniam frequens, D. *Staeger*. (E Silesia uterque sexus sub nomine: *Cord. lacustri* a D. *Zeller* communicatus; & ♀ jam mense Majo ad Gryphiam a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Priori affinis & similis, sed magnitudine constanter & saltem duplo minore, corpore nonnihil magis nitente, palpis minus dilatatis, & denique epistomatis area media cinerea, abunde differt. — Frons ut in præcedente, sed macula supra antennas plerumque angustiore & intensius flava, sæpe fulva. Antennæ breviusculæ (non multo breves), modice latæ, apice superno subacutæ, totæ nigræ, articulo ultimo basi anguste testaceo, seta ut in antecedente. Epistoma latum, album, area media in utroque sexu cinerea. Mystaces utrinque plures, nigræ. Palpi flavo-albi, extrorsum mediocriter dilatati. Proboscis nigra. Oculi majusculi, rotundati, in viva obscure brunnei, æneo-submicantes. Genæ longiusculæ, cinereæ. Thorax scutellumque parce pilosa, & abdomen, griseo-nigricantia, immaculata, sed sæpe plus minus detrita & tunc magis nigra, subnitida. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis subtenuibus, subpallescentibus, ut in *C. hydromyzina* directis, sed segmento costæ 2:do paullo longiore, nempe 3:tio triplo & ultra longiore. Nervi quoque longitudinales 3 & 4 in utroque sexu paralleli. Pedes validiusculi, puberuli, parum setulosi (saltem in ♂), rufo-ferruginei, coxis totis femoribusque late nigricantibus. — Variant femora

basi aut non, aut plus minus ferruginea. Trochanteres intermedii semper rufi. — Individua palpis minus dilatatis interdum occurrunt. Abdominis segmenta omnia (præter 2:dum longius) fere æque longa in utroque sexu. — Cum *C. obscura* infra n:o 57 non confundenda.

37. *C. nigrimana:* obscure fusca, parum nitida, parce setulosa; epistomate, palpisque dilatatis, albis; antennis in ♂ totis, in ♀ in medio, maculaque frontali in utroque sexu fulvis; thorace obscure bivittato; ano rufo; pedibus brunneo-testaceis, femoribus anticis nigricantibus; alis subfuscanis, nervis transversis subapproximatis, longitudinalibus 3 & 4 leviter curvatis, parallelis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{4}$, ♀ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: antennæ majusculæ, totæ fulvæ, articulo 2:do linea superna setaque tota nigris; barba menti sat densa, longa, albida, nitens; abdomen lineare, angustum, ano rotundato, parum clavato, inflexo, rufo, lamellis ventralibus breviusculis, crassiusculis, conicis, nigris, parum pilosis;

Fem.: antennæ mediocres, fuscæ l. nigricantes, in medio plus minus late testaceæ; mentum subnudum; abdomen lanceolatum, ano annulato, acuto, rufo; in copula.

Hab. in Suecia rarissime; in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby feminam 4 Sept. inveni; in Jemtlandia boreali ad diversorium Skalstugan in jugo alpino utrumque sexum in copula junctum 24 Jul. 1840 deprehendit Cel. Doct. *Dahlbom;* in Dania, D. *Staeger.*

♂♀. Per antennas fulvas & os subtus sat longe barbatum mas, & per anum rufum, femora tantum antica nigricantia, & denique nervos longitudinales 3 & 4 leviter decurvatos, nec exacte rectos, uterque sexus, in hac serie facile a conspeciebus dignoscuntur. Frons lata, postice fusco-grisea, antice flava l. fulva, orbitis albidis. Antennæ modice breves, deflexæ, seta capillari,

nigra, nuda, ima basi leviter incrassata. — Epistoma latiusculum, perpendiculare, infra oculos paullo descendens, albidum. Mystaces utrinque tres, nigræ. Palpi albi, extrorsum sat lati, non latissimi. Proboscis nigra. Oculi rotundati. Genæ longiusculæ, albidæ. Caput postice griseum. Thorax & scutellum setis ordinariis instructa, vix nitida, grisescentia, vittis 2 dorsalibus fuscis. Abdomen obscure griseum, subnitens, parce pubescens, ano rufo. Segmenta 1 & 6 brevissima, 2:dum longum, 3, 4 & 5 subæque longa. Alæ abdomine paullo longiores, leviter fuscanæ, nervis transversis modice remotis, subinfuscatis. Segmentum costæ 2:dum 3:tio saltem triplo longius. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum 3:tio in ♂ vix duplo, in ♀ dimidio brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ & halteres albida. Pedes mediocres, brunneo-testacei, parum puberuli & vix setulosi nisi in femoribus posticis (latere antico) & tibiis omnibus, parcissime. Femora posteriora simplicia, subbrunnescentia, antica valida, nigro-brunnea. — Varietatem masculam, lamellis ventralibus rufescentibus, nec aliter recedentem, in Dania ad Dyrhaven 31 Jul. 1842 captam sub nomine *C. luteicornis* misit D. *Staeger*.

38. *C. clavata:* obscure grisea, immaculata, subopaca, parce setulosa; epistomate, palpisque dilatatis, albis; macula frontali fulva; antennis acutiusculis, nigris; pedibus livido-testaceis, coxis totis, femoribusque superne late, nigricantibus; alis cinerascentibus, nervis longitudinalibus: 4:to apice leviter inflexo, 5:to crassiusculo; transversis sat late remotis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, opacum, pilosulum, segmentis: 1 brevi, 2 multo longiore, 3, 4 & 5 æque longis, 6 antecedente breviore, 7 brevissimo, cauda longitudine fere dimidii abdominis, oblongo-ovata, crassa, dependente, cinerea, appendice bivalvi (intra quam genitale), valvulis longitudine caudæ, oblongis reflexis cinereis, apice intus pallide ciliatis, aucta; stylis ventralibus clavatis nigris, clava dupplicata, inferiore minore, superi-

ore majore subplana, disco lutea; femoribus præsertim anticis posticisque basi latissime & undique nigricantibus;

Fem.: abdomen lanceolatum, subnitens, lateribus pilosulum, segmentis: 1 brevi, 2, 3, 4 subæque longis, 5 qvarto duplo breviore, 6 brevissimo angusto, cauda subprominula, compressa, cinerea, ut in *C. hæmorrhoidali* (43) & *C. caudata* (64) constructa; femoribus basi late vitta supera lata nigricante.

Boheman in litteris 1841.

Hab. in Lapponiæ Lulensis alpibus Snjerrak & Wallifjellet prope Qvickjock, pone medium Junii inventa a D.D. *Boheman* & *Andersson*; in tribus exemplis mecum communicata.

♂♀. Pedibus obscure rufis, femoribus basi late nigro-vittatis, alarum nervis transversis sat late distantibus, longitudinalibus 3 & 4 summo apice levissime subconvergentibus & 5:to crassso nigro, atque tandem cauda maris eximie constructa, præcipue dignoscenda. — Fusco-grisea. Frons modice lata, macula frontis antica fulva. Antennæ epistomate paullo breviores, mediocres, incumbentes, atræ, levissime subrecurvatæ, apice superne acutæ, articulo 2:do supra canescente, seta capillari, nuda, basi subincrassata. Epistoma perpendiculare, modice latum, albidum. Mystaces utrinque plures nigræ. Palpi modice lati, albi. Proboscis nigra. Barba nulla. Oculi ovales. Genæ mediocres. Thorax parum nitens. Abdomen totum obscure grisescens. Alæ longitudine abdominis. Nervus transversus ordinarius perpendicularis fere in medio areæ insertus. Nervus longit. 4:tus summo apice levissime inflexo. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo tantum longius. Pedes mediocres, subsetulosi, obscure ferruginei, coxis totis, femoribusque 1. basi undique late (♂), 1. superne vitta elongata (♀), nigricantibus. Reliqua ut in priori.

39. *C. lividipes:* obscure grisea, immaculata, subopaca, parce setulosa; epistomate, palpisque subdilatatis, albis; macula frontali fulva; antennis atris, apice subro-

tundatis; pedibus brunneo-testaceis, coxis griseis, femoribus fusco-nigricantibus; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis modice remotis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♀. (Long. vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, medio mensis Junii 1843 inventa a D. *Boheman*, qui specimen pro describendo communicavit.

♀. Duabus proxime antecedentibus similis, sed a *C. nigrimana* antennis totis nigris, thorace non fusco-lineato, ano nigro, nec rufo, femoribus omnibus brunneo-nigricantibus, a *C. clavata* antennis immaculatis apice vix acutis, femoribus undique saturate brunnescentibus, nec tantum vitta superna nigra, nervis transversis non tam late distantibus, longitudinalibus 3 & 4 etiam ipso apice parallelis, nec 4:to summo apice inflexo, & ab utraque magnitudine minore & antennis paullo brevioribus, abunde recedens. — Frons in medio nigra, macula antica transversa determinata fulva & alia verticis trigona grisea. Antennæ breves, incumbentes atræ. Epistoma perpendiculare, infra oculos vix descendens, latiusculum album. Mystaces utrinque subtres, exiguæ, fuscæ. Palpi parum dilatati, albi. Proboscis nigra. Oculi rotundi. Genæ mediocres. Thorax subopacus. Abdomen oblongum, subnudum, nigricans, subnitens, ano acuto, atro. Alæ ut in *C. nigrimana*, sed forte minus infuscatæ, & segmentum costæ 2:dum nonnihil brevius, 3:tio nempe fere tantum duplo longius. Nervus auxiliaris, ut etiam in *C. nigrimana*, ad apicem paullo incrassatus. Pedes ut in *C. nigrimana* vestiti. Reliqua ut in diagnosi l. in proxime præcedentibus.

40. *C. obscurella:* obscure grisea, subimmaculata, subopaca, parce setulosa; epistomate albo; palpis subdilatatis, pallidis; macula frontali brevi, fulva; antennis atris; apice subrotundatis; pedibus totis nigricantibus; alis

cinereo-hyalinis, nervis transversis modice remotis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, subvillosum, ano rotundato, inflexo, cinereo, lamellis ventralibus non magnis, nigris; segmenta: 1:mum brevissimum cum 2:do multo longiore connatum, 3, 4 & 5 subæque longa, & eorum singulum 2:do fere duplo brevius, 6:tum 1:mo subæque longum;

Fem.: abdomen lanceolatum, pubescens, ano retracto, nigro; segmenta: 1:mum brevissimum cum 2:do modice longo connatum, 3, 4 & 5 æque longa, & eorum singulum 2:do fere duplo brevius, 6:tum 5:to dimidio longius, apice obtusum l. subtruncatum.

Hab. in Scandinavia boreali rarissime; ♀ in Lapponia Lulensi ad Qvickjock cum priore, a D. Prof. *Boheman* deprehensa mihique in unico exemplo mutuo missa; ♂ in alpibus Dalecarlicis ab Eodem quoque inventus & mecum pro descriptione communicatus.

♂♀. Priori simillima, at ♀ magnitudine nonnihil minore, & uterque sexus palpis pallide flavis, nec albis, macula frontali fulva multo breviore, vix nisi in lunula transversa brevissima arcte supra autennas conspicienda, & præsertim pedibus omnibus & totis nigricantibus, vere differre videtur. Thorax in ♂ obsolete fusco-bilineatus, in ♀ vix rudimento linearum fuscarum. Pedes simplices, puberuli, tibiis parcissime & tenuiter setulosis, femoribus posticis latere antico tenuiter pilosulis. Reliqua ut in *C. picipede.*

41. *C. niveipalpis:* nigricans, subnitens, parce setulosa; epistomate, palpis subdilatatis, mystacibusque, niveis; antennis atris, apice subrotundatis; thorace nigrobilineato; pedibus nigris, tibiis tarsisque rufo-flavis; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. $1-1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, ano modice clavato, inflexo, lamellis ventralibus parvis subfiliformibus, atris; alis hyalinis;

Fem.: abdomen lanceolatum, apice truncatum, ano annulato, retracto; alis albicanti-hyalinis.

Hab. in Scandinavia boreali & Lapponia, a medio Junii ad finem Julii, minus frequens; scilicet in alpibus Darlecarlicis, D. *Boheman*; in Jemtlandia boreali ad Skalstugan rarius; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock in cacumine alpium Snjerrak & Wallifjellet, D.D. *Boheman* & *Andersson*; in Norwegia ad Thynäs & Levanger, D. *Dahlbom*; & ad diversorium Suul Wærdaliæ in jugo alpino, non parce, ipse.

♂♀. Corpore nigriore, magis nitente, palpis purius albis, mystacibus albis, tibiis tarsisque magis flavis, nec rufo-piceis, alis hyalinis (♂), l. subalbido-hyalinis (♀), &c., a prioribus hujus seriei diversa. — Species distinctissima. Frons lata, nigra, postice cinerea, antice fulva. Antennæ breves, deflexæ, atræ, apice rotundatæ, seta nuda, basi incrassata. Epistoma latum, album. Setæ mystacinæ utrinque 2 l. 3, minutæ, albæ. Palpi modice dilatati, nivei (in specimine Dalecarlico albidis), albopilosuli. Proboscis nigra. Barba menti alba, in ♀ parca, in ♂ paullo densior. Oculi rotundati. Genæ sublongæ. Caput postice cinereum. Thorax cinereo-nigricans, parum nitens, antice lineolis 2 nigris. Abdomen subnudum, nigrum, nitidum, segmentis ut in *C. obscurella* constructis. Alæ abdomine fere longiores, nervis ut in priore directis. Nervus secundarius tenuis albidus, at auxiliaris ad apicem crassior, & costalis totus, nigri. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes simplices, puberuli, nigri, tibiis tarsisque rufo-flavis.

2. pedibus totis flavis. Alarum nervi transversi modice (non longe) remoti. Minores.

a). Pedes inermes.

42. *C. punctipes:* cinereo-grisea l. murina, subopaca, parce setulosa; epistomate, palpisque parum dilatatis, albis; antennis mediocribus, totis in ♂ flavis, in ♀ fuscis; macula frontali in utroque sexu fulva; pedibus cum trochanteribus rufo-flavis, posteriorum coxis totis cinereis, geniculis summis nigris; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, ano rotundato, modice clavato, inflexo, cinereo, lamellis ventralibus mediocribus, conicis, nigro-fuscis l. testaceis; antennis totis flavis, articulo 1:mo basi superne puncto nigricante;

Fem.: abdomen lanceolatum, ano subexserto, acuto, nigro-cinereo; antennis fuscis l. obscuris; in copula.

Meig. Dipt. 5. 239. 20. ♂. Zett. Ins. Lapp. 731. 26. ♂♀. *Cleigastra* Macq. Buff. 2. 386. 9. ♂. *Cord. flavipes* Meig. Dipt. 5. 239. 21 (exclus. syn. Fall.) hujus femina videtur.

Hab. in graminosis præcipue locis uliginosis, per hortos, prata & paludes silvaticas totius Scandinaviæ, Jun.—Aug. vulgaris, in copula etiam deprehensa; nempe in Scania & Ostrogothia frequens; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Nähr, Garde, Öja, Östergarn, &c. minime parce; in Westrogothia, D.D. *Gyllenhal* & *Boheman;* in Uplandia ad Holmiam; in Jemtlandia ad lacum Liten prope diversorium Upland; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele; Lulensi ad Tjomotis & Qvickjock *(Wahlberg);* Tornensi ad Juckasjervi &c.; in Norwegia a Dovre ad Gamstlind Finmarkiæ; in Dania frequens. (Ad Gryphiam jam 20 Maj. a D. *Dahlbom* copiose lecta).

♂♀. Antennæ maris flavæ, feminæ fuscæ, anus abdomine concolor, alæ subflavidæ, pedes fulvo-flavi, posteriores puncto geniculorum nigro, & tarsorum articulis summo apice fusco, sunt notæ, quæ

simul sumtæ speciem distingvunt. — Frons modice lata, nigra, postice cinerea, antice fulva l. flava, orbitis oculorum albidis. Antennæ modice longæ, subangustatæ, deflexæ, apice leviter acuto, seta nuda, nigra, basi graciliter incrassata. Epistoma perpendiculare, modice latum, album. Setæ mystacinæ nigræ utrinque binæ distinctæ & 3:tia intermedia exigua. Palpi modice tantum l. parum dilatati, albi. Proboscis nigra. Mentum tenuiter barbatum. Oculi majusculi, subrotundati. Genæ mediocres. Thorax antice vestigio linearum 2 nigrarum. Abdomen tenuiter puberulum, segmentorum proportione ut in *C. obscurella* (40). Alæ abdomine fere longiores. Nervi tenues, pallescentes, longitudinales: 2:dus elongatus, 3 & 4 recti paralleli, 5:tus ad marginem extensus. Nervus transv. ordinarius manifeste ante medium areæ insertus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo fere quadruplo longius, at segmentum nervi long. 4:ti secundum tertio fere duplo brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ minutæ halteresque albida. Pedes tenuiter puberuli, parce setulosi. Femora valida, antica subtus in primis in ♂ breviter albo-ciliata. Antennæ in ♀ sæpe nigricantes in medio testaceæ. Ad punctum in geniculis posterioribus nigricans probe attendas, ut speciem dignoscas.

Obs. In museo Falleniano individuum unicum femineum hujus speciei inter *C. flavipedem* asservatur.

43. *C. hæmorrhoidalis:* nigricans, cinereo-pollinosa, parum nitens, immaculata, parce setulosa; epistomate genisque in ♂ nigris, in ♀ albis; palpis in utroque sexu subdilatatis, albis; antennis brevibus, atris, basi sublutescentibus, apice rotundatis; fronte lata, fulva, pone medium breviter nigra, postice cinerea, orbitis oculorum canis; ano ferrugineo; pedibus validis, cum trochanteribus flavo-rufis, coxis posterioribus obscuris; alis subpallescentibus, nervis transversis subapproximatis, longitudinali 2:do recto. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$--$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, clavatum, albido-pubescens; segmenta: 1:mum breve cum 2:do fere duplo longiore connatum, 3, 4 & 5 modice & subæque longa, 6:tum 5:to paullo sed vix dimidio longius, omnia nigricantia; segmentum anale seu 7:mum clavam incipiens, brevissimum, nigricans aut sæpe ferrugineum; cauda inflexa tota rufo-ferruginea; lamellæ ventrales parvæ, breves, ovatæ, nigræ; epistoma nigrum, margine apicali orbitisque oculorum tenuissimis albis; genæ nigræ;

Fem.: abdomen ovato-lanceolatum, subdepressum, subnudum; segmenta: 1:mum brevissimum cum 2:do fere duplo longiore connatum, 3, 4 & 5 modice & subæque longa, omnia nigricantia, 6:tum longitudine 5:ti, subplanum, totum rufo-ferrugineum, nitidum; anus retractus, ferrugineus, parum nisi subtus ultra segmentum 6:tum prominulus; epistoma totum & genæ alba; in copula.

Meig. Dipt. 5. 237. 17. ♀. Zett. Ins. Lapp. 731. 27. ♂♀. var. a & b.

Hab. in foliis fruticum præsertim Betulæ, locis imprimis paludosis, præcipue per Scandinaviam borealem tota æstate vulgatissima, in fenestris quoque frequenter obvia; in copula multoties deprehensa; scilicet in omnibus Lapponiis usque ad jugum alpinum & alpium solitariarum regionem nivalem fere adscendens, ibique fruticibus deficientibus in Aspidiis & Polypodiis repens, longe frequentissima; circa Jemtlandiæ alpes Mullfjellen & Åreskutan &c., etiam abundans; e provinciis septentrionalibus in mitiores parce descendit, & in Ostrogothia ad Gusum a D. *Wahlberg*, atque in foliis Syringæ in horto ad Lärketorp prope Skenninge a me raro lecta; in Smolandia a D.D. *Boheman* & *Ljungh*, & in ipsa Scania etiam rarissime visa fuerit; in Norwegia alpestri iterum passim copiose occurrit, & a Dovre usque ad NordCap

pluribus locis frequenter observata; in Dania semel a D. *Staeger* inventa.

♂♀. Per frontem latissimam macula flava magna lata ornatam, antennas breves, apice rotundatas, thoracem obscure cinereum immaculatum, nervum longitudinalem 2:dum apice rectum, nec apice flexum, femora præsertim antica & præcipue in ♂ distincte incrassata, anum in utroque sexu ferrugineum, & denique epistoma genasque in ♂ nigricantia, ab aliis bene dignota. Frons longe & late fulva, fulvedine postice per nigredinem litteram W formantem terminata. Macula ocellorum grisea. Antennæ deflexæ, atræ, basi plerumque superne aut puncto aut macula, testaceis, sæpe tota testacea, seta nuda nigra. Reliquæ partes capitis ut in ♀ *C. caudatæ* (61) constructæ & coloratæ, exceptis epistomate in ♂ *C. hæmorrhoidalis* nigro, nigredine supra antennas sæpe assurgente & lineam transversam in margine frontis antico formante, ut & genis in ♂ quoque nigris. Palpi albi etiam nonnihil latiores in *C. hæmorrhoidali* videntur. Nervus alarum costalis crassiusculus, niger. Segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio paullo ultra $1\frac{1}{2}$ brevius. Pedes pubescentes & tenuiter pilosuli, rufi, interdum obscure ferruginei præsertim in ♂. Reliqua ut in femina *C. caudatæ* aut in diagnosi. — Anus feminæ superne nigro-bituberculatus & tubercula in centro pilum exserentia omnino ut in femina *C. caudatæ*, licet hæc tubercula sub segmento 6:to plerumque retracta.

41. *C. pallipes:* griseo-cinerea, opaca, immaculata, parce setulosa; epistomate, palpis dilatatis, genisque in utroque sexu albis; antennis brevibus atris, apice rotundatis; fronte lata fulva, pone medium breviter nigra, postice cinerea, orbitis oculorum canis; ano nigro, ferrugineo-maculato; pedibus validis cum trochanteribus flavis, coxis posterioribus obscuris; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis, longitudinali 2:do apice leviter flexo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: cauda inflexa nigra, nitida, lateribus ferrugineo-maculata, præterea abdomine etiam quoad segmentorum rationem omnino ut in priore constructo; epistomate albo, area intermedia superne (sub antennis) sæpe subinfuscata;

Fem.: ano subretracto, acuto, nigro, lateribus ferrugineo-maculatis, præterea abdomine etiam quoad segmentorum rationem omnino ut in priore constructo.

Zett. Ins. Lapp. 732. 29. — *C. melanura* Ins. Lapp. 731. 28. ♂ etiam huc pertinet. An quoque *C. flavipes* Meig. Dipt. 5. 239. 21? ♀.

Hab. in graminosis humidis & ripis lacuum fluminumque arenosis, a medio mensis Junii ad finem Augusti, mihi præcipue in Suecia boreali & Lapponiis obvia; scilicet in Jemtlandia boreali ex. gr. ad Åreskutan, Mullfjellen & Skalstugan vulgaris; in Bottnia septentrionali circa Luleå, Råbäcken &c., D.D. *Boheman* & *Andersson*; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Stensele, Wilhelmina, Tresunda, Åsele &c., sat frequens, in Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg*, ut & in Tornensi ad Kengis & Juckasjervi passim; in Suecia inferiore vix occurrit, nisi in Uplandia ad Holmiam, teste D. *Wahlberg*, & in Scania rarissime.

♂♀. Simillima præcedenti; statura & structura partium omnino ut in illa, sed vere differt: magnitudine plerumque paullo majore, colore thoracis griseo nonnihil lætiore, pedibus pallidius flavis, saltem non rufo-ferrugineis, epistomate genisque in utroque sexu albis, area tantum epistomatis media in ♂ interdum mox sub antennis leviter infuscata, palpis forte paullo latioribus, ano nigro tantum ferrugineo-maculato, alis magis albido-cinereis, nec flavido-hyalinis, & tandem præcipue nervo longitudinali 2:do apice versus costam leviter quidem flexo, sed tamen magis curvato, quam in *C. hæmorrhoidali*, ubi hic nervus apice rectissimo in costa excurrit. Hæ vero notæ per com-

parationem inter utramque speciem optime conspiciuntur. — Antennæ plerumque totæ atræ. Abdomen totum cinereo-nigricans, subnitens, tantummodo cauda in ♂ inflexa ad latera & versus apicem plus minus sangvineo-maculata, & ano in ♀ etiam lateribus apiceque plus minusve ferrugineo-maculato. Reliqua exacte ut in antecedente.

45. *C. lineata:* murina, opaca, parce setulosa, thorace lineolis nigris, nitidis; epistomate, mystacibus, palpis extus subdilatatis, genisque, albis; antennis brevissimis, atris, basi testaceis, apice rotundatis; fronte modice lata, vitta nigra antice macula majuscula ovata fulva, postice cinerea, orbitis oculorum canis; ano piceo-maculato; pedibus subvalidis, cum trochanteribus flavo-rufis, coxis posterioribus obscuris; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subapproximatis, longitudinali 2:do apice leviter flexo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas & *Femina* ut in præcedente differunt.

Zett. Ins. Lapp. 732. 31. ♂♀.

Hab. in Suecia boreali & Lapponia rarius; in ripa arenosa fluminis Tornensis ad Juckasjervi 24 Jun. 1821 4 mares & 1 feminam legi; ut etiam Sueciæ inferioris incola in collectione mea asservatur, loco specialiore non annotato; ad Tjomotis prope Qvickjock Lapponiæ Lulensis quoque visa, D. *Wahlberg*.

♂♀. A priore, cui de cetero exacte congruit, facile dignoscitur: magnitudine nonnihil minore, antennarum basi testacea, fronte paullo minus lata, macula fulva angustiore a nigredine frontis fere undique cincta, mystacibus albis, & denique thorace lineolis dorsalibus duabus subapproximatis, angustis, denudatis, nigris, nitidissimis. — Antennæ valde breves. Epistoma breve.

Setæ mystacinæ utrinque subtres, tenues, albæ. Palpi longe albo-pilosi. Oculi rotundati. Abdomen subnitens. Alæ albescentes, nervis transversis & apice nervi auxiliaris leviter infuscatis. Segmentum costæ 2:dum 3:tio saltem $2\frac{1}{2}$ longius, at segmentum nervi longitud. 4:ti 2:dum 3:tio fere duplo brevius. Pedes puberuli, vix setulosi. Cauda maris inflexa, atra, nitida, obscure sangvineo- l. piceo-maculata, lamellis ventralibus brevibus subcylindricis, nigris; anus feminæ brevis, acutus, niger, piceo-maculatus. Cetera ut in antecedente.

46. *C. fulvipes:* cinereo-grisea, opaca, parce setulosa, immaculata; epistomate, palpis parum dilatatis, genisque, albidis, mystacibus pallidis; antennis brevibus, fulvis, apice rotundato, fusco; fronte modice lata, antice tota aurantiaca, postice cinerea; abdomine nigricante, nitente, ano nigro; pedibus mediocribus, cum trochanteribus flavo-fulvis, coxis posterioribus obscuris; alis flavidis, nervis transversis modice remotis. ♀. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 1837. p. 732. 32. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in monte subalpino Stöttingsfjellet 31 Jul. 1832 in unico exemplo inventa.

♀. Macula frontalis maxima aurantiaca, antennæ breves fulvæ, apice tantum brunneæ, setæ mystacinæ utrinque binæ, pallidæ, palpi subfiliformes, alæ flavicantes, nervis transversis remotiusculis, longitudinalibus 3 & 4 versus apicem leviter divergentibus, & pedes subsimplices fulvescentes sunt notæ, quibus species in hac serie statim dignoscitur. Frons non latissima, sed fere tota fulva, postice grisea. Orbitæ oculorum tenues, albidæ. Antennarum seta nuda, pallida, apice capillari, fusco. Epistoma perpendiculare. Palpi elongati, albidi, pilosi, apice summo nigricantes. Proboscis nigra. Oculi rotundi. Thorax cinereus, opacus, obsoletissime fusco-bilineatus. Abdomen oblongo-lanceolatum, acutum, nudiusculum, nigricans, nitidum, ano nigro. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere quadruplo longius; segmen-

tum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio vix dimidio brevius. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes elongati, fulvi, flavo-puberuli, vix setulosi.

Obs. *Cord. fulvipes* Meig. Dipt. 1837. 7. 341. 40. ♀. alia est species verosimiliter sub nostra *C. breviseta* (23) comprehendenda.

47. *C. pallicauda:* læte cinerea, opaca, parce setulosa; epistomate, palpis extrorsum dilatatis, mystacibus genisque, albis; antennis mediocribus atris; macula frontali, ano late, pedibusque totis, pallide flavis; alis pallide hyalinis, nervis transversis subapproximatis. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 733. 36. ♂.

Hab. in Lapponia per regionem silvaticam rarissime; duo tantum specimina lustravi, unum ad Lycksele Lapponiæ Umensis 4 Jun. 1832, & alterum ad Juckasjervi Lapponiæ Tornensis 24 Jun. 1821, capta.

♂. Per colorem corporis dilute cinereum l. canum, & reliquarum partium pallide flavum, antennas mediocres atras, mystaces albas & anum late albido-flavum, a reliquis diversa. Frons modice lata, antice macula pallida, postice & orbitis oculorum canescentibus. Antennarum seta nuda, obscura. Epistoma perpendiculare, latitudine & longitudine subæquale, album, setis mystacinis utrinque subtribus, albidis. Proboscis nigra. Oculi rotundati. Thorax & scutellum dilute l. subrufescenti canescentia. Abdomen lineare, clavatum, apice rotundatum, totum opacum, pallide puberulum, canum, segmentis 5 & 6 caudaque inflexa, totis pallidissime flavis. Segmentorum ratio ut in proxime præcedentibus. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis tenuibus albidis, ut in *C. lineata* (45) directis. Squamæ ciliatæ, albæ. Halteres pallidi. Pedes validiusculi, pallide pubescentes parum pilosuli, toti pallide flavi, coxis posterioribus dilute canis.

Obs. *Cordylura fuscinervis* Zett. Ins. Lapp. 733. 38 e serie specierum hujus generis excludenda, nam certe non est nisi varietas a. *Scatomyzæ squalidæ* p. 1972 n:o 10.

Obs. Cord. melanura Zett. Ins. Lapp. 731. 28 etiam e numero specierum omnino deleatur, etenim ♂ ibidem descriptus ad *C. pallipedem* (44), & ♀ ad *C. caudatam* (64) hujus operis pertinent.

b). Pedes antici sublus spinosi. Caput flavum, seta mystacina utrinque unica, nigra.

48. *C. spinigera:* thorace cinereo, opaco, parce setuloso, immaculato; capite cum antennis & proboscide flavo, epistomate, palpisque subfiliformibus, albidis; seta antennarum nuda, fusca; abdomine nigro, nitido; alis pallescentibus, nervis transversis modice remotis, segmento costali 2:do 3:tio triplo longiore; pedibus læte flavis, femoribus tibiisque anticis sublus nigro-spinosis. ♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 733. 34. ♀. (An *C. flavicornis* Meig. Dipt. 5. 239. 22 est mas hujus?)

Hab. in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ rarissime; in insula Hackstcn prope Schiervoe 28 Jul. 1821 specimen descriptum inveni.

♀. A *C. flavicorni* Meig., cui valde similis videtur, magnitudine nonnihil minore, thorace cinereo, nec cinereo-fusco, abdomine nigro, nec cinereo-fusco, pedibus læte flavis, nec rufis, & alis pallescentibus, nec hyalinis, differt. Cum vero Cel. *Meigen* rationem nervorum directionis in alis ad suam speciem afferre omnino omisit, identitatem tantum e conjectura verosimili, nec e notis positivis, affirmare audeo. — Frons non prominula, lata, tota flava, orbitis oculorum tenuissimis, albis. Punctum ocellorum fuscum. Vertex pone regionem ocellorum fusco-cinereus. Antennæ mediocres, deflexæ, apice rotundatæ, totæ flavæ, seta vix nisi nuda, fusca. Epistoma perpendiculare, subquadratum, album. Seta utrinque mystacina solitaria, nigra.

Palpi parvi, extrorsum parum latiores, albi, haud pilosi. Proboscis testacea. Barba menti tenuis, pallida. Oculi rotundati. Genæ longiusculæ, albæ. Thorax & scutellum cinerea. Abdomen lanceolatum, subdepressum, nigrum, nitidum, subtiliter depresso-puberulum, ano acuto, compresso. Alæ longitudine abdominis, haud latæ, cum nervis pallescentes. Nervi longitudinales: 2:dus elongatus, apice leviter flexus, 3 & 4 paralleli. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius, at segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio 1½ brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes toti pallide flavi, parum puberuli, coxis posterioribus basi fuscis. Pedum anticorum femora valida subtus una serie fortiter nigro-spinosa, & tibiæ subtus biseriatim etiam nigro-spinosæ, spinis in serie anteriore minoribus.

49. *C. ruficauda:* thorace cinereo, opaco, parce setuloso, supra immaculato; capite cum antennis & proboscide flavo, epistomate, palpisque subfiliformibus, albis; fronte latissima; seta antennarum distincte pubescente, fusca; pleuris rufo-maculatis; abdomine nigricante, nitente; alis pallescentibus, nervis transversis modice remotis, segmento costali 2:do 3:tio 2½ longiore; pedibus læte flavis, femoribus tibiisque anticis subtus nigro-spinosis; ano testaceo. ♂. (Long. 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 733. 35. ♂.

Hab. in Norwegia forte rarissime, mihi non obvia, sed in alpe Dovre a D. Prof. *Boheman* lecta mecumque communicata.

♂. Priori valde similis & affinis, sed præter discrimen sexus differt etiam antennarum seta manifeste pubescente, fere subplumata, nec nudiuscula, pleurarum maculis cinereo-rufescentibus, alarum segmento costæ 2:do forte nonnihil breviore, ut & abdominis segmentorum ultimorum maculis caudaque tota rufo-

testaceis; vix ejus mas. Frons tota flava, tantum puncto ocellorum fusco. Caput postice anguste fuscum. Pleuræ rufo-maculatæ, maculis supra coxas posteriores magis testaceis. Scutellum testaceum, lateribus fuscum. Alarum segmentum costæ 2:dum 3:tio fere $2\frac{1}{2}$ longius. Abdominis segmentum 6:tum longum lateribus, 7:mumque seu caudale breve totum, testacea; cauda inflexa tota flavo-testacea. Lamellæ ventrales flavæ. Pedes pallide pubescentes, anticorum femoribus tibiisque subtus duplici serie nigro-spinosis, spinis in altera serie minoribus. Reliqua ut in præcedente.

Obs. Cord. liturata Meig. Dipt. 5. 238. 19. in Scandinavia hactenus quidem non inventa fuit, quantum noverim, sed in insula Rugia circa Putbus versus finem Maji 1842 individuum masculum deprehendit D. *Dahlbom*, quod speciem genuinam Meigenianam puto, & cujus descriptionem pro comparatione cum duabus proxime præcedentibus, quibus valde accedit, afferre lubet:

C. liturata Meig.: thorace cinereo, opaco, parce setuloso, toto immaculato; capite cum antennis & proboscide flavo, epistomate, palpisque subfiliformibus, albis; fronte modice lata; seta antennarum nuda, nigra; abdomine nigro, nitido; alis cinereo-hyalinis, apice leviter fuscanis, nervis transversis subapproximatis, segmento costali 2:do 3:tio triplo longiore; pedibus anoque læte flavis, femoribus tibiisque anticis subtus nigro-spinosis. ♂. (Long. 2 lin.).

Ex hac diagnosi videtur *C. lituratam* a *C. ruficauda* per frontem paullo minus latam, antennarum setam nudam, nec aperte pubescentem, thoracem etiam subtus cinereum immaculatum, alas apice infuscatas, segmentum costæ 2:dum nonnihil longiorem, nervos transversos magis approximatos, ut & caudam flavam, nec rufam, recedere. Caput postice latius & usqũe ad punctum ocellorum cinereum. Alæ cinereo-hyalinæ, basi palle-

scentes, ad costam fere a medio usque ad apicem leviter fuscanæ. Segmentum costæ 2:dum 3:tio saltem triplo longius; at segmentum nervi longitud. 4:ti secundum tertio saltem duplo brevius. Abdomen lineare, clavatum, nigrum, nitidum, segmentis ultimis maculis lateralibus, caudaque inflexa tota, læte flavis. Cetera omnia exacte ut in *C. ruficauda.*

**. Antennæ longiusculæ.

†. Pedes fere toti pallescentes, femoribus saltem totis flavis.

50. *C. Friesi:* cinerea, opaca, setosa; epistomate subdeclivi, palpisque subdilatatis, albis; fronte lata, manifeste prominula, vitta media fulva lateribus late nigromarginata, macula ocellorum cinerea; antennis elongatis, latiusculis, fuscis, seta fere ultra medium incrassata, basi subgeniculata; setis mystacinis utrinque 3 nigris; ano rufo; alis albidis, costa nervisque transversis modice remotis distincte infuscatis; pedibus sordide flavis. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 729. 21. ♀.

Hab. in ripis arenosis ad flumina & lacus Sueciæ borealis & Lapponiæ, præsertim verno tempore, minus frequens; scilicet in Bottnia boreali & Lapponia Lulensi ad Bredåker, Tjomotis & Qvickjock, 1813, D.D. *Wahlberg* & *Andersson*; in Lapponia Tornensi ad Jackasjervi, 1821, Prof. *B. F. Fries* & ipse; e Lapponia in Sueciam temperatiorem descendit, & ad Gusum Ostrogothiæ rarissime inventa; a D. *Boheman* mihi quoque communicata. Ova oblonga, cylindrica, nuda, alba.

♀. Fronte distincte porrecta, antennis majusculis, seta valida, epistomate declivi, alis albescentibus, costa nervisque transver-

sis aperte fuscis, ano ferrugineo, pedibus testaceis tarsis concoloribus, pilositate, &c., ab affinibus dignota. Cinerea, opaca, undique setulosa. Frons latissima, plana, vitta media proportione angustata, fulva, lateribus sat late nigro-marginata, postice, pro macula ocellorum trigona cinerea, bifida. Orbitæ oculorum tenues albidæ. Antennæ longitudine fere epistomatis, oblique porrectæ, latæ, fuscæ, apice inferne subrotundatæ, superne leviter acutæ; seta fusca fere ultra medium incrassata & ad basin biarticulata, ad apicem articuli 2:di subgeniculata. Epistoma latitudine nonnihil longius, paullo declive, albo-corneum. Mystaces utrinque tres distinctiores, nigræ. Palpi parum incrassati, albi. Proboscis angustata, nigra. Oculi minusculi, rotundi. Genæ longæ, albæ. Occiput cinereum. Thorax & scutellum immaculata. Abdomen ovato-lanceolatum, acutum. Segmenta: 1:mum brevissimum, 2, 3, 4 & 5 æque longa, obscure cinerea, 6:tum 5:to fere paullo longius, acutum, triangulare, totum ferrugineum, nitidum. Anus parum exsertus, subcompressus, fusco-testaceus. Alæ longitudine saltem abdominis, modice latæ, albidæ, ad totam costam indeterminate, nervisque transversis fuscæ. Nervi longitudinales: 2:dus apice leviter flexus, 3 & 4 paralleli. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius, segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio fere $1\frac{1}{2}$ brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes mediocres, parce setulosi, sordide testacei, tarsis concoloribus, coxis posterioribus cinereis.

51. *C. planiceps:* cinerea, opaca, setosa; epistomate subdeclivi, palpisque subdilatatis, albis; fronte lata, manifeste prominula, vitta media fulva lateribus late cinereo-marginata, macula ocellorum cinerea; antennis elongatis, latis, atris, seta ad medium incrassata, nigra, basi subgeniculata; setis mystacinis utrinque 3 nigris; ano nigro-cinerascente; alis albo-hyalinis, subimmaculatis, nervis transversis subapproximatis, leniter fuscatis; pedibus sordide flavis. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Scatomyz. Suppl. 2. p. 12. 11. ♂. Zett. Ins. Lapp. 732. 30. ♂.

Hab. in ripis arenosis fluminum & lacuum a medio Maji usque ad initium Julii, cum præcedente valde rara; scilicet in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi a me deprehensa; in Westrogothia specimen typicum Fallenianum a D. Prof. *J. W. Dalman* detectum; in Ostrogothia ad Gusum exemplum a D. *Boheman* captum etiam vidi.

♂. Simillima priori, a qua vero præter differentiam sexus etiam magnitudine paullo minore, antennis totis atris, nec fuscis, ano nigricante, nec rufo, alis magis hyalinis minusque albidis, fere totis immaculatis, nervis transversis tantum leviter infuscatis, iisdemque nervis forte paullulum magis approximatis, differre videtur, quare ambas separatas descripsi, donec copulatio vel aliæ observationes in posterum forte aliter svadent. A sequente, cui etiam similis, fronte magis porrecta, vitta fulva longiore & angustiore, antennarum seta subgeniculata, corpore magis cinereo, nec nigricante, nervis transversis subinfuscatis, pedibus testaceis, nec flavis, tarsis concoloribus, nec nigris, &c., mox dignota. — Abdomen lineare, pilosulum, cinereum, segmentis 1:mo brevissimo, 2:do multo longiore, 3, 4, 5 & 6 subæque longis, 7:mo anali brevissimo, cauda inflexa cinerea (in specimine Westrogothico picea), pilosula. Lamellæ ventrales mediocres, rotundato-ovatæ, nigræ, hirsutæ. Pedes toti cum tarsis aut sordide flavi, aut sordide testacei, puberuli, sed parum pilosuli, tibiis parce & tenuissime setulosis. Femora præsertim antica plerumque superne leviter fusca. Coxæ posteriores cinereæ. In ceteris cum priore convenit.

Obs. Individua, quæ ut feminas hujus speciei in Insectis Lapponicis attuli, non ad hanc, sed ad *C. flavipedem* (52) referri debent.

52. *C. flavipes:* nigricans, subnitens, parce setulosa, thorace toto cinereo immaculato opaco; epistomate per-

pendiculari, palpisque subfiliformibus, albis; fronte modice lata, haud prominula, macula supra antennas majuscula, orbitis oculorum canis; antennis longiusculis, validis, nigris, seta basi incrassata; alis cinerascentibus, nervis transversis approximatis; pedibus flavis, tarsis obscuris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, modice clavatum, obscure cinereum, subnitens, pubescens, segmentis: 1 brevi, 2, 3, 4 & 5 subæque longis, 6 brevi, 7:mo seu anali brevissimo, cauda inflexa, lamellis ventralibus rotundatis, nigris; alis albidis, longitudine abdominis, nervis transversis distincte approximatis; pedibus albido-puberulis;

Fem.: abdomen oblongo-lanceolatum, acutum, nigrum, nitidum, glabriculum, lateribus pilosulum, segmentis: 1 brevissimo, reliquis subæque longis, horum ultimo angustiore, subtriangulari, ano subretracto; alis cinereis, abdomine fere longioribus, nervis transversis modice approximatis; femoribus parce nigro-pilosulis, tibiis parce nigro-spinulosis.

Var. a. ♂♀. alis cinerascenti hyalinis, immaculatis, parum fuscanis.

Fall. Scatomyz. 9. 7. ♂♀. verissima secundum specimina typica. — Zett. Ins. Lapp. 730. 24. ♂♀. — At Meigeni *Cord. flavipes* Dipt. 5. 239. 21. ♀. & Macquarti *Cleigastra* eadem Buff. 2. 386. 10. ♀. (apud quos Auctores "palpi subdilatati, antennæ fuscæ medio testaceæ & pedes toti ferruginei" describuntur, sed de proportione antennarum & ratione directionis nervorum in alis nulla fit mentio) potius ad nostras *C. punctipedem* (42), aut *C. pallipedem* (44) pertinere videntur.

Var. b. ♀. alis ad costam & apice leviter infuscatis; cum *C. Friesi* (50) toto coelo diversa, non confundi debet.

Hab. var. a. in graminosis ad agros, arva & lacus, nec non in foliis fruticum Salicis, Betulæ, &c., per Sueciam & Lapponiam, a medio mensis Maji usque ad initium Septemb., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Gyllebo (*Fallén*), &c.; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum non raro, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Westrogothia, *Gyllenhal*; in Gottlandia ad Furillen; in Wermelandia ad Årås; in Jemtlandia ad Åreskutan & Skalstugan, D. *Dahlbom*; in Bottniæ borealis paroecia Öfver-Luleå ad Råbäcken, Bredåker & Storsand, D.D. *Wahlberg* & *Andersson*; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele parce, in Lulensi ad Qvickjock. (Ad Neuenkirchen in Mecklenburg Strelitz 15—20 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* lecta). Ova elongata, nuda, alba. Var. b. in Ostrogothia ad Gusum a Prof. *Boheman*, & in Germania ad Neuenkirchen 20 Maji 1842 a Doct. *Dahlbom* cum var. a. parcissime lecta.

♂♀. Frons modice lata, setosa; antice macula supra antennas sat magna, ovata, flavo-fulva, basi utrinque ad orbitas oculorum canas usque dilatata & apice ad nigredinem verticis extensa; postice macula ocellorum cinerea. Antennæ longitudine fere epistomatis, latiusculæ, deflexæ, apice superno lenissime acuto, totæ nigræ, seta nigra nuda, basi incrassata. Epistoma subquadratum, albo-corneum. Setæ mystacinæ utrinque subtres, nigræ, superior distincta, inferiores tenues. Palpi albi, puberuli, extrorsum parum dilatati. Proboscis nigra. Oculi mediocres, rotundati, in viva obscure brunnei unicolores æneo-submicantes. Genæ longiusculæ, albæ. Occiput cinereum. Thorax & scutellum tota cinerea, immaculata, opaca, modice setulosa. Abdomen ut in diagnosi differentiæ sexus. Alæ albido-cinereæ, nervis ut in priore directis, sed transversis adhuc paullo magis (præsertim in ♂) approximatis, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio saltem duplo brevius. Pedes medio-

cres, flavi l. flavo-testacei, coxis posterioribus cinereis. Trochanteres posteriores fusci. Tarsi anteriores brunnei, postici plus minus intense nigri. Femora antica superne sæpe fusca. Genicula posteriora sæpe puncto fusco.

53. *C. brevifrons:* nigra, subnitida, parce setulosa, thorace cinereo, opaco, vitta utrinque laterali sternoque atris nitidissimis; epistomate perpendiculari, palpisque subfiliformibus, albis; fronte lata, haud prominula, atra, opaca, fascia supra antennas transversa fulvescente, orbitis oculorum albis; antennis elongatis, modice latis setaque valida nigris; alis cinereis, nervis transversis manifeste approximatis; pedibus flavis, tarsis nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas & femina ut in præcedente differunt.

Zett. Ins. Lapp. 729. 19. ♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum plerumque in vicinitate aqvarum, præsertim in Suecia boreali & Lapponia, ab initio Junii usque ad Augustum, passim frequens; scilicet in Dalecarlia alpestri; in Jemtlandia boreali ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen, minime rara; in Bottniæ borealis paroecia Öfver-Luleå ad Råbäcken capta & in pluribus individuis utriusque sexus a D.D. *Boheman* & *Andersson* communicata; in Lapponia Umensi ad Lycksele non parce, sed tantum in regione silvatica mihi obvia, vix in alpes adscendens; in Scania ad Abusa marem mense Majo semel quoque inveni. Ova ut in præcedente similia vidi.

♂♀. Per frontis thoracisque picturam, antennarum longitudinem nervorumque transversorum approximationem, ab affinibus præcipue dignoscitur. — A *C. flavipede*, cui similis & proxima,

antennis paullo longioribus (epistomatis apicem attingentibus) & angustioribus, apice superno distinctius acuto, fronte atra opaca, antice fascia (nec macula) transversa determinata flava l. fulva, thorace canescente, vittis lateralibus sat latis denudatis pectoreque atris nitidissimis, & denique alarum nervis transversis paullo magis approximatis, abunde differt. Frons parum prominula. Antennæ totæ cum seta nuda breviuscula, ad medium & ultra incrassata, basi bi-articulata, nigræ. Thoracis humeri præsertim læte canescentes, sed ipsi calli sæpissime denudati, atri. Alæ non albescunt. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio saltem duplo, fere $2\frac{1}{2}$ brevius. Pedes flavi, coxis posterioribus cum trochanteribus cinereis. Tarsi antici fusci, posteriores plerumque atri, interdum tantum obscuri. Genicula postica puncto brunneo. Reliqua ut in priore.

54. *C. leucostoma:* griseo-cinerea, immaculata, opaca, tenuiter setulosa; epistomate perpendiculari, mystacibus palpisque extrorsum leniter subdilatatis, albis; fronte modice lata, haud prominula, flava, orbitis oculorum tenuibus, albis, vertice cinerascente; antennis longiusculis, subvalidis nigris, seta basi incrassata; alis cinerascentibus, nervis transversis approximatis; pedibus totis cum tarsis flavis, coxis posterioribus cinerascentibus. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, forte rarissime, mihi in unico exemplo jam descripto a Prof. *Boheman* 1843 communicata.

♂. Color corporis grisescenti cinereus, macula frontalis flava magna, dilatata, mystaces albæ, & præcipue pedes toti (exceptis coxis posterioribus rufo-cinereis) cum tarsis flavi omnino immaculati, speciem ab affinibus denotant. A *C. flavipede* (52), cui proxime accedit, colore lætiore, setis mystacinis albis, nec nigris, lamellis ventralibus tarsisque flavis, nec nigris, in primis differt. Frons distincte setosa. Abdomen angustum, subcylindricum, basi cinereum, opacum, breviter albo-pilosulum, versus

apicem nigricans, subnitens, lamellis ventralibus mediocribus, testaceis. Segmenta ut in *C. flavipede* constructa. Alæ abdomine fere breviores, hyalinæ, ad costam anguste & lenissime subfuscanæ. Pedes simplices, flavi, albo-pubescentes, sed parum pilosi, tibiis tantum parce & tenuiter nigro-setulosi. Reliqua ut in *C. flavipede.*

55. *C. pilosa:* cinerea, subimmaculata, opaca, undique distincte setosa; epistomate, perpendiculari, palpisque extrorsum leniter subdilatatis, albis; fronte modice lata, prominula, macula supra antennas flava l. fulva, orbitis oculorum latiusculis, canis; antennis longiusculis, subangustatis, nigris, seta pubescente, basi incrassata; alis cinerascentibus, nervis transversis modice remotis; pedibus flavis, tarsis apice nigris, coxis posterioribus cinereis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, modice clavatum, cinereum, opacum, manifeste pilosum, segmentis: 1 brevi, 2, 3, 4 & 5 longioribus & invicem subæque longis, 6:to brevi, 7:mo seu anali brevissimo, caudaque inflexa grisea; lamellis ventralibus majusculis, ovatis cinerascentibus;

Fem.: abdomen oblongo-lanceolatum, cinereum, subopacum, lateribus & postice pilosum, segmentis: 1 brevi, reliquis longioribus & invicem æque longis, horum 6:to seu ultimo trigono, acuto, apice sæpe cinereo-testaceo, ano subretracto, subtus parum tantum prominulo.

Zett. Ins. Lapp. 732. 33. var. a. & b. ♂♀.

Hab. in Suecia boreali & Lapponia, Jun. Jul., minus frequens; scilicet in Westrogothia & Dalecarlia, D. *Boheman*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Bottniæ borealis paroecia Öfver-Luleå ad Råbäcken a D. *Andersson* capta & in pluribus individuis utriusque sexus mecum communicata; in Lapponia Umensi ad Lycksele &

Nästansjö, rarius, ipse. (In insula Rügia ad Putbus jam 31 Maj. 1812 a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Corpore partibusque sat fortiter setosis, fronte prominula, antennarum seta distincte pubescente, nervis transversis minus approximatis, tarsis apice nigris, &c., facillime a reliquis hujus seriei dignoscitur. Frons modice lata, vitta frontali nigra, antice flavo- l. fulvo-maculata, & albido-micante, postice cinerea. Orbitæ oculorum latiusculæ, canæ. Antennæ elongatæ, haud latæ, apice superno acuto, totæ atræ, puncto albicante in apice articuli 2:di; seta pubescente nigra, basi incrassata. Epistoma latitudine fere longius, album. Palpi albi, pilosuli, extrorsum parum dilatati. Proboscis atra. Mystaces nigræ, unica utrinque & superior longa, valida, inferiores 2 l. 3 exiguæ sensim decrescentes. Oculi majusculi, subrotundati. Genæ mediocres, albæ. Thorax immaculatus, antice lineolis fuscis mox abbreviatis. Alæ abdominis saltem longitudine, latiusculæ, pallide cinereæ, nervis ut in prioribus directis, sed segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio vix dimidio (nec duplo) breviore. Costa subnuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, albæ. Halteres pallidi. Pedes robusti nigro-setulosi, & pallide sat longe pubescentes (præsertim in femoribus subtus & in primis in ♂); toti flavi, coxis posterioribus cinereis. Tarsi omnes apice nigricantes, at tarsi postici plerumque toti nigricantes in medio testacei.

56. *C. validicornis:* griseo-cinerea, immaculata, opaca, undique distincte setosa; epistomate perpendiculari, palpisque dilatatis, albis; fronte lata, leviter prominula, fulvo-flava, orbitis oculorum latiusculis posticeque griseo-cinereis; antennis longiusculis, manifeste dilatatis, nigris, basi subrufescentibus, seta nuda, fere ad medium incrassata; alis cinerascentibus, nervis transversis modice remotis; pedibus flavis, coxis posterioribus cinereis. ♂. (Long. fere 2 lin.).

Hab. in Dalecarliæ paroecia Särna, ubi a D. *Boheman* medio mensis Junii inventa, mihique in uno exemplo pro describendo missa, a me numquam reperta.

♂. Affinis & similis priori, sed fronte latiore, paullo minus prominula, vitta media latiore, fere tota flava, tantum postice in regione ocellorum cinerea, antennis distincte latioribus, basi sordide testaceis, seta nuda, fere ad medium incrassata, basi biarticulata & ad apicem articuli 2:di subgeniculata, palpis nonnihil latioribus, oculis paullo minoribus, rotundatis, genis nonnihil longioribus, pedum tarsis totis sordide testaceis, apice vix obscurioribus, & denique lamellis ventralibus in ♂ mediocribus, ovalibus, rufescentibus, nec cinereis, vere diversa. Reliqua exacte ut in præcedente.

††. Pedes nigricantes, femoribus saltem nigris.

57. *C. obscura:* griseo-cinerea, immaculata, opaca, parce setulosa, abdomine femoribusque brevissime puberulis; epistomate perpendiculari, palpisque subfiliformibus, albidis; fronte latiuscula, non prominula, fulvo-lutea, antice macula flava, postice cinerea, orbitis oculorum canis; antennis mediocribus nigricantibus, basi obscure testaceis, seta subnuda, basi incrassata; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis remotiusculis, horum medio mox pone apicem auxiliaris ducto; pedibus griseis, anteriorum geniculis summis, omniumque tibiis tarsisque flavo-testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}-1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen subcylindricum parum clavatum, ano rotundatum; segmentis: 1 brevi, 2 duplo longiore, 3, 4 & 5 subæque longis, 6 brevissimo, 7 seu anali brevi, cauda inflexa mediocri, cinerea, genitale ferrugineo, lamellis ventralibus parvis, conicis, nigris;

Fem.: abdomen sublanceolato-oblongum, segmentis: 1 brevi, 2 duplo longiore, 3, 4 & 5 æque longis, 6 quinto paullo longi-

ore, margine apicali truncato, ano plerumque retracto, lamina utrinque laterali, subtrigona, grisea, opaca, intra quam apparatus sexualis parum prominulus, acutus niger, nitidus, in medio superne tuberculis 2 parvis ejusdem coloris; in copula.

Fall. Scatomyz. 9. 6. ♂♀. certissime secundum specimina typica. *(Cord. obscura* Meig. Dipt. 5. 240. 21: "corpore nigricante" &c., atque *Cleigastra* eadem Macq. Buff. 2 385. 3, vix ad hanc, sed forte potius ad sequentem speciem, referri debent).

Hab. in graminosis Scandinaviæ, a medio mensis Junii ad medium Septembris mihi passim obvia, plerumque in vicinitate aquæ; in copula pluries capta; nempe in Scania ad Kjeflinge *(Dahlbom)*, Vidtsköfle *(von Borck)*, & Esperöd; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum haud raro; in Lapponiis: Umensi in Stöttingsfjellet semel; Lulensi ad Tjomotis & Qvickjock, D. *Wahlberg;* Tornensi ad Wittangi & Palojoënsuu rarissime; in Norwegia, D. *Eb. Rosenschöld;* ex Hafnia Daniæ a D. *Staeger* communicata.

♂♀. Fronte in medio fulvo-lutea, antice macula pallida, antennis basi subtestaceis, abdomine femoribusque griseis manifeste opacis, brevissime omnium, sed sat dense cinereo-puberulis, non pilosis nec setulosis, & alarum nervis transversis levissime infuscatis modice remotis, nec approximatis, horum medio nonnihil pone auxiliaris apicem ducto, a sequentibus suæ seriei diversa. Antennæ epistomate nonnihil breviores, modice latæ, apice haud acutæ; nigræ, basi saltem superne plus minus testaceæ; seta longiuscula capillari, basi late (sed non ad medium) incrassata. Mystaces utrinque subtres, nigræ. Proboscis nigra. Oculi majusculi, rotundati. Genæ mediocres, albæ. Alæ abdomine nonnihil longiores, cinereæ, basi pallidiores. Nervi lon-

gitudinales: 2:dus apice leviter inflexus, 3 & 4 paralleli, 5:tus ad marginem extensus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius, at segmentum nervi longitudinalis 4:ti 2:dum 3:tio $1\frac{1}{2}$ brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes validiusculi puberuli, non pilosi, tibiis tantum parcissime setulosis; coxis femoribusque grisescentibus; pedum anteriorum trochanteribus & genubus anguste, omniumque tibiis & tarsis rufo- l. flavo-testaceis.

58. *C. tibiella:* cinerea, immaculata, opaca, parce setulosa; epistomate perpendiculari, palpisque extrorsum leniter dilatatis, albis; fronte modice lata, haud prominula, atra, macula antica ovata, fulva, orbitis oculorum tenuibus albis; antennis longiusculis, subvalidis, nigris, seta nuda ad medium incrassata; alis cinereo-albis, nervis transversis approximatis, horum medio paullo pone apicem auxiliaris ducto; pedibus nigris, tibiis testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 731. 25. An *Cord. obscura* Meig. Dipt. 5. 240. 24? (exclus. syn. Fall.). — *Cleigastra obscura* Macq. Buff. 2. 385. 3?

Hab. in Scandinaviæ præsertim borealis & Lapponiæ graminosis udis, ut & in ripis fluminum arenosis, Jun. Jul., passim; scilicet in Jemtlandia boreali ad Skalstugan raro; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Lulensi ad Qvickjock *(Andersson)*, & Tornensi ad Juckasjervi, passim; in Norwegia ad Dovre, D. *Boheman*, & in inferalpinis Nordlandiæ ad Björkvik, ipse; e septentrione in Sueciam inferiorem parce descendit, & ad Nacka prope Holmiam a Prof. *B. F. Fries* capta; e Dania a D. *Staeger* 5 Aug. 1843 missa. (Ad Neuenkirchen in Mecklenburg Strelitz jam 20 Maj. a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Per frontis maculam flavam breviter ovatam, setam antennarum fere ad medium incrassatam, alas subalbescentes (saltem in ♂), segmentum nervi longitudinalis 4:ti 2:dum 3:tio saltem duplo brevius, & denique pedes nigricantes, tibiis tantum testaceis, a sequentibus hujus seriei dignoscitur. — *C. nigripedi* (26) etiam valde similis & affinis, sed thorace toto cinereo opaco (nec nigricanti-nitente) differre videtur. Frons in medio atra, antice macula breviter ovata fulva, postice cinerea; orbitis oculorum albo-cinereis. *Setæ* mystacinæ utrinque subbinæ, nigræ. Proboscis atra. Antennæ longitudine epistomatis, angulo apicali superno acuto, seta subbreviuscula, nigra, ad medium incrassata. Oculi majusculi. Genæ mediocres. Abdomen nigricans, subnitens, ut in *C. nigripede* constructum. Alarum segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius; nervi: longitudinales 3 & 4 paralleli, transversus ordinarius manifeste ante medium areæ insertus, ita ut segmentum nervi longit. 4:ti 2:dum 3:tio saltem duplo brevius. Pedes simplices, pubescentes & pilosuli, nigricantes, tibiis parcissime setulosis, fuscotestaceis, tarsis plerumque obscurioribus. Alæ in ♀ parum vel vix albidæ.

Obs. Varietas feminea similis descriptæ, sed recedens pedum anteriorum trochanteribus femorumque ima basi etiam testaceis, seta antennarum subtilissime puberula, e Glogavia a D. *Zeller* missa.

59. *C. armillata:* obscure cinerea, opaca, setulosa; epistomate subperpendiculari, palpisque extrorsum leniter dilatatis, albis; fronte lata, leviter subprominula, atra, antice fascia flava, postice cinerea, orbitis oculorum albidis; antennis longis, validiusculis, nigris, seta nuda, basi late incrassata; alis subhyalinis, nervis transversis manifeste approximatis, horum medio paullo pone apicem auxiliaris ducto; pedibus flavo-testaceis, coxis totis, femoribusque ultra medium nigricantibus. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas & *femina* ut in priore differunt.

Hab. in Scandinavia meridionali Jun. Jul. rarius; scilicet in Scania ad Lund & Abusa; ex Hafnia Daniæ sub nomine »*Cord. tibiella* var." a D. *Staeger* 5 Aug. 1843 missa.

♂♀. *C. tibiellæ* valde similis, sed frontis macula antica supra antennas flava transversa, fasciformi, nec ovata, alarum nervis transversis adhuc magis congestis, horum medio paullo distinctius pone apicem auxiliaris inserto, alis in utroque sexu haud albidis, & denique femoribus apice sat late tarsisque saltem basi ferrugineis, vere distincta. — Frons leviter subprominula. Antennarum seta non usque ad medium incrassata. Alarum segmentum costæ 2:dum 3:tio fere triplo (saltem $2\frac{1}{2}$) longius; segmentum nervi longit. 4:ti 2:dum 3:tio fere triplo (saltem $2\frac{1}{2}$) brevius. Pedes mediocres, sordide flavi l. ferrugineo-testacei, coxis totis femoribusque a basi ultra medium nigricantibus. Tarsi quoque apice interdum infuscati. Trochanteres ferruginei. Cetera ut in priore.

60. *C. cinerella:* cinerea, immaculata, opaca, parce setulosa; epistomate subperpendiculari, palpisque extrorsum leniter dilatatis, albis; fronte modice lata, haud prominula, antice longe fulvo-flava, postice cinerea, orbitis oculorum canis; antennis longiusculis, subvalidis, nigris, seta subnuda, basi incrassata; alis cinereis, nervis transversis remotiusculis, horum medio apici auxiliaris opposito; pedibus nigro-fuscis, femoribus posterioribus basi, genubus omnibus, tibiis tarsisque testaceis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas & *femina* ut in priore differunt. Nervi transversi, ut vulgariter, in ♀ nonnihil magis distantes, quam in ♂, quod tamen vix nisi comparatione attente instituta observatur.

Hab. in Dania, D. *Staeger*, qui mihi 2 mares & 1 feminam, sub nomine »*C. tibiella* Z., & iterum 1 feminam sub nomine »*C. immunda* Z.« communicavit.

♂♀. Macula frontalis flava magna, pedum color dilutior, at præcipue nervi transversi subremoti, medius apice auxiliaris præcise oppositus, speciem denotant. A *C. tibiella* (58), cui proxime accedit, macula frontali flava versus verticem longius extensa, nigredinem mediam fere omnem excludente, femoribus posterioribus basi apiceque tarsisque omnibus fere totis testaceis, ut & nervorum directione, recedit. Orbitæ oculorum in vertice latiusculæ canæ. Setæ mystacinæ utrinque subbinæ, nigræ. Alarum segmentum costale 2:dum 3:tio $2\frac{1}{2}$ longius; segmentum nervi long. 4:ti 2:dum 3:tio circiter $1\frac{3}{4}$, vix duplo, brevius. Nervus transversus ordinarius a margine sat longe remotus. Pedes mediocres, testacei, coxis omnibus & totis nigricantibus, femoribus anticis a basi & fere ad apicem, posterioribusque in medio latissime, nigro-fuscis. Reliqua ut in diagnosi, aut in *C. tibiella*.

61. *C. immunda:* obscure grisea, immaculata, opaca, setosa; epistomate perpendiculari, palpisque extrorsum leniter dilatatis, albis; fronte lata, vix prominula, antice longe fulvo-flava, postice cinerea, orbitis oculorum canescentibus; antennis longiusculis, angustatis, nigris; alis cinerascentibus, nervis transversis sat late remotis, horum medio paullo pone apicem auxiliaris ducto; pedibus livido-testaceis, coxis totis, femoribusque ultra medium nigricantibus. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 733. 37. ♀.

Hab. in Norwegiæ alpe Dovre, a Prof. *Boheman* inventa mihique in unico specimine communicata. A me viva numquam observata.

♀. Per antennas angustiores, & nervos transversos longius distantes, ordinarium fere ad marginem retractum, in hac serie ab aliis distingvitur. Similis *C. clavatæ* (38) ♀, sed differt: magnitudine paullo minore, antennis nonnihil longioribus, palpis, ut in specimine sicco & vetusto videtur, paullo minus dilatatis, & denique nervo longitudinali 4:to apice levissime tantum inflexo, nec tam perspicue incurvato, ac in *C. clavata*. A *C. armillata* (59), cui pedum colore similis, macula frontali flava magna, quadrata, nec fasciformi, & nervorum directione, toto coelo diversa. — Grisea, setulosa. Setæ mystacinæ utrinque subtres, nigræ. Palpi albi, extrorsum modice dilatati, summo apice levissime fusco. Abdomen ut in *C. caudata* (64) constructum, obscurum. Alæ abdomine nonnihil longiores. Nervi longitudinales: 2:dus apice rectus, 3 & 4 paralleli, 5:tus vix ad marginem continuatus, mox infra transversum abruptus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo longius; segmentum nervi long. 4:ti 2:dum & 3:tium fere æque longa. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes mediocres, setosi, obscure ferruginei, coxis trochanteribusque totis, femoribus anticis posticisque fere ad apicem, saltem ultra medium, intermediisque ad medium, nigricantibus. — An hujus aut sequentis seriei? Mas deest pro loco justo determinando.

β. Cauda masculorum utrinque ciliis longis ferrugineis instructa. (*C. clavata* cauda ♂ breviter ciliata sub n:o 38 invenienda. — An *C. immunda* n:o 61 etiam ad hanc seriem referenda?) Mares & feminæ valde discrepantes. Forte proprii generis, cui nomen aut *Okenia* aut *Pogonota* jam propositum fuit.

*). Alarum nervi transversi in mare quatuor.

62. *C. Hircus:* flavido-cinerea, subopaca, ano concolore; antennis elongatis, lividis (♂), aut fusco nigris (♀); macula frontali pedibusque fulvo-flavis; epistomate

stramineo; palpis dilatatis, albidis; nervo transverso ordinario subarcuato. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ $2\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, inæquale; segmenta: 1 breviusculum, 2 fere triplo longius, 3 secundo fere duplo brevius, 4 tertio dimidio brevius (seu longitudine circiter 1:mi), 5 qvarto dimidio longius (seu longitudine 3:tii), subelevatum, 6 brevissimum (seu antecedente qvintuplo brevius), 7 6:to duplo longius; cauda oblongo-ovata, crassa, longitudine fere segmentorum 4, 5, 6 & 7 simul sumtorum, obscure grisea, nigropilosula, appendice bivalvi, valvulis longitudine caudæ, nigris, ad apicem longe & dense ciliatis, ciliis ferrugineis nitidis utrinque assurgentibus & abdominis segmenta ultima cingentibus, in dorso abdominis fere convergentibus; præterea sub ano styli 2 clavati, flavi; laminæ ventrales ordinariæ parvæ, rotundatæ, nigræ; barba menti longitudine proboscidis, ferruginea, nitida; antennæ testaceæ; alæ cinereo-albidæ, nervis basi flavescentibus, ad apicem crassiusculis nigris; nervi longitudinales: 2:dus apice inflexus, ad flexuram breviter appendiculatus, 3 & 4 versus apicem divergentes, 5:tus totus niger, ad marginem non extensus, mox pone transversum ordinarium abruptus; nervi transversi: medius paullo pone apicem nervi auxiliaris ductus, ordinarius fere in medio areæ insertus, & præterea duo alii recti inter nervos longitudinales 3 & 4 siti, quorum alter ordinario plerumque oppositus, alter in medio segmenti nervi longitud. 4.ti tertii ductus; femora antica subtus fasciculis pilorum nigrorum duobus, quorum alter in medio, alter ad basin pilis pallidis mixtus; tibiæ anticæ intus in medio excisæ & breviter nigro-ciliatæ;

Fem.: abdomen lanceolatum; segmenta: 1 breve, 2, 3 & 4 duplo longiora, 5 quarto dimidio brevius, 6 qvinto iterum dimidio brevius, cauda parum prominula compressa nigra, ut in *C. caudata* (64) constructa; mentum breviter pallido-barbatum; antennæ nigræ, basi superne macula flava; alæ cinereæ, nervis basi pallescentibus, ad apicem fuscioribus; nervi longitudinales: 2:dus apice inflexus absque appendice, 3 & 4 versus apicem

parum divergentes, 5:tus mox pone transversum ordinarium abbreviatus; nervi transversi: medius & ordinarius ut in mare, sed illi duo alii inter nervos long. 3 & 4 deficientes; femora antica subtus brevissime nigro-subciliata; tibiæ anticæ intus integræ, subnudæ.

Zett. Ins. Lapp. 735. 43. ♂. *Cord. sponsa* Zett. Ins. Lapp. 735. 44. ♀.

Hab. locis uliginosis Sueciæ borealis & Lapponiæ, Jul. Aug., minus frequens; scilicet in Westrogothia ad Haijstorp, in Uplandia ad Holmiam & in Dalcarlia, rarius, D. *Boheman*; in Jemtlandia boreali ad diversorium Stalltjernstugan rarissime; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Wilhelmina, Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg*, Tornensi, D. *Deutsch*. (Ex Uleåborg Finlandiæ a D. *Nylander* communicata).

♂♀. In hac subdivisione maxima. Frons modice lata, parum prominula, vitta flava. Vertex griseus. Orbitæ oculorum anticæ albidæ. Antennæ longitudine fere epistomatis, modice latæ, apice superno subacuto, seta nuda, basi incrassata. Mystaces utrinque plures, nigræ. Proboscis nigra. Oculi majusculi, rotundati. Genæ mediocres, albæ. Thorax & scutellum parce setosa. Abdomen puberulum, obscure griseum, nitens. Alæ abdominis longitudine, subangustatæ. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ minutæ & halteres sordide alba. Pedes ferrugineo-flavi, coxis anticis latere postico, posterioribusque cum trochanteribus totis griseo-cinereis. Femora antica valida supra nudiuscula, intermedia mediocria, latere antico & ad apicem utrinque parce nigro-setulosa, postica elongata latere antico una serie nigro-setulosa. Tibiæ omnes parcissime nigro-setulosæ.

63. *C. barbata:* griseo-cinerea, subopaca, ano flavo; antennis elongatis, lividis (♂); macula frontali pedibusque fulvo-flavis; epistomate, palpisque dilatatis, pallide

stramineis; nervo transverso ordinario subarcuato. ♂. (Long. 3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 731. 42. ♂.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime, mihi numquam obvia, sed a beato *Deutsch* in unico specimine communicata.

♂. Color, structura partium, barba menti & caudæ, directio nervorum in alis, armatura pedum & omnia ad minimum punctum ut in mare præcedentis, a qua tantum cauda tota manifeste pellucido-flava, appendice inflexa concolore & palpis flavis, nec albis, differt. Hic tamen color caudæ & appendicis tam determinatus videtur, ut potius nota speciei, quam varietatis junioris considerari possit. — Femina deest.

**). Alarum nervi transversi in mare duo.

64. *C. caudata:* nigricans, nitida, parum cinereomicans, immaculata; antennis longiusculis flavis (♂), aut nigris (♀); macula frontali epistomateque pallide flavis; palpis subdilatatis, albis; nervis transversis remotis, rectis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen cum segmentis & cauda ut in præcedente constructum, sed magis nigrum, nitidum; appendices caudæ bilaminatæ, laminis longitudine dimidiæ caudæ, oblongæ, reflexæ, nigræ, opacæ, apice rotundatæ ciliatæ, ciliis longis ferrugineis nitidis supra abdominis dorsum conniventibus; præterea duo aliæ appendices sub ano geniculatæ nigræ; antennæ longiusculæ, totæ flavæ; mystaces pallidæ; segmentum costæ alarum inter apices nervorum secundarii & auxiliaris pilosum; femora antica a basi ad medium incrassata, & in parte incrassata subtus ciliata; tibiæ anteriores basi angustatæ deinde subincrassatæ & sat longe pilosæ;

Fem.: abdomen ovato-lanceolatum, nigrum, nitidum, subnudum, incisuris tenuiter cinerascentibus; segmenta: 1:mum breve cum 2:do duplo saltem longiore connatum, 3, 4 & 5 modice & subæque longa, 5:tum tamen 4:to paullo brevius, 6:tum brevissimum, retractum, in medio supra pro receptione ani leviter subelevatum; anus acutus compressus, a latere visus triangularis, niger immaculatus, acumine parvo apice prominulus, in medio tuberculis 2 approximatis, minutis nigris pilum nigrum e centro exserentibus instructus; antennæ nonnihil breviores, basi testaceæ, articulo ultimo nigro; costa tota nuda; femora antica valida, subtus breviter ciliata; tibiæ anteriores subsimplices, parcissime setulosæ; in copula.

Zett. Ins. Lapp. 734. 40. ♂. *Cord. melanura* Zett. Ins. Lapp. 731. 28. ♀. (♂ ibidem allatus non huc, sed ad *C. pallipedem* (44) pertinet).

Hab. in graminosis & foliis Salicis præsertim glaucæ in vicinitate aquæ, per Scandinaviam borealem & Lapponiam, Jul. Aug., passim frequens, in copula etiam aliquoties capta; scilicet in Dalecarlia rarius; in Jemtlandia boreali usque ad Åreskutan & Skalstugan vulgaris; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina & lacum Stor-Uman, passim; Lulensi ad Jockmock, Tjomotis & Qvickjock, D. *Wahlberg*, & Tornensi ad Kengis, Karesuando & Palojoënsuu &c., frequens; in Norwegia ad Dowre, D. *Boheman*, in jugo alpino inter Suul & Kongsstuen Wærdaliæ, D. *Dahlbom*, & in Finmarkia ad Bossekop parce, ipse.

♂♀. Magnitudo & statura *C. hæmorrhoidalis* (43). Frons non lata, in medio breviter & inæqvaliter nigra, antice flava, postice cinerea. Antennarum seta nuda, capillaris, basi leniter incrassata. Epistoma perpendiculare. Mystaces utrinque plures, breviusculæ. Proboscis nigra. Mentum non barbatum. Oculi mediocres, rotundati. Genæ mediocres, albæ. Pleuræ obscure cinereæ, opacæ. Alæ albido-pallescentes, vitta longi-

tudinali media leviter fuscana. Nervi ut in ♀ *C. Hircus* (62) directi. Nervus transversus ordinarius paullulum tantum ante medium areæ insertus, inde segmenta nervi longitudinalis 4:ti 2:dum & 3:tium subæque longa. Squamæ minutæ & halteres sordide albida. Pedes ut in *C. Hircus* constructi, vestiti & colorati, at variant sæpe in ♀ subfusco-ferruginei vel sordide testacei.

65. *C. crassipes:* cinereo-nigricans, pilosa, thorace fusco-bivittato; capite flavo-albido, vertice griseo; palpis subdilatatis, albis; antennis brevibus, poboscide abdomineque nitido, nigris; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis; pedibus luteis, femoribus crassis, inermibus. ♂. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: cauda inflexa, subtus utrinque lamina retracta, dense ferrugineo-ciliata.

Zett. Ins. Lapp. 731. 11. ♂.

Hab. in Suecia media & boreali rarissime; in Ostrogothia ad Gusum atque in Gottlandia, teste D. *Wahlberg*; in Dalecarlia a D. *Boheman* primum inventa mecumque ad describendam communicata; mihi numquam obvia.

♂. Affinis *C. caudatæ*, sed major, & antennis brevioribus, nigris, thorace magis griseo, nervis transversis magis approximatis, pedibus crassioribus, laminis caudalibus non reflexis, copiose distincta. Palpi albidi, apice subdilatati. Halteres flavi. Coxæ anticæ luteæ, posteriores cinereæ.

Tribus II corpore pallescente *). Nervi transversi modice remoti.

*) thorace sæpe plus minus infuscato; abdomine in ♂ *C. dorsatæ* (67) var. b. nigro, at pleuris ferrugineis.

66. *C. tarsea:* tota flavo-ferruginea, nitida, parce pilosa; epistomate, palpisque filiformibus, albidis; antennarum mediocrium articulo ultimo, tarsisque, nigris; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, subincurvum, segmentis: 1 brevi, 2 duplo longiore, 3, 4, 5, 6 & 7 brevibus subæque longis, cauda majuscula, inflexa, lævi, nitida, flava breviter cinereo-puberula, lamellis ventralibus parvis acutis ferrugineis, apice nigris;

Fem.: abdomen sublanceolatum, segmentis 2 ultimis anoque compressis, segmentis: 1 brevi, 2 vix duplo longiore, 3, 4, 5, 6 brevibus subæque longis, 7:mo seu anali antecedente triplo longiore, valde compresso, nitido, glabro, a latere viso triangulari, cauda brevi subprominula, apice acumine reflexo.

Fall. Scatomyz. 8. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 242. 27. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 735. 47. ♂♀.

Hab. in graminosis plerumque locis paludosis, saltem in vicinitate aqvæ, per Succiam, Daniam & Lapponiam a medio Junii ad medium Augusti, sat vulgaris; scilicet in Scania a Lund, Kjellby, Kjeflinge, & hinc inde certis annis copiose; in Smolandia D. D. *Bogeman*, *Ljungh* & *Boheman;* in Ostrogothia rarius observata ex. gr. ad Gusum & Lärketorp; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*, ad Upsaliam Prof. *Thunberg;* in Dalecarlia parce; in Jemtlandia ad Åreskutan raro; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Wilhelmina & Tresunda frequens; in Dania haud rara, D. *Staeger*.

♂♀. Subcylindrica, flavo-ferruginea, nitida, glabra, capite thoraceque parce nigro-setulosis. Frons lata, opaca, puncto ocellorum nigro. Orbitæ oculorum tenues, albidæ. Antennæ vix longitudine epistomatis, subangustatæ, nigræ, basi rufæ, apice rotundatæ, seta subnuda, nigra, basi incrassata. Epistoma perpendiculare. Seta mystacina utrinque unica, nigra. Palpi fili-

formes, albi. Proboscis nigra, basi ferruginea. Barba menti nulla. Oculi minusculi rotundi. Genæ longiusculæ, albæ. Caput postice flavum. Abdomen nudum, ferrugineum, incisuris anoque interdum nigris præsertim in ♀. Nervi longitudinales: 2:dus apice rectus, 3 & 4 paralleli; transversi: subremoti. Segmentum costæ 2:dum 3:tio $2\frac{1}{2}$ longius, at segmentum nervi long. 4:ti secundum 3:tio circiter $1\frac{1}{4}$ brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ minutæ & halteres pallida. Pedes validiusculi, nudi, flavi, tibiis parce setulosis; tarsis nigricantibus. Varietas abdominis incisuris nigris in alpestribus præcipue occurrit.

Var. b. *aucta*, ♂; Fall. l. c. var. *β*. ♂. alis nempe præter nervos transversos duos normales adhuc nervulo uno transverso inter nervos long. 3 & 4, jam ordinario fere opposito, jam paullo pone hunc sito auctis. Cum varietate a. ad Lund & Kjellby aliquot individua mascula inveni.

67. *C. dorsata:* ferrugineo-flava, subnitens, parce pilosa; epistomate, palpisque parum dilatatis, albis; antennis mediocribus flavis; thoracis dorso fusco-cinereo, lineolis 2 angustissimis, nigris; abdomine aut nigro (plerumque in ♂), aut ferrugineo incisuris nigris; alis subhyalinis. ♂♀. (Long. circit. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas & femina ut in priore differunt.

Var. a. ♂♀. abdomine maris nigro-ferrugineo, feminæ ferrugineo, incisuris in utroque sexu nigris.

Zett. Ins. Lapp. 735. 46. ♀. var. a. & b.

Var. b. ♂♀. abdomine nigro, feminæ nigro-ferrugineo incisuris nigris.

Cord. pectoralis Zett. Ins. Lapp. 734. 39. ♂♀.

Hab. in fruticibus Betulæ & in graminosis ad ripas fluminum Lapponiæ, 6 Jun.—28 Jul., minus frequens; scilicet in Lapponia Lulensi ad Kamajock prope Qvickjock,

1843, D. *Boheman*; in Norwegia: in alpe insigni Kälahög in jugo alpino usque ad regionem nivalem (circiter 3000 ped. supra mare) adscendens, 1840, D. *Dahlbom*, & in inferalpinis Nordlandiæ ad Giebostad, ipse; varietas b. præsertim in convallibus prope rivulos ad Drivstuen in Drovre, D. *Boheman*.

♂♀. Simillima priori, a qua tamen antennis totis flavis, thoracis dorso griseo-cinereo subopaco, abdomine aut toto aut saltem incisuris nigro, ut & tarsis parum infuscatis, saltem non nigris, certe distingvitur. Frons fulva. Antennæ fulvo-flavæ, seta nigra. Palpi subdilatati, albi. Proboscis testacea, apice infuscata. Thorax disco dorsali obscure l. fusco-cinereus opacus, lineolis 2 mediis subapproximatis, angustissimis, nigris nitidis. Scutellum aut totum cinereum, aut testaceum lateribus cinereum. Alæ subhyalinæ, levissime subfuscanæ. Pedes flavi, tarsis plus minus infuscatis. Reliqua omnia exacte ut in *C. tarsea*.

68. *C. abdominalis:* cinerea, opaca, tota distincte setulosa; epistomate, palpisque subdilatatis, albis; fronte fulva; antennis magnis, luteis; abdomine ferrugineo, incisuris nigricantibus; pedibus flavis, tarsis obscuris; alis subhyalinis. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi rarissime; in cacumine alpis Snjerrack 15—13 Jul. 1843 a Prof. *Boheman* inventa, mihique in aliquot speciminibus ad describendam communicata.

♂. Per pilositatem totius corporis, thoracem totum cinereum, immaculatum opacum, frontem subprominulam, latissimam, fulvam, antennas grandes & setam crassiusculam, a prioribus hujus Tribus copiose distincta. — Frons setosa. Orbitæ oculorum canæ. Punctum ocellorum & occiput cinerea. Antennæ longitudine epistomatis, latæ, apice subtus rotundatæ, totæ luteo-testaceæ, articulo ultimo superne infuscato, seta subbreviuscula,

nuda, nigra, ad medium incrassata, basi biarticulata. Epistoma subperpendiculare. Setæ mystacinæ utrinque subbinæ, nigræ, superior valida, inferior exigua. Proboscis nigra. Oculi minusculi, rotundi. Genæ sublongæ, flavo-albæ. Caput postice cinereum. Thorax læte cinereum, vestigio linearum 2 tenuissimarum distantium nigrarum. Scutellum concolor. Abdomen lineare, leviter clavatum, nitidum, ferrugineum, supra ad latera nigro-pilosum, subtus albido-pubescens, incisuris anterioribus, segmento 1:mo fere toto, lineaque dorsali antica (in uno exemplo), obscure cinerascentibus. Segmenta: 1 breve, 2 longius, 3, 4 & 5 æque & medice longa, 6 paullo brevius & 7 adhuc brevius. Cauda inflexa, parva, ferruginea. Lamellæ ventrales majusculæ, rotundatæ, flavæ, cinereo-pubescentes. Alæ hyalinæ, levissime fuscanæ, nervis ut in proxime præcedentibus directi. Squamæ ciliatæ & halteres alba. Pedes mediocres, albido-puberuli, flavi. Coxæ posteriores testaceæ, maculis minutis cinereis. Tarsi obscuri. Tibiæ parce nigro-setulosæ.

Obs. Cordylura flaveola Zett. Ins. Lapp. 735. 45. deleatur, nam certe est tantum varietas *Leptopæ filiformis* nobis pag. 1794. — *Cordylura myopina* Meig. Suppl. in genere *Aricia* p. 1503 sub n:o 113 hujus operis invenienda.

Fam. 30. SCIOMYZIDES.

147. DRYOMYZA Fall.

Corpus majoris aut mediæ magnitudinis, oblongum, molle, breviter pubescens, setis validiusculis nigris nempe: in vertice 6, puncto ocellorum 2, lateribus posticoque thoracis utrinque circiter 10, & margine scutelli 4. Caput sphæroideum Frons haud porrecta, latissima, puberula. Ocelli 3. Antennæ subdeflexæ, breviusculæ, articulis: 1 brevissimo, 2 brevi superne setuloso seta media majori, ultimo rotundato-ovato, apice rotundato, basi seta longiuscula, pubescente aut subplumata, basi incrassata. Epistoma longitudine paullo latius, plerumque perpendi-

culare, infra oculos descendens, in medio retusum, margine apicali distincte reflexum, totum nudum, setis mystacinis nullis. Prælabrum prominulum. Palpi latiusculi, leviter recurvati, pilosi. Stipes proboscidis crassa. Peristomium sat amplum. Oculi mediocres, rotundati, nudi, in viva rufo-ferruginei, æneo-micantes, unicolores. Genæ elongatæ. Mentum pubescens. Thorax sutura media transversa ad latera perspicua. Abdomen oblongum, convexiusculum, 6 annulatum *), inerme. Alæ incumbentes, abdomine manifeste longiores, non vibrantes. Nervi longitudinales: auxiliaris ad medium costæ extensus a secundario distincte remotus; 3:tius 4:tusque paralleli simplices, recti, ille in apice, hic pone apicem alæ excurrens. Nervi transversi longe remoti, recti, horum ordinarius ante apicem nervi long. 2:di, & medius ante apicem auxiliaris insertus. Segmentum costale 1:mum ad medium costæ extensum, 2:dum 1:mo fere duplo brevius, 3:tium 2:do vix dimidio, & 4:tum 3:tio dimidio brevius. Segmenta nervi long. 4:ti 2 & 3 subæque longa. Costa præsertim basi breviter subciliata. Spinula nulla. Squamæ parvæ ciliatæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, simplices, pubescentes, inermes, tibiis intermediis apice spinulis 6—7 munitis. *Color* ferrugineus l. flavus. *Motu* tarda, volatu segnis. *Habitatio* imaginum in succo arborum, & foliis fruticum, libenter locis occultis. Larvæ in fungis metamorphosin subeunt, teste D. *Macquart*. *Differentia sexus; mas:* ano parvo, inflexo, obtuso; *femina:* ano acutiusculo. Typus generis: *D. anilis.*

1. *D. anilis:* ferruginea subnitida, antennis concoloribus, seta nudiuscula nigra, basi testacea; epistomate dilutiore; thoracis lineolis 2 dorsalibus brunneis; alis ad costam flavidis, nervis transversis late, apiceque longitudinalium 2, 3 & 4, nigredine cinctis; tarsis apice nigris. ♂♀. (Long. 4 lin.).

*) in Dispositione pag. 62 abdomen *Sciomyzidum* immerito 5-annulatum dicitur.

Mas: plerumque major, abdominis distincte pubescentis segmenta: 1 breviusculum, 2 primo dimidio longius, 3, 4 & 5 modice & æque longa, 6 qvinto paullo brevius & multo angustius, rotundato-obtusum, 7:mum seu anale minimum rotundatum, parum prominulum, genitale parum exsertum inflexum; lamellæ ventrales prope anum 2 parvæ, nigræ aut flavæ & nigro-pilosæ; tibiæ intermediæ a medio ad apicem spinulis 4 una serie dispositis, nigris, armatæ;

Fem.: abdominis parum pubescentis segmenta: 1 breviusculum, 2 primo dimidio longius, 3, 4 & 5 modice & æque longa, 6 quinto saltem triplo brevius, & multo angustius margine apicali truncatum, 7:mum seu anale longitudine 6:to, parvum trigonum subacutum, genitale non prominulum; lamellæ ventrales nullæ; tibiæ intermediæ præter spinas ordinarias apicales inermes.

Fall. Sciomyzides Suec. Dissert. Respond. A. *Alexandersson* 1820. p. 16. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 257. 2. Macq. Buff. 2. 396. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 736. 2. ♂♀. *Dryops liturata* Rob. Desv. n:o 2.

Hab. in silvis, feminæ in fungis putridis sæpe deprehenduntur; interdum in fenestris reperta; per Scandinaviam 1 Jul.—30 Sept., vulgaris; nempe in Scania ad Lund *(von Borck)*, Abusa, Tranås, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena (in silva Rismarken), Gusum &c.; in Ölandia ad Ottenby raro; in Westrogothia ad Kinnekulle & Gothoburgum ut & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Bahusia; in Dalecarlia ad Stora Tuna; in Ångermannia ad Hernösand; in Lapponia Umensi ad Lycksele parce; in Norwegia ad Christianiam (D. *Moë)*, Thynæs & Bossekop Finmarkiæ (in trunco Pini) rarissime; in Dania frequens, D. *Staeger.* (Ex Elisenheyne prope Gryphiam a D. *Dahl-*

bom; e Lübeca a D. *J. Behrens*, & e Silesia a D. *Zeller*, mihi quoque communicata).

♂♀. Per corpus majusculum, nitens, ferrugineum, antennas concolores, setam subnudam seu brevissime tantum puberulam, nigram, basi testaceam, alas ad costam flavidas, nervos transversos punctaque apicalia subtria, tarsos tantum apice nigros, &c., a sequentibus facile dignoscitur. — Frons leniter subprominens, luteo-fulva. Antennæ epistomate fere dimidio breviores, flavo-fulvæ. Facies flavo-testacea. Palpi flavi, nigro-pilosi. Prælabrum & proboscis testacea. Genæ nigro-pilosæ. Thoracis dorsum ferrugineum, lineis 2 subapproximatis, utrinque abbreviatis, saturatioribus. Abdominis incisuræ in ♀ sæpe tenuiter nigræ. Nervi: longit. 5:tus non usque ad marginem extensus; auxiliaris ciliatus; transversus ordinarius obliquus, ad marginem subretractus, in medio areæ insertus. Pedes toti flavi, tarsorum articulis 2 l. 3 ultimis nigricantibus.

2. *D. flaveola:* flavo-ferruginea, subopaca, antennarum articulo ultimo rotundato-ovato, fusco-testaceo, seta pubescente tota nigricante; epistomate albido-flavo; thoracis, abdominisque nitentis, dorso plerumque infuscatis; alis immaculatis; tarsis apice nigris. ♂♀. (Long. 4 lin.).

Mas & femina in copula capti, ut in priore differunt.

Meig. Dipt. 5. 256. 1. Macq. Buff. 2. 396. 1. ♂♀. T. 18. f. 11. — Zett. Ins. Lapp. 736. 1. ♂♀. *Musca flaveola* Fabr. Antl. 306. 111. teste Meig. — *Dryomyza vetula* Fall. Sciomyz. 16. 1. ♂♀. certe.

Hab. in foliis fruticum & graminosis per silvas & prata Scandinaviæ, a medio Junii usque ad finem Septemb., sat vulgaris, in copula capta, etiam in fenestris errabunda interdum obvia; scilicet in Scania ubique frequens; in Blekingia, D. *von Borck;* in Smolandia & Ostrogothia

rarius observata; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Ölandia D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Garde, Ruthe, Nähr &c.; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina parcissime; in Dania frequens, D.D. *Fabricius* & *Staeger*.

♂♀. Similis priori, sed differt: colore partium magis pallido, corpore minus nitido, antennarum articulo ultimo obscuriore, seta distinctius pubescente & tota nigra, nec basi testacea, & denique alis cinereo-hyalinis, nec nervis transversis apiceque longitudinalium 2, 3 & 4 nigredine cinctis, ut & nervo auxiliari non ciliato. — Oculi in viva brunneo-rufi, vix æneo-micantes. Palpi subsimplices, parum dilatati. Variat uterque sexus thoracis dorso flavo-testaceo aut fusco; variat etiam abdomine aut toto testaceo, aut dorso præsertim posterius irregulariter fusco-maculato. — Frons vix prominula. Nervi transversi: medius medio inter apices secundarii & auxiliaris, ordinarius medio inter apices auxiliaris & longitudinalis 2:di, oppositus. Reliqua ut in præcedente. — In Scania ad Lund ♀ quoque semel 12 Oct. & alia vice ♂ 27 Januarii inveni.

3. *D. decrepita:* flavo-ferruginea, subnitens, antennarum articulo ultimo ovato-rotundato, fusco-testaceo, seta subplumata tota nigricante; epistomate albido-flavo; abdomine nitente fusco-maculato; nervis transversis infuscatis; tarsis totis nigricantibus. ♂♀. (Long. 2, raro 2½ lin.).

Mas & *femina* ut in præcedentibus differunt, sed ♂ in minoribus individuis tibiis intermediis tantum apice spinulis 6—7, nec simul spinulis distinctis a medio ad apicem, munitis.

Zett. Ins. Lapp. 737. 3. ♂♀. Forte etiam *Dryom. fuscicornis* Meig. Dipl. 7. 343. 4. ♂. "flava; articulo tertio antennarum fusco", eadem? sed propter insufficientiam descriptionis, dubium de identitate manet.

Hab. in foliis fruticum Betulæ albæ, etiam in graminosis & aliis herbis altioribus, plerumque locis umbro-

sis ad rivulos, per Scandinaviam borealem & Lapponiam, Jul. Aug., passim frequens; scilicet in Lapponia Umensi ad Stensele, Almsele & Åsele, minime rara; in Norwegiæ inferalpinis a Thynäs, Suul & Kälahögar Wærdaliæ (ubi in regionem nivalem circiter 3500 ped. supra mare adscendens capta) usque ad Hacksten & Tromsö Nordlandiæ atque Talvig Finmarkiæ observata; e Lapponia descendit in provincias proxime adjacentes, & in Jemtlandia boreali per totam paroeciam Undersåker & specialim ad Skalstugan, Mullfjellen & Åreskutan 1840 copiosissime visa; sed infra Jemtlandiam vix deprehensa, nam specimina, quæ in Insectis Lapponicis l. c. ut "Scanensia" referuntur, jam adcuratiori examini subjecta tantum varietates *Dr. flaveolæ* deprehenduntur.

♂♀. Duabus præcedentibus valde affinis & similis, sed a *D. anili* antennarum articulo ultimo magis rotundato & plus minus infuscato, nec ferrugineo, seta distinctius pubescente & tota obscura, alis ad costam haud flavidis, nervis transversis minus late, & apice longitudinalium 2, 3 & 4 nullo modo, infuscatis, nervo auxiliari non ciliato, tartis totis nigricantibus, tantum metatarso interdum pallidiore; a *D. flaveola* corpore paullo magis nitente, alarum nervis transversis fuscedine cinctis, nec immaculatis, fronte magis prominula, antennarum seta manifestius pubescente fere subplumata; & ab utraque magnitudine plerumque duplo & ultra minore, vere differt. Frons sat distincte prominula. Antennæ subporrectæ. Epistoma subdeclive, in medio valde retusum, margine apicali manifeste reflexo. Oculi parvi, rotundi, in viva ferruginei. Abdominis dorsum plus minus infuscatum ano semper pallido. Nervus longitud. 5:tus fere ad marginem extensus. Tibiæ intermediæ in mare præter spinulas apicales, inermes.

Var. b. ♂. paullo major, tibiis intermediis in ♂ a medio ad apicem spinulis 3 l. 4 parvis nigris, de cetero varietati a., cum qua habitat, in omni puncto conveniens.

Obs. Cel. Prof. *Wahlberg* mihi scripsit, se hanc speciem etiam in Ostrogothia ad Gusum invenisse. Fortasse vero exempla ibidem deprehensa (a me non lustrata) ad paullo ludentem & huc usque ab Auctoribus non plene discriptam *Dryomyz. flaveolam* referenda?

4. *D. senilis:* ferruginea, nitens; capite albido-flavo; fronte, antennisque rotundatis, fulvescentibus, seta subplumata tota nigra; alis immaculatis, tarsis totis atris. ♂♀. (Long. fere 4 lin.).

Mas & femina ut in *D. anili* differunt.

D. flaveola var. in descript. Zett. Ins. Lapp. 736. 1. (exclus. synon. Auctor. citat.)

Hab. in Sueciæ borealis & Lapponiæ silvaticis, Jul. Aug., minus frequens; scilicet in Jemtlandiæ paroecia Undersåker passim, ex. gr. ad Ristansfors, Åreskutan & Mullfjellen; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina.

♂♀. A *D. flaveola* (2), cui proxime accedit, differt: corpore magis ferrugineo & subnitente, antennis majoribus & totis fulvis, nec articulo ultimo infuscato, & denique tarsis totis atris, nec basi pallescentibus. Oculi minusculi. Thorax ferrugineus, lineis dorsalibus 2 appoximatis saturatioribus. Abdomen disco dorsali præsertim in ♂ plerumque fusco-maculatum. Alarum nervi transversi non infuscati. Interstitium nervorum auxiliaris nudi & secundarii flavidum. Tarsi toti nigri. Reliqua ut in *D. flaveola.*

Var. b. ♂. $2\frac{1}{2}$ lin. long. — Similis var. a. sed duplo minor (magnitudine nempe *D. decrepitæ*) & antennarum articulo ultimo superne fusco atque linea dorsali thoracis unica, differt. Ad Åreskutan 1 Aug. semel capta, forte distincta, at ex unico specimine novam speciem formare non audeo.

Obs. Sciomyza dyomyzina & Sciom. nasuta epistomatis apice subreflexo instructæ, de cetero antennarum structura, nervorum directione & toto habitu *Sciomyzæ* similes, etiam in sequente genere sub n:ris 4 & 23 quærendæ.

148. SCIOMYZA Fall.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, oblongum, interdum utrinque subobtusum, sæpe opacum, duriusculum, breviter pubescens, setis in capitis postico, thorace scutelloque omnino ut in *Dryomyza* numerandis. Frons plerumque haud l. parum porrecta, sæpissime latissima, (in *S. brevipenni* (13) subangustata); puberula. Ocelli 3. Antennæ oblique subporrectæ, breviusculæ, articulis: 1 brevissimo, 2 cyathiformi pilosulo, ultimo ovato, compresso, apice obtuso, basi seta longiuscula, plumata, pubescente aut nuda. Epistoma subperpendiculare, interdum declive l. subreclinatum; utrinque sulcatum, longitudine latius, infra oculos descendens, margine apicali non reflexo (in *S. simplici* (1) *dryomyzina* (4) & *nasuta* (23), subreflexo); totum nudum, setis mystacinis nullis. Prælabrum parum prominulum. Palpi latiusculi, pilosi. Peristomium amplum. Oculi rotundi nudi. Genæ elongatæ. Thorax ut in priore genere. Abdomen 6-annulatum *) planiusculum, subinerme. Alæ incumbentes, abdomine nonnihil longiores, non vibrantes; raro pictæ. Nervi fere ut in *Dryomyza* directi, at auxiliaris paullo brevior, vix ad medium costæ nudiusculæ extensus, transversus ordinarius paullulum ante medium, nec in medio, areæ insertus, & transversus medius apici auxiliaris oppositus. Squamæ parvæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, simplices, pubescentes, mutici, tibiis intermediis apice spinulis 6—7 munitis. *Color* plerumque obscurus. *Motu* non tarda; volatus brevis. *Habitatio* imaginum sæpissime in umbrosis, unde nomen; larvarum forte in fungis. *Differentia sexus; mas:* ano parvo, obtuso; *femina* ano acutiusculo. Typi generis: *Sc. obtusa* (10), *albocostata* (9), & *cinerella* (28). — A *Sciomyza* defectu setæ mystacinæ & ab *Opomyza* longitudine duplicitateque nervi auxiliaris hoc genus dignoscitur.

Species ita dispescuntur:

a). Seta antennarum plumata.

*). Nervi alarum transversi non infuscati.

---

*) nec ut in Dispositione pag. 62 dicitur 5-annulatum.

1 *simplex* Fall. ♂♀. 2 *glabricula* Fall. ♂♀. 3 *albitarsis* Zett. (*Sc. glabricula* Fall. ♀. — *Opomyza ventralis* Meig.) ♂♀. 4 *dryomyzina* Zett. n. sp. ♂.

**. Nervi alarum transversi infuscati. Opacæ.

†. Seta antennarum longe plumata.

5 *fuscinervis* Zett. ♂♀. 6 *pallida* Fall. ♂♀. 7 *dorsata* Zett. (*Sc. obtusa* var. Fall.) ♂♀. 8 *ruficeps* Zett. nov. sp. ♀.

††. Seta antennarum breviter plumata.

9 *albo-costata* Fall. ♂♀. 10 *obtusa* Fall. ♂♀. 11 *griseola* Fall. ♂♀. 12 *affinis* Staeg. (*Sc. obtusa* var. b. ♂ Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 13 *brevipennis* Zett. n. sp. ♂. — *Sc. notata* Meig. — *Sc. anilis* Meig. —

b). Seta antennarum breviter puberula aut nuda.

*. Epistoma declive seu reclinatum.

14 *nigripennis* Fabr. ♂♀. 15 *bicolor* Zett. ♂♀.

**. Epistoma perpendiculare.

α. alis in interstitiis nervorum fusco-punctatis aut maculatis.

16 *Schönherri* Fall. (*Sc. monilis* Meig.) ♂♀. 17 *picta* Meig. ♂? 18 *nana* Fall. ♂♀.

β. alis maculis l. punctis fuscis discretis nullis ornatis, sed nervis transversis & costa interdum infuscatis.

†. Antennæ totæ flavæ.

19 *fumipennis* Zett. n. sp. ♂♀. 20 *pallidiventris* Fall. (*Sc. rufiventris* Meig.?) ♂♀. 21 *ventralis* Fall. ♂♀. 22 *annulipes* Zett. n. sp. ♀. 23 *nasuta* Zett. n. sp. ♀. 24 *pusilla* Zett. (*Sc. coxata* Zett. Ins. Lapp. ♀. var.) ♂♀.

††. Antennæ aut flavæ apice nigræ, aut totæ nigræ.

25 *rufa* Zett. n. sp. ♀. 26 *thoracica* Zett. n. sp. ♀. 27 *dubia* Fall. ♂♀. 28 *cinerella* Fall. ♂♀.

Sciomyza.

a). Seta antennarum plumata.

*. Nervi alarum transversi non infuscati.

1. *D. simplex:* ferruginea, nitens, thoracis disco dorsali griseo-fusco, subopaco; tarsis nigricantibus; alis subhyalinis, immaculatis. ♂♀. (Long. 3 lin.

Mas: abdominis segmenta: 1 breviusculum, 2, 3, 4 & 5 æque longa, 6 brevissimum, retractum, sub 5:to occultatum; cauda majuscula, perpendicularis, leviter convexula, flavo-testacea, nitida, lævis, appendiculata, appendice genitale includente, paullo minore, inflexa, ejusdem coloris; femora postica subtus breviter nigro-ciliata;

Fem.: abdominis segmenta: 1 breviusculum, 2, 3, 4 & 5 æque longa, 6 brevissimum, plerumque parum prominulum, pallidum; anus parvus, annulatus, plerumque occultatus; femora postica subtus subnuda.

Fall. Sciomyzid. 12. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 10. 1. Macq. Buff. 2. 405. 1. Zett. Ins. Lapp. 737. 1. ♂♀.

Hab. in pratis Scandinaviæ, 24 Jun.—15 Sept., parcius; scilicet in Scania ex. gr. ad Lund & Esperöd; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Ölandia, D. *Boheman*; in Gottlandia ad Rhone, Garde, Ruthe, Nähr, præsertim in pratis mari vicinis, haud rara; in Lapponia ad Lycksele semel; ad Daniæ aquas passim, D. *Staeger*. (Sub nomine: *Sciom. lateralis* quoque ex Hafnia missa. Ad Gryphiam a D. *Dahlbom* raro lecta, Jul. 1845).

♂♀. Ferruginea, nitens. Frons parum prominula, subopaca, flava, brevissime nigro-puberula. Antennæ subporrectæ, epistomate fere duplo breviores, flavo-testaceæ, seta manifeste plumata, nigra. Epistoma subperpendiculare, pallide flavo-ferrugineum, margine apicali leviter reflexo. Palpi modice lati, flavi, pilosi.

Proboscis testacea. Oculi mediocres. Genæ non longæ. Thorax ferrugineus, nitidus, disco dorsali subopaco, cinereo-fusco, sæpe vestigio linearum 2 obscurarum. Scutellum ferrugineum. Abdomen luteum l. ferrugineo-testaceum, sæpe maculis indeterminatis fuscis obsoletis & interdum aliis flavescentibus parum conspicuis pictum, rarissime lineola dorsali interrupta nigricante; brevissime nigro-puberulum, margine apicali segmentorum ultimorum perspicue setuloso. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervi: auxiliaris fere ad medium costæ nudæ extensus, transversus ordinarius paullo ante medium areæ ductus. Segmentum igitur nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio saltem dimidio brevius. Squamæ & halteres albida. Pedes ferrugineo-flavi, tarsis nigricantibus. Tibiæ anticæ etiam interdum apice fuscæ. Femora antica & postica parce & seriatim nigro-setulosa. Femora intermedia latere antico in medio pilo solitario.

Variat thoracis dorso fronteque quoque nitentibus; forte tantum individua detrita, nam alias notas discernentes detegere non potui. Interea hæc varietas ea fuisse videtur, quam Cel. *Meigen* l. c. descripsit.

2. *S. glabricula:* nigra, nitida, fronte antice late epistomateque flavo-albidis; antennis totis pedibusque flavis, anticorum femoribus apice late, tibiis tarsisque totis, atris; alis angustatis, levissime fuscanis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: abdominis segmenta: 1 breve, 2, 3, 4 & 5 æque longa, 6:tum 5:to parum brevius, subperpendiculare; cauda parva inflexa;
Fem.: segmenta abdominis: 1 breve, 2, 3, 4 & 5 æque longa, 6:tum 5:to paullo brevius; anus parvus annulatus, parum prominulus.

Fall. Sciomyz. 15. 11. ♂; typica. — Meig. Dipt. 6. 13. 7. Macq. Buff. 2. 406. 7. Zett. Ins. Lapp. 738. 7. ♂♀ (specimina tantum Lyckselensia, exclusis Dovreensibus).

Hab. in graminosis & paludosis per Scandinaviam, a medio mensis Junii ad finem Augusti, passim haud fre-

quens; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd (mus. Fall.), Tranås &c.; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum raro; in Gottlandia ad Kjellunge & Lummelund parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Umenäs, Lulensi ad Qvickjock, D. *Andersson;* in Dania ad Hafniam a D. *Staeger* rarius observata mihique in individuo masculo sub nomine: »*Sc. angustipennis* Staeg. *Sc. glabricula* Meig. non Fall.», communicata.

♂♀. Frons antice latius flava, antennæ totæ pallidæ, alæ angustiores & levissime fuscanæ, nec cinereo-hyalinæ, & tandem pedum anticorum femora apice latius (sæpe a medio ad apicem), tibiæ tarsique tota, atra, nec tarsorum articulus ultimus albus, speciem denotant & præcipue a sequente abunde distingvunt; neque cum *Opomyzis* quibusdum similibus (quæ tamen nervo auxiliari breviore & simplici mox dignoscuntur), confundi debet hæc species. Frons flava, nitida, glabra, vertice nigro, setuloso. Antennæ ut in priore; flavæ, immaculatæ, seta nigra, latere superiore modice, inferiore brevissime, plumata. Epistoma perpendiculare, infra oculos parum descendens, flavo-albidum, orbitis oculorum albidioribus. Palpi & proboscis flava. Oculi magni, subexserti, rotundi, in viva ferruginei, æneo-submicantes. Genæ breviusculæ, albidæ. Thorax niger, nitidus, dorso omnium levissime & vix visibiliter certo tantum luminis situ cinereo-micans. Abdomen totum cum ventre in utroque sexu nigrum nitidum. Alæ abdomine parum longiores, angustatæ, levissime fuscanæ, nervis obscuris. Nervi præterea ut in priore directi, at transversi forsan paullo magis approximati, horum ordinarius ante medium areæ insertus. Squamæ & halteres albida. Pedes nudiusculi, flavi. Coxæ anticæ longiusculæ, albo-micantes. Femora antica valida, apice plus minus late, raro fere tota, nigra. Tibiæ tarsique antica crassiuscula, tota atra.

Obs. Beatus *Fallèn* suam speciem describens individua & hujus & sequentis ante oculos certe habuit, ut ex museo Ejus, ubi mixta occurrunt, videre licet. Hinc notæ in descriptione Cel.

Auctoris l. c. contradictæ: "abdomen obscure ferrugineum, in mare nigricans". In collectione vero tantum unicum specimen femineum, idque haud bene conservatum adfuit, unde albedo articuli ultimi tarsorum anticorum ab oculatissimo alias Viro facile prætervisa fuerit.

3. *S. albitarsis:* nigra, nitida, fronte antice anguste epistomateque flavo-albidis; antennis luteo-flavis, apice obscuris; pedibus flavis, anticorum femoribus apice modice late, tibiis totis, tarsisque atris, horum articulo ultimo albo; alis modice latis, cinereo-hyalinis. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.).

Mas & femina ut in præcedente differunt.

Sciomyza glabricula Fall. Sciomyz. 15. 11. ♀. Zett. Ins. Lapp. 738. 7. specimina Dovreensia. — *Opomyza ventralis* Meig. Dipt. 6. 105. 8. Forte etiam *Sciom. nigrimana* Meig. Dipt. 6. 14. 11? Nec *Opomyza sororcula* Macq. Buff. 2. 557. 9. a nostra multum recedere videtur.

Hab. in paludosis Scandinaviæ, Jul. Aug., passim; scilicet in Suecia meridionali rarissime ex. gr. in Scania ad Sjörup, D. *Möller;* in Gottlandia ad Martebo, Ejsta, Slitö, Nähr, Rhone, Furillen, Gothem, Stenkyrka &c., per totum mensem Julium 1841 sat frequenter, a D. *Dahlbom* & me observata; in Ostrogothia raro; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Lycksele semel; in Norwegiæ alpe Dovre, D. *Boheman;* in Dania ad Hafniam, D. *Staeger*, qui specimina utriusque sexus sub synonymis: »*Sc. glabricula* Fall. *Sc. nigrimana* Meig. & forte quoque *Opomyza ventralis* Meig.» communicavit.

♂♀. Simillima priori, sed fronte antice tantum angustissime flava, antennarum articulo ultimo aut toto aut saltem apice superno

obscure brunneo l. nigricante, abdomine basi supra saltem lateribus ferrugineo, segmentisque ventralibus tribus primis flavis, alis paullo longioribus & latioribus, cinereo-hyalinis, nec leniter fuscanis, & denique pedum anticorum femoribus apice paullo angustius atris, tibiis tarsisque ejusdem paris subcrassioribus, horum articulo ultimo albo, constanter differt. — Variat epistomatis area media nigra, nitida, & hæc sine dubio est Meigeni *Sciom. nigrimana.*

Obs. Cum *Opomyza distincta* infra, quæ in Gottlandia quoque occurrit, non commiscenda. Conferantur præterea quæ in observatione sub specie antecedente dicuntur.

4. *S. dryomyzina:* ferruginea, nitida, capite pedibusque flavis; antennis fulvis; epistomate apice subreflexo; thoracis vitta dorsali media, abdominis postico, pedumque anticorum femoribus apice, tibiis tarsisque totis, nigricantibus; alis cinereo-hyalinis, immaculatis. ♂. (Long. 2 lin.).

Hab. in Scania rarissime; in pulude ad Lund 20 Jul. specimen unicum inveni.

♂. Similis *S. albo-costatæ* (9), sed epistomatis structura & alis non pictis mox dignota. Per epistomatis marginem anticum subreflexum *Dryomyzæ* præsertim *decrepitæ* & *senili* accedit, sed per antennarum articulum ultimum ovatum (nec suborbicularem, nec exacte ovalem), & nervum auxiliarem paullo breviorem, nec ad medium costæ extensum, *Sciomyzæ* generi forte magis appropinquatur. Caput totum pallide flavum, nitens. Frons modice lata, præter setas ordinarias nuda. Orbitæ oculorum in vertice & punctum ocellorum obscura. Antennæ subporrectæ, seta distincte plumata, fusca. Epistoma infra oculos paullo descendens, peristomio sat amplo. Palpi flavi. Proboscis testacea. Thoracis vitta dorsalis media obscura a capite usque fere ad scutellum extensa. Abdomen brunnescenti nigrum, segmentis 1 & 2 basalibus lateribus late ferrugineis. Alarum nervi ut in *S. simplici* (1) directi. Transversus vero

ordinarius 5:tusque longitudinalis levissime subinfuscati. Pedes validiusculi; antici: femoribus apice sat late at inæqualiter, tibiis tarsisque totis fusco-nigricantibus.

**. Nervi alarum transversi infuscati. Opacæ.

†. Seta antennarum longe plumata.

5. S. *fuscinervis:* testacea, epistomate albo; fronte, antennis pedibusque flavis; abdominis dorso fusco, incisuris ferrugineis; alis cinereis, nervis transversis distincte infuscatis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 737. 2. ♂♀.

Hab. in Suecia & Lapponia, 12 Jun.—15 Aug., minus frequens; in copula capta; scilicet in Scania ad Lund semel; in Ostrogothia ad Fredensborg prope Wadstena, & ad Gusum; in Jemtlandia ad diversorium Ås prope Östersund rarissime; in Bottnia boreali ad Råbäcken in paroecia Öfver-Luleå, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Wilhelmina.

♂♀. Frons præter setas ordinarias nuda, flava, lineola media nitida & interdum vitta media fulva. Antennæ subporrectæ, articulo ultimo ovato, totæ flavæ, seta nigra. Epistoma subperpendiculare, latitudine longius, infra oculòs descendens, apice subcoarctatum, apertura oris parva; totum album. Palpi flavi. Proboscis testacea. Oculi mediocres, rotundi, in viva rufi. Thorax brevissime nigro-puberulus, opacus, ferrugineo-testaceus, dorso vix rudimento linearum 2 brunnearum. Abdomen fuscum, segmentorum margine apicali anoque ferrugineo-testaceis. Sexus fere ut in S. *simplici* (1) dignoscitur. Femora in ♂ subtus breviter nigro-ciliata. Alæ abdomine paullo longiores, nervis ut in S. *simplici* directis, transversis ordinariis nigredine manifeste cinctis. Nervus costalis quoque nigricans. Segmentum costæ 2:dum 3:tio triplo longius. Pedes validi,

flavi, tarsis apice nigricantibus. Tibiæ intermediæ apice spinulis nigris 6—7 coronatæ, at anticæ & posticæ ad apicem superne tantum setula solitaria munitæ.

6. *S. pallida:* flavo-testacea, epistomate albo; fronte pedibusque flavis; antennarum articulo ultimo a medio ad apicem dilute subinfuscato; abdomine subimmaculato; alis cinereis, nervis transversis paulio infuscatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Sciomyz. 12. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 11. 2. Macq. Buff. 2. 405. 2. Zett. Ins. Lapp. 737. 3. ♂♀.

Hab. in graminosis & paludosis, per Scandinaviæ hortos & prata, a die 1 Jun. usque ad 2 Sept. passim observata; nempe in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Boheman;* in Ostrogothia ad Lårketorp parce; in Gottlandia ad Kjellunge rar.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Tresunda rarissime; in Dania ad Hafniam, D. *Staeger.*

♂♀. Priori valde similis, sed antennarum articulo ultimo ovali (nec ovato), apice rotundato plus minus obscuro, occipite certo situ albo-bimaculato, epistomate forte infra oculos minus descendente apiceque minus coarctato, abdominis dorso raro fusco-maculato, & denique nervis transversis minus distincte infuscatis, horum ordinario paullo longius ante medium areæ inserto, vere & abunde differt. — Variat plus minus ferruginea l. pallida. Tarsi articulis 2 ultimis nigris ut in priore. Femora postica subtus in ♂ minus evidenter nigro-ciliata quam in præcedente.

7. *S. dorsata:* rufo-testacea, opaca, capite pedibusque flavis; fronte antennisque fulvescentibus; thoracis disco dorsali inæqvaliter griseo-fusco; abdominis linea dorsali brunnea; tarsis anticis obscuris; alis cinereis, nervis transversis leviter infuscatis. ♂♀. (Long. 2 lin. & ultra).

S. obtusa var.: "abdomine toto fere testaceo" Fall. Sciomyz. 13. 4.

Hab. in Sueciæ meridionalis & mediæ uliginosis a medio Julii ad medium Septemb., minus frequens; nempe in Scania ad Sliparehögen prope Lund, & ad Sandhammar; in Ostrogothia ad Wadstena semel; in Gottlandia rarissime.

♂, ♀. Valde similis & affinis *Sc. obtusæ* (10), sed abdomine fere toto rufo-testaceo, linea tantum dorsali media brunnea, nec fasciis perspicuis obscuris, nervis transversis lenius infuscatis, & præcipue antennarum seta manifeste & longe plumata, vere distincta. Statura latiuscula, obtusa. Frons opaca, brevissime nigro-puberula. Antennæ ovatæ, fulvescentes, seta obscura. Epistoma apice non reflexum. Palpi & proboscis flava. Oculi magni. Thorax rufo-testaceus, opacus, disco dorsali inæqvaliter griseo-cinerascente, rudimento linearum 2 obscurarum. Sternum obscure cinereum. Scutellum planum, rufo-testaceum. Abdomen latiusculum, puberulum, parum fusco-maculatum. Alæ albido-cinereæ (præsertim in ♂), nervis ut in *S. simplici* (1) directis. Nervi transversi: medius distincte, ordinarius leviter, infuscati. Squamæ & halteres alba. Pedes validiusculi flavi, anticorum coxis albis, tarsis aut totis aut saltem apice obscuris.

Obs. Varietatem hujus duplo majorem, pleuris abdomineque testaceo-griseis, illis vitta, hoc linea dorsali fuscis ad Gryphiam Maj. 1842 legit D. *Dahlbom*.

8. *S. ruficeps:* nigella, opaca, capite flavo; antennis luteis; pleuris, abdominis incisuris pedibusque posterioribus fusco-testaceis; alis cinerascentibus, nervis transversis distincte infuscatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad Räften prope Lund a D. *Dahlbom* semel capta.

♀. Similis *S. flavicipiti* Meig. Dipt. 6. 14. 9. sed pedibus posterioribus totis fusco-testaceis (nec pedibus nigris tantum metatar-

sis posterioribus flavis) distincta. A *Sc. griseola* (11), cui proxime accedit, antennarum seta licet non longissime tamen manifeste plumata, nec pubescente, differt. Parva, nigricans, opaca. Caput flavo-testaceum. Frons lata, non prominens. Antennæ ovatæ, luteæ, seta fusca. Epistoma perpendiculare, apice minime reflexum. Oculi mediocres, rotundi. Thoracis latera fusco-testacea, vitta pleurarum fusciore, sterno cinereo. Abdomen brunneo-nigricans, linea dorsali obscuriore, incisuris omnibus testaceis. Nervi transversi perspicue infuscati. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes fusci, antici toti brunnescenti nigri.

††. Seta antennarum breviter plumata.

9. *S. albo-costata:* subtus pallida, supra ferruginea aut griseo-cinerascens; fronte antice epistomateque albidis; antennis pedibusque flavis; tarsis anticis in ♀ nigris; alis in utroque sexu albidis, vitta media lata nervisque transversis subinfuscatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Sciomyz. 12. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 12. 5. Macq. Buff. 2. 405. 7. T. 18. f. 13. Zett. Ins. Lapp. 738. 5. ♂♀.

Hab. in pratis humidis & silvis per Scandinaviam, 24 Jun.—10 Sept., passim; etiam in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Vidtsköfle *(v. Borck)*, Esperöd, Tranås &c.; in Smolandia, *Ljungh*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c. sat frequens; in Ölandia; in Gottlandia ad Wamlingbo, Gothem, Martebo, Östergarn, Malms, Nähr &c., vulgaris; in Bahusia ad Marstrand; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Mullfjellet; in Lapponia Umensi ad Lycksele, Barrsele, Stensele & Wilhelmina; in Nordlandia Norwegica ex. gr. ad Evenäs; in Dania non parce, D. *Staeger*. (E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. Similis *S. pallidæ* (6), a qua vero antennis totis flavis, seta multo brevius plumata, alis albidis, vitta longitudinali media fuscana, ut & pedibus anticis in ♀ plus minus nigris, præcipue distincta. Thorax dorso aut ferrugineus, aut testaceus, aut cinerascens; lineolis 4 obscurioribus, quarum 2 mediis approximatis plerumque perspicuis, lateralibus vero abbreviatis, sæpissime obsoletis. Alæ fuscanæ, vitta costali a basi & fere ad apicem extensa, & interstitium nervorum costalis & tertii longitudinalis implente. Margo quoque interior marginalis indeterminate cinereo-hyalinus. Ratione pedum picturæ varietates sequentes observavi:

Var. a. ♂♀. pedibus omnibus & totis flavis. Ex hac varietate feminæ rarius occurrunt.

Var. b. ♂♀. tarsorum anticorum articulis 3 & 4 nigricantibus.

Var. c. ♀ (in copula cum mare varietatum a. & b.) tibiis tarsisque anticis atris.

Var. d. ♀ (in copula cum mare varietatum priorum) pedibus anticis totis atris, coxis solum flavo-albidis; ad Skärsjö Smolandiæ non raro, *Ljungh*; etiam in Lapponia Umensi ad Lycksele in societate cum *Sapromyza hilarella* parce.

10. S. *obtusa:* fusco-grisea, opaca, epistomate albicante; fronte, antennis, scutello, incisuris abdominis, ano pedibusque luteo testaceis; tarsis anticis nigricantibus; pleurarum vitta horizontali brunnea; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis infuscatis. ♂♀. (Long. 1½—2 lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus testaceis l. lutescentibus, tarsis anticis aut totis aut saltem apice nigricantibus.

Fall. Sciomyz. 13. 4. var. a. ♂♀. — Meig. Dipt. 6. 12. 6.? Macq. Buff. 2. 406. 5.? Zett. Ins. Lapp. 737. 4. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂♀. pedibus posterioribus testaceis l. lutescentibus, anticis vel totis (exceptis coxis) brunneo-nigris,

vel nigricantibus, coxis totis, femoribus basi plus minus late, geniculisque testaceis.

Fall. & *Zett.* l. c. var. c. — Meig. & Macq. l. c. var.

Hab. in Scandinaviæ paludosis, Jul.—Sept., passim frequens; scilicet in Scania ad aqvas & in pratis humidis ubique vulgaris; in Smolandia ad Skärsjö utraque varietas freq., *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena non raro; in Ölandia; in Gottlandia ad Kjellunge, Gothem, Oja, Furillen &c., passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad diversorium Berge in paroecia Alsen parce; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele rarissime, Tornensi, D. *Deutsch*; in Dania circa Hafniam frequens, D.D. *Staeger* & *Dahlbom.*

♂♀. Statura sat lata, obtusa. Simillima *S. dorsatæ* (7), sed obscurior, & vitta utrinque pectorali fusca plerumque evidente, abdominis fasciis nervorumque transversorum fuscedine perspicuis, ut & antennarum seta brevius plumata, facile dignoscitur. Frons flava, opaca, brevissime nigro-puberula, orbitis oculorum latis in vertice griseis. Macula ocellorum grisea. Frons supra antennas in illæsis individuis albo-micans. Antennæ ovatæ, sæpe fulvescentes, seta obscura. Epistoma longitudine latius, parum descendens, flavum. Apertura oris angusta. Palpi & proboscis testacea. Oculi magni, rotundi. Thoracis dorsum lineis subqvatuor fuscis, obsoletis. Sternum obscure cinereum. Scutellum testaceum. Anus testaceus. Alarum nervi ut in prioribus directi, transversus medius apici auxiliaris præcise oppositus. Squamæ & halteres alba. Pedes ut in diagnosi.

Obs. Forte Meigeni & Macqvarti *Sc. obtusa* eadem, quamquam "antennæ fuscæ" ab illis describuntur.

11. *S. griseola:* obscure griseo-cinerea, opaca, epistomate albicante; fronte antennisque flavidis; scutello anoque testaceis; pedibus lividis, anticis, nigricantibus;

alis cinereis, nervis tranversis infuscatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Fall. Sciomyz. 14. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 13. 8. Macq. Buff. 2. 406. 8. Zett. Ins. Lapp. 738. 6. ♂♀.

Hab. in graminosis & paludosis, per hortos, prata & pascua Scandinaviæ, Jun.—Sept., passim frequens; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Tranås, Esperöd &c., vulgaris; in Smolandia, *Ljungh;* in Ölandia raro; in Gottlandia ad Gothem & Ruthe; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Herjedalia ad Öfver-Hogdal non rara; in Jemtlandia ad Berge, D. *Dahlbom;* in Lapponia Umensi ad Umenäs, parce; in Nordlandia Norwegica ad Björkvik rarissime. (E Sedino a D. *Dahlbom,* & e Glogavia a D. *Zeller* missa).

♂♀. A priore, cui simillima, differt: magnitudine duplo & ultra minore, corpore obscuriore, pedibus lividis, anticis nigris, ut & antennarum seta adhuc brevius plumata, vix nisi distincte pubescente. Caput ut in priore. Thorax totus cinereus, supra parum fusco-lineatus. Pleuræ interdum vitta dilutiore. Scutellum fusco-testaceum. Abdomen obscurum, incisuris interdum tenuissime testaceis. Anus plerumque testaceus. Pedes fusci, antici brunneo-nigri. Reliqua ut in præcedente.

12. S. *affinis:* testacea, opaca, epistomate niveo, nitido; fronte flava, linea media nigra lucida; orbitis oculorum tenuissimis, albis; antennis fulvescentibus l. luteis; abdomine nitido, fusco, apice rufescente; pedibus flavis, tarsis apice obscuris; alis albido-cinereis, nervis transversis distincte infuscatis. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Staeger in litteris. — *Sciom. obtusa* var. b. ♂. Zett. Ins. Lapp. 737. 4.

Hab. in Scandinaviæ paludosis rarius; mas ex Hafnia a D. *Staeger* ante plures annos sub nomine descripto missus, & altera vice (5 Aug. 1843) sub synonymo: »*Sc. fuscinervis* Zett.?» communicatus; feminam in Lapponia Umensi ad novacolum Umenäs 9 Jul. 1832 ipse inveni, tunc temporis cum *Sc. cinerella* confusam; mas ad Tresunda ejusdem Lapponiæ 12 Jul. captus; specimina ad Qvickjock Lapp. Lul. inventa a D.D. *Boheman* & *Andersson* missa.

♂♀. Valde similis & affinis *Sc. cinerellæ* (28), sed corpore antennisque pallidioribus, pedibus anticis flavis, nec nigris, alarum costa non fuscana, nervis transversis evidentius infuscatis, & denique antennarum seta manifestius pubescente seu breviter subplumata, certe distincta. *S. fuscinervi* (5) proxima, sed frontis linea longitudinali media nigra lucida distinctiore, antennarum seta multo brevius plumata, abdomine magis nitido, &c., ab illa abunde recedit. Frons antice subangustata. Epistoma infra oculos non longe descendens. Oculi majusculi, rotundi. Abdomen nitidum, ferrugineo-fuscum, ano præsertim in ♂ ferrugineo. Alæ pallescentes, nervis transversis distincte fuscedine cinctis. Pedes flavi, tarsorum articulo ultimo nigricante. In ♀ tibiæ anticæ apice, tarsique ejusdem paris toti, nigrescunt.

13. *S. brevipennis:* nigra, nitida, capite concolore, thorace subopaco; antennis, pleuris, pedibusque, flavis, femorum anticorum posticorumque apice, tibiisque anticis totis, atris; alis abdomine brevioribus, fuscanis, nervis transversis distincte infuscatis. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Dania rarissime, D. *Staeger*, qui specimen descriptum benevole communicavit.

♂. Per nigredinem capitis halterumque & alarum brevitatem ab omnibus speciebus antecedentibus hujus generis facillime dignoscitur. Frons non lata, tota nigra, nitidissima, glabra, setis

posticis ordinariis; longitudinaliter trisulcata. Antennæ porrectæ, breviusculæ, ovatæ, totæ flavæ, seta breviter plumata, nigra. Epistoma modice latum, latitudine longius, area media nigra, nitidissima, orbitis oculorum tenuibus, albis; infra oculos parum descendens, apice vix reflexum. Palpi atri. Proboscis fusco-nigra. Thorax dorso toto fusco-niger, opacus, pleuris & sterno ferrugineis, nitidis. Scutellum nigrum. Abdomen lineare, subcylindricum, nigrum, nitidum, glabrum, ano rotundato. Segmenta: 1, 2, 3 & 4 subæque longa, 5:tum 4:to fere duplo longius, 6:tum longitudine 5:ti, sed valde convexum. Cauda convexa, inflexa. Alæ abdomine paullo breviores, angustatæ, subfuscanæ, nervis transversis & longitudinali 5:to distinctius infuscatis. Nervi longitudinales 3 & 4 rectissimi; præterea directio nervorum ut in proxime præcedentibus. Squamæ minutæ, obscuræ. Halteres nigri. Pedes validiusculi, subnudi, nitentes, flavi, coxis anticis albis; anticorum femoribus apice (ad tertiam femoris partem), tibiis, totis tarsorumque articulis 4 primis, atris, articulo ultimo albo; posticorum femoribus apice anguste atris; tarsis posterioribus sordide flavis, articulo ultimo obscuriore. A *Sciom. nigrimana* Meig., cui prope accedere videtur, antennis totis flavis, nec apice superne brunneo, thorace supra opaco, nec nitido, femoribus posticis annulo apicali nigro, nec totis flavis, alis brevioribus, & denique halteribus nigricantibus differt. Setarum mystacinarum defectu a *Cordylura* mox dignoscitur.

Obs. Sequentes *Sciomyzæ* species inter Scandinavicas relatæ, a me non visæ mihique ignotæ sunt; quare tantum hoc modo eas afferre possum:

S. *notata:* "cinerea, capite antennisque flavis, seta breviter plumata; pedibus abdomineque nigris, hoc subnitido, incisuris tenuiter cinereis; alis denigratis, nervis transversis fuscis. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.)."

Meig. Dipt. 6. 11. 10. Macq. Buff. 2. 107. 9.

Hab. in Dania, teste D. *Staeger.*

S. anilis: "cinerascens, capite, antennis, ano pedibusque flavis; vertice nigricante; abdominis linea dorsali interrupta obscura; femoribus, tarsorum apice nervisque alarum transversis fuscis. (Long. 2 lin.)."

Meig. Dipt. 6. 15. 12.

Hab. in Suecia, testantibus D.D. *von Winthem* & *Meigen.*

Similis videtur *Sc. dorsatæ* nobis (7), a qua femoribus fuscis imprimis dignota.

b). Seta antennarum breviter puberula aut nuda.

*. Epistoma declive seu reclinatum.

14. *S. nigripennis:* ferrugineo-brunnea; epistomate albido; fronte prominula antennisque ferrugineo-flavis; palpis pallidis; alis obscure fuscis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Mas: abdomen subcylindricum, opacum; segmenta: 1 perbreve, 2:dum 1:mo saltem triplo longius, 3, 4 & 5 æque longa, 6 brevissimum sub 5:to retractum, ad latera tantum conspiciendum; anus rotundatus nitidus, appendice inflexa; styli ventrales brevissimi, obtusi; femora postica valida, subtus brevissime nigro-ciliata;

Fem.: abdomen lineare, opacum; segmenta: 1 perbreve, 2:dum 1:mo triplo longius, 3, 4 & 5 æque longa, 6:tum 5:to triplo brevius, nitidum; anus parvus, annulatus, parum prominulus; femora postica simplicia, subtus nudiuscula; in copula.

Fall. Sciomyz. 13. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 16. 14. ♂♀. t. 56. f. 2 (caput). — *Scatophaga* Fabr. Antl. 205. 6. *Otites* Macq. Buff. 2. 426. 6. ♂♀.

Hab. in Sueciæ meridionalis nemoribus rarissime; in graminosis & foliis herbarum humiliorum locis umbrosis in Bökebacken & Stufvelund ad Abusa Scaniæ versus

finem mensis Maji 1816 a D. *B. F. Fries* & me sat frequenter observata, in copula etiam capta; deinde eodem loco quotannis sollicite quæsita, non nisi uno alterove anno in specimine solitario deprehensa.

♂♀. Obscure ferruginea, opaca. Frons latissima, plana, flavo-ferruginea, brevissime nigro-puberula. Antennæ sub fronte prominente insertæ, epistomate multo breviores, ferrugineo-flavæ, articulo ultimo rotundato-ovato, seta longiuscula, capillari, nuda, fusca, basi graciliter incrassata. Epistoma manifeste declive, infra oculos descendens, nudum, albidum, area media angustata. Genæ longissimæ. Palpi subcylindrici, flavi. Proboscis testacea. Oculi parvi. Thorax obscure ferrugineus, dorso obscurior, lineis quibusdam dilutioribus valde obsoletis, vix nisi in basi conspiciendis. Abdomen fusco-ferrugineum, basi interdum dilutius. Alæ obscure brunneæ, ad costam saturatiores. Nervi ut in prioribus directi, at longitudinales 3 & 4 ad apicem leviter subconvergentes, nec exacte paralleli. Costa nuda. Squamæ vix ullæ. Halteres fusci, petiolo pallido. Pedes brunnei, tarsi sæpe sordide flavidi. — Variat tota paullo dilutior.

15. *S. bicolor:* cana; capite, palpis pedibusque pallide flavis; antennis rotundatis, flavis; fronte non prominula; alis albidis, costa in ♀ nervisque transversis in utroque sexu infuscatis; ano in ♂ filato; metatarsis anticis in ♀ bispinulosis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis subcylindrici segmenta: 1 perbreve, 2:dum 1:mo saltem triplo longius, 3, 4 & 5 æque longa, 6:tum 5:to fere duplo longius, anus non magnus, ferrugineus, appendice inflexa, ferruginea; filum ex apice ventri emissum, nigrum, longe reflexum;

Fem.: abdominis lanceolati segmenta: 1 breve, 2:dum 1:mo duplo longius, 3 & 4 æqualia, 5:tum 4:to dimidio longius, 6:tum longitudine 4:ti; anus conicus, niger, nitidus.

Zett. Ins. Lapp. 739. 13. ♂♀.

Hab. in Lapp. Umensi rarissime; in silva ad Wilhelmina 15—20 Jul. 1832, 1 mas & 3 feminæ inventi; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg*; in Norwegia, D. *Boheman*. (In Finlandia ad Uleåborg a D. *Nylander* capta mihique communicata).

♂♀. Antennis rotundatis, costa alarum subciliata, & filo anali in ♂, a reliqvis hujus generis dignoscitur hæc species, quæ cum *Heteromyza* & *Scatophaga* in multis, atque cum *Palloptera Umbellatarum* pictura, convenit; ab hac vero epistomate reclinato, nec perpendiculari, diversa. Ab *Opomyza maculata* Macq. & Meig., cui quoque similis videtur, antennarum seta nuda, nec pubescente, abdomine læte cinereo, nec griseo-nigro, alis in fundo albidis, nec brunneis, &c., differt. Cana, opaca, capite toto pallide flavo. Frons lata, plana. Antennæ articulis basalibus brevissimis, ultimo suborbiculari, totæ flavæ, seta vix nisi nuda, fusca. Epistoma infra oculos descendens. Genæ elongatæ. Oculi parvi, subtransversim rotundati; in viva rufi. Scutellum canum. Alæ albidæ, nervis transversis distincte fuscedine cinctis. Costa præterea in ♀ ab apice nervi auxiliaris ad exitum nervi longitudinalis 4:ti pone apicem alæ anguste infuscata, at in ♂ apices tantum nervorum longit. 2, 3 & 4 fuscedine leviter cincti. Nervus auxiliaris non ad medium costæ ducitur a secundario remotus. Nervi longitudinales 3 & 4 levissime deflexi, paralleli; 5:tus non ad marginem extensus, mox infra transversum ordinarium abbreviatus. Nervus transv. ordinarius perpendicularis, nonnihil ante medium areæ insertus. Costa subciliata, setulis aliquot majoribus immixtis, non vero tam distincte ac in *Helomyza*. Squamæ rudimentariæ & halteres alba. Pedes toti pallide flavi, femoribus validiusculis, uno latere parce pilosulis. Metatarsi antici in ♀ intus ad apicem spinulis 2, una altera minore atris muniti. — Forte genus proprium.

**. Epistoma perpendiculare.

α. alis in interstitiis nervorum fusco-punctatis aut maculatis.

16. *S. Schönherri:* cinerea, opaca; epistomate albicante; antennis, frontis lineis binis, pedibusque, fusco-ferrugineis; alis cinerascentibus, in interstitiis nervorum fusco-punctatis, punctis costalibus majoribus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}-1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmenta: 2, 3, 4 & 5 æque longa, 1:mum & 6:tum breviora; anus rotundatus inflexus;

Fem.: abdominis segmenta: 2, 3, 4 & 5 æque longa, 1:mum & 6:tum breviora; anus annulatus, parum prominulus.

Fall. Sciomyz. Suppl. 2:dum (anno 1826) p. 13. 13. ♀. Zett. Ins. Lapp. 738. 8. ♂♀. *Sciomyza monilis* Meig. 6. 17. 18. (anno 1830). — Macq. Buff. 2. 407. 12. ♂♀.

Hab. in graminosis & paludosis, per Scandinaviam, a fine mensis Maji usque ad Septemb., passim; scilicet in Scania ad Högestad, D. Prof. *Sundewall;* in Smolandia D.D. *Boheman* & *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp & Medhamra; in Westrogothia, D. *Schönherr;* in Gottlandia raro; in Uplandia ad Nacka prope Holmiam, D. *B. F. Fries;* in Dalecarlia ad Rörsbyttan, D. *Dahlbom;* in Bottnia boreali ad Råbäcken paroeciæ Öfver-Luleå, D. *Wahlberg;* in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norwegicæ ad diversorium Evenäs juxta sinum Ofodenfjord, rarissime; in Dania rarius, D.D. *Staeger* & *Westermann.*

♂♀. Pictura alarum ab omnibus aliis mox dignota. Frons lata, haud plana, minime prominens. Antennæ epistomate vix duplo breviores, luteæ, articulo ultimo oblongiusculo, seta subtilissime puberula, fusca. Epistoma latum, infra oculos nonnihil tantum descendens, sordide albidum. Palpi & proboscis testacea. Oculi majusculi, rotundati. Genæ mediocres. Thorax griseus, dorso lineis 4 dilute brunneis, valde obsoletis. Pleuræ vitta horizontali brunnea. Scutellum griseum, macula media brun-

nea obsoletissima. Abdomen obscure fuscum, incisuris & ano præcipue in ♂ plerumque dilutioribus. Alæ abdomine longiores, albo-cinereæ, numerose fusco-punctatæ. Puncta nempe in interstitio: 1:mo seu costali 3 l. 4 majora subrotundata; in 2:do 8 l. 9 minora; in 3:tio pone nervum transversum medium 4 subperpendicularia; in 4:to 3 ante nervum transv. ordin. perpendicularia, 1 in nervo transverso rotundatum, & 1 pone hunc nervum, parvum; in 5:to 2 l. 3 perpendicularia, obsoleta. Sed hic numerus paullo variat, uno alterove puncto interdum deficiente, interdum adjecto. Præterea nervi ut in priore directi. Squamæ minutæ & halteres albida. Pedes obscure ferruginei l. lutescentes, femoribus anticis sæpissime obscurioribus.

Obs. Nomen specificum, a Prof. *Fallén* impositum, anciennitatem habet, & omni jure manebit.

17. S. *picta:* nigra, subnitida; capite, antennis, scutello, abdominis incisuris apiceque, pedibusque, flavis; alis cinereis, maculis costalibus binis nervisque transversis fuscis. ♂? (Long. fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. 18. 20. t. 56. f. 9. Macq. Buff. 2. 408. 15.

Hab. in insula Ölandia rarissime; die 7 Jun. 1822 a jam defuncto Professore *B. F. Fries* in uno specimine inventa, mecumque communicata.

♂? Frons non multo lata, haud prominens, rufo-flava, utrinque parce setosa. Antennæ subdeflexæ, breves, rufo-flavæ, seta nuda, obscura. Epistoma latum, breviusculum, infra oculos parum descendens, flavum. Palpi retracti. Genæ breves. Oculi magni rotundi. Thorax flavo-testaceus, nitidus, disco-dorsali nigro, limbo laterali, & lineolis 2 ante scutellum mox abbreviatis, flavis. Sternum nigrum. Scutellum flavum, nitidum. Metathorax niger, nitidus. Abdomen oblongum, nitidum, breviter puberulum, apice pilosulum; brunneo-nigrum, incisuris anguste, & segmento 5:to fere toto, saltem apice latissime, flavis. Segmenta: 1, 2, 3 & 4 subæque longa, 5:tum 4:to fere triplo lon-

gius, reliqua sub 5:to retracta & (in meo specimine) fere occulta; anus tantum parvus, flavus, convexiusculus, masculum indicans, conspiciendus. Alæ abdomine longiores, albido-cinereæ, maculis costalibus duabus fuscis, una ad exitum nervi auxiliaris, minori, oblonga, altera versus apicem, intra costam & nervum longitudinalem 3:tium inclusa, majori, longiori, inæquali. Nervi transversi subapproximati, medius in medio, & ordinarius ad apices, infuscati; horum ordinarius manifeste ante medium areæ insertus. Nervi longitudinales 3 & 4 recti, paralleli; auxiliaris fere ad medium costæ extensus, & ut mihi videtur simplex, unde hæc species *Ortalidibus* prope accedit. Costa nuda. Alulæ ad basin interiorem distinctæ, oblongæ. Squamæ parvæ albæ. Halteres flavi. Pedes cum coxis toti flavi, nudi, femoribus validiusculis, parce pilosulis.

18. S. *nana:* cinerea, opaca; epistomate albicante; fronte antice late, antennis basi, coxis anticis pedibusque posterioribus rufo-flavis; alis albo-hyalinis, costa anguste, fascia arcuata ante apicem, punctis subdiscoidalibus binis nervisque transversis fuscis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Mas & femina ut in *S. Schönherri* (16) differunt.

Fall. Sciomyz. 15. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 18. 19. Macq. Buff. 2. 408. 14.

Hab. in graminosis & plantis paludosis, per hortos & prata Scandinaviæ, etiam in litoribus maris, a medio mensis Julii usque ad medium Sept., passim frequens; scilicet in Scaniæ litoribus marinis ex. gr. ad Esperöd sat copiose; in Smolandia, D. *Boheman;* in Lapponia Lulensi ad Qvickjock non parce, D.D. *Wahlberg & Andersson;* in Daniæ plantis aqvaticis vulgaris, D. *Staeger.*

♂♀. In hoc genere minuta. Cinerea. Frons non prominula, lata, antice longe flava. Antennæ subporrectæ, breviusculæ, aut totæ fuscæ, aut basi flavidæ articulo ultimo ovato-rotundato,

fusco; seta nuda seu subtilissime tantum puberula, obscura. Epistoma latum, breve, infra oculos parum descendens, albidum. Palpi retracti & proboscis testacea. Genæ breves. Oculi mediocres, rotundi. Thoracis lineolæ dorsales 4 brunneæ, quarum vix nisi 2 mediæ conspiciendæ. Alæ abdomine paullo longiores, albidæ, vitta costali angusta fusca, ducta ab apice nervi secundarii ad apicem nervi longitudinalis 2:di, ubi incipit fascia arcuata fusca, quæ parum infra nervum longitudinalem 4:tum descendit. In interstitio nervorum longit. 3 & 4 inter fasciam & nervum transversum medium puncta plerumque 2, raro unum, fusca. Nervi transversi quoque infuscati, horum ordinarius paullo ante medium areæ insertus, leviter subarcuatus. Nervi longitudinales 3 & 4 recti, paralleli, 5:tus ad marginem alæ ductus. Costa nuda. Squamæ & halteres alba. Pedes: antici nigri, coxis flavis, antice albo-micantibus; postici testacei, coxis cinereis, femorum, tibiarum tarsorumque apice nigricante. Variat pedibus posticis fuscis.

β. alis maculis l. punctis fuscis discretis nullis ornatis, sed nervis transversis & costa interdum infuscatis.

†. Antennæ totæ flavæ.

19. *S. fumipennis:* testacea, opaca; epistomale albo; antennis pedibusque flavis; alis fuscanis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas & femina omnino ut in *S. nigripenni* (14) differunt.

Hab. in Scaniæ umbrosis & lucis in societate cum *Sc. nigripenni*, Jun. Jul., valde rara; scilicet ad Abusa & villam Esperöd in paroecia Tranås 3 mares & 2 feminas inveni; in Smolandia rarissime D. *Boheman.*

♂♀. Sat similis *S. fuscipenni* Meig. sub quo nomine in collectione mea olim etiam asservata, sed thorace rufo-testaceo, nec cinereo, mox dignoscitur. Frons non prominula, lata, opaca, flava, tenuissime nigro-puberula. Antennæ breves, articulis

basalibus brevissimis, ultimo rotundato, totæ flavæ, seta fusca, microscopice puberula. Epistoma infra oculos paullo descendens, album, margine haud reflexum. Palpi & proboscis flava. Oculi mediocres, rotundi. Thoracis dorsum lineis 4 flavo-ferrugineis, obsoletis. Abdominis dorsum interdum parce & obsoletissime fusco-maculatum. Alæ abdomine paullo longiores, latiusculæ, totæ fuscanæ, fuscedine ad costam forte nonnihil saturatiore. Nervi ut in *S. nigripenni* directi. Costa nuda. Squamæ vix ullæ. Halteres testacei. Pedes validiusculi, subnudi, flavi, tarsis, præsertim anticis, interdum levissime subfuscis. Femora postica in ♂ subtus dense, sed omnium brevissime nigro-ciliata.

20. *S. pallidiventris:* testacea, opaca; epistomate albo; fronte flava; antennis fulvescentibus; thoracis dorso cinereo; scutello pedibusque pallidis, horum anticis in ♀ ad partem nigricantibus; tarsis omnibus apice in utroque sexu fuscis; alis cinerascentibus, nervis transversis leviter subinfuscatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis subcylindrici segmenta 1, 2, 3, 4 & 5 subæque longa, griseo-testacea, 6:tum seu anale 5:to fere triplo longius, subperpendiculare, distincte convexum flavo-testaceum, appendice seu cauda convexa inflexa flavo-testacea; styli ventrales minuti testacei; pedes omnes flavi, tarsis, præsertim anticis, plus minus late sæpe obsolete subinfuscatis; femora postica subtus brevissime nigro-ciliata;

Femina: abdominis sublanceolati segmenta 1, 2, 3, 4 & 5 æque longa, 6:tum 5:to triplo brevius; anus parvus parum prominulus; pedes flavi, antici brunneo-nigri, coxis totis pallidis albomicantibus, femorum (anticorum) tibiarumque apice plus minus late flavo; femora postica subtus nuda; in copula.

Fall. Sciomyz. 14. 7. ♂♀. vera. — *Sciomyza rufiventris* Meig. Dipt. 6. 20. 24.? ♂♀. — Macq. Buff. 2. 408. 17? Nec *Sciom. grisescens* Meig. 6. 20. 25. multum a femina nostræ discedere videtur.

Hab. in foliis fruticum Qvercus, Betulæ, Pinus &c., in graminosis, plerumque locis umbrosis, libenter in vicinitate aquæ, per hortos & prata præsertim Scandinaviæ meridionalis & mediæ, a medio Julii ad medium Septemb., passim; in copula; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Lindholmen, Esperöd, &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Omberg, Gusum, &c., haud rara; in Gottlandia ad Öja & Garde; in Bahusia (regione Gothoburg.), Illustriss. D. *Fåhræus;* in Norwegia ad Thynæs non parce; e Dania sub nomine *Sc. ventralis* mecum communicata.

♂♀. Frons non prominens, lata, flava, occipite punctoque ocellorum cinereis. Antennæ breves, fulvæ, articulo ultimo rotundato-ovato, seta nuda, fusca. Epistoma infra oculos nonnihil descendens, albo-corneum, apice non reflexum. Palpi & proboscis flava. Oculi rotundi, in viva ferruginei. Thorax rufo-testaceus, dorso cinereus, immaculatus. Scutellum totum pallidum. Abdomen rufo-testaceum. Alæ abdomine longiores, parum latæ, cinerascentes, basi pallescentes, nervis transversis perpendicularibus leviter infuscatis, horum ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Nervi: auxiliaris fere ad medium costæ extensus, & longitudinalis 5:tus usque ad marginem alæ productus. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes ut in diagnosi.

Obs. Femina hujus speciei in copula cum mare *Ortalis vibrantis* 12 Jul. in Ostrogothia semel a me capta.

21. S. *ventralis:* thorace toto scutelloque cinereis; opaca; epistomate sordide albido; fronte antennisque flavo-luteis; abdomine pedibusque posterioribus fusco-testaceis; alis cinereis, nervis transversis leviter infuscatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: abdominis subcylindrici segmenta 1, 2, 3, 4 & 5 subæque longa, 6:tum 5:to paullo brevius, cauda non magna, inflexa;

Fem.: abdominis lanceolati segmenta 1, 2, 3, 4 & 5 subæque longa, 6:tum 5:to paullo brevius; anus parvus, parum prominulus.

Fall. Sciomyz. 11. 9. ♀. certe. Meig. Dipt. 6. 21. 27 (e descriptione Falleniana transscripta).

Hab. in graminosis uliginosis, etiam in foliis fruticum, per hortos & prata Sueciæ, Maj.—Aug., passim; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Lindholmen, Esperöd &c; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena raro; in Ölandia; in Gottlandiæ Martebo-myr parce; in Nericia ad villam Kärr in foliis Populi Tremulæ semel; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* sed supra hanc provinciam hactenus frustra quæsita. (Ad Sedinum 8 Jun. 1812 a D. *Dahlbom* etiam lecta).

♂♀. A priori, cui similis, magnitudine nonnihil minore, antennis luteo-testaceis, nec fulvis, epistomate sordide albido, nec pure albo, thorace toto obscure cinereo, nec pleuris testaceis, scutello rufo-cinereo vel fusco-testaceo, saltem non pallido, abdomine rufo-testaceo, nec pallide testaceo, & denique pedibus posterioribus fusco-rufis, nec pallide flavis, & anticis præter coxas flavas totis in utroque sexu nigricantibus, præcipue differt. — Orbita oculorum angustissime alba. Seta antennarum microscopice puberula. Thorax dorso obsolete obscure sublineatus. Abdomen subferrugineum, interdum fasciolis transversis subfuscis.

Obs. Varietas: "antennis apice nigris", a *Fallèn* l. c. in descriptione allata non ad hanc, sed ad *Sc. cinerellam* (28) pertinet.

Obs. Specimina utriusque sexus, quæ e Dania sub nomine: "*Sc. ventralis* Fall." obtinui potius ad speciem antecedentem referenda.

22. *S. annulipes:* thorace toto cinereo, lineis dorsalibus 4 brunneis; opaca; epistomate albo; fronte antennisque luteis; abdomine fusco-testaceo; pedibus flavis, femoribus tibiisque anticis fere totis, femorum posteriorum

annulo apicali lato; tarsisque omnibus nigricantibus; alis cinereis, costa postice obsolete, nervisque transversis distincte, fuscis. ♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Gottlandia boreali rarissime; ad villam Westö in paroecia Hall 28 Jul. 1841 exemplum descriptum deprehendi.

♀. Per antennas luteas, abdomen fuscum, alarum costam versus apicem fuscam, & præcipue pedum picturam ab aliis distincta. Frons non prominula, lata, lutea, antice fascia flava, postice orbitis oculorum latiusculis abbreviatis, maculaque ocellorum, cinereis; orbitis vero antice tenuissimis albis. Antennæ rotundato-ovales, luteæ, seta tenuissime puberula, albida. Epistoma latum, infra oculos parum descendens, album. Palpi flavi. Proboscis testacea. Thorax cinereus, lineis dorsalibus 4 brunneis, intermediis manifestis. Vitta pleurarum brunnea. Scutellum cinereum, lineola media brunnea. Abdomen oblongum, ano breviter acuto, supra fusco-rufo-testaceum, lateribus cano- & brunneo-maculatum, segmentorum nempe singulo in margine laterali macula obscure brunnea & infra illam cana ornatum, quæ signaturæ fascias inchoantes, sed mox abbreviatas constituunt. Alæ cinerascentes, costa ab apice nervi auxiliaris ad apicem alæ indeterminate & obsolete, nervis transversis late & magis distincte, 5:toque longitudinali leviter, infuscatis. Nervi præterea ut in proxime præcedentibus directi. Squamæ vix ullæ; halteres albi. Pedes mediocres, pubescentes; antici nigri: coxis, trochanteribus, geniculis metatarsisque flavo-albis; posteriores flavi: coxis sordide testaceis, femoribus basi tarsisque apice fuscis, femorum annulo apicali nigro.

23. *S. nasuta:* grisea, opaca; epistomate descendente, apice flexo, albido; antennis fusco-luteis; fronte pedibusque flavis, tarsis apice fuscis; scutello abdomineque testaceis, hoc fusco-submaculato; alis cinereis, nervis pallidis. ♂♀. (Long. fere 1½ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund 12 Jun. 1830 in unico exemplo capta.

♀. Epistomatis sat longe descendentis margine apicali manifeste reflexo ab affinibus hujus seriei mox dignoscitur. Frons haud prominula, flava, lineola media abbreviata, lutescente. Orbitæ oculorum tenues, albæ. Antennæ luteæ, articulo ultimo ovato, versus apicem fusciores, unde sequenti seriei accedit, seta omnino nuda. Epistoma latum, infra oculos distincte descendens. Palpi flavi. Proboscis fusca. Genæ longæ. Oculi rotundi. Thorax læte griseus, pleuris lætioribus, vix rufescentibus. Calli humerales testacei. Rudimentum linearum 2 fuscarum in medio dorsi. Scutellum testaceum. Abdomen oblongo-ovatum, puberulum, testaceum, segmentorum basi fascia fusca margines laterales non attingente. Segmenta: 1 breve, 2:dum 1:mo duplo saltem longius, 3, 4 & 5 sensim longiora, 6:tum brevissimum, sub 5:to fere retractum. Anus parvus, parum prominulus. Alæ abdomine aperte longiores, nervis ut in proxime præcedentibus directis, at pallidis. Squamæ & halteres alba. Pedes flavo-testacei; antici: coxis flavo-albis, tibiis apice fuscis, tarsis totis nigricantibus. Tarsi postici apice parum infuscati.

24. S. *pusilla:* cinerea, opaca; epistomate albido; fronte flava; antennis pedibusque luteis, anticis nigris, coxis pallidis; alis subhyalinis, nervis transversis leviter infuscatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Var. a. ♂♀. 1 lin. long., fronte fere tota flava, orbitis oculorum albidis l. canis maculaque ocellorum cinerea, nervis transversis lenissime infuscatis.

Zett. Ins. Lapp. 739. 11. ♂♀.

Var. b. ♂♀. 1¼ lin. long., fronte flava, orbitis oculorum maculaque ocellorum cinereis, nervis transversis modice infuscatis.

Sciom. coxata Zett. Ins. Lapp. 739. 12. ♀.

Hab. in paludosis Lapponiæ, Jul. Aug., minus frequens; scilicet var. a. in Lapponia Umensi ex. gr. ad novacolorum sedes Nästansjö & Umenäs rarius, etiam in Suecia inferiore semel inventa; var. b. in Lapponiis: Lulensi ad Qvickjock, D. *Andersson*, & Umensi ad Lycksele, ipse.

♂♀. Per magnitudinem parvam, antennas rotundatas, pedesque sordide lutea l. livida, horum anticos nigricantes coxis flavo-albidis, a prioribus dignoscitur. Frons non prominula, lata, ut in diagnosi picta. Antennæ fuscæ, interdum paullo dilutiores, seta subtilissime puberula, obscura. Epistoma infra oculos parum descendens, latum, albidum. Palpi & proboscis testacea. Oculi rotundi, in viva brunneo-ferruginei. Thorax vix l. parum lineatus. Scutellum cinereum, interdum cinereo-testaceum. Abdomen cinerascens, raro lividum, incisuris sæpe dilutioribus. Alæ subhyalinæ, nervis ut in proxime præcedentibus directis, transversis in var. a. lenissime infuscatis, in var. b. distinctius fuscedine cinctis. Squamæ & halteres albida. Pedes posteriores aut fusco-lividi femoribus obscurioribus, aut toti fusci; antici semper nigricantes l. nigri, coxis flavis plus minus albescentibus.

††. Antennæ aut flavæ apice nigræ, aut totæ nigræ.

25. *S. rufa:* ferruginea, nitens; capite pedibusque flavis, tarsis anticis fuscis; antennis fulvescentibus, apice atris; alis pallescentibus. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Suecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd 2 specimina detegi.

♀. Colore totius corporis ferrugineo subnitido, capitis flavido, antennarum articulo ultimo a medio ad apicem atro, alis pallescentibus immaculatis &c., a prioribus facile distingvitur. Caput sordide flavum, nitens. Frons haud prominula, latissima.

Antennæ subporrectæ, oblongo-ovatæ, seta subnuda, fusca. Epistoma infra oculos paullo descendens, latum. Palpi & proboscis testacea. Genæ modice longæ. Oculi mediocres, rotundi. Abdomen ovatum, subfusco-ferrugineum, segmentis 2, 3, 4 & 5 æque longis, 1 & 6 brevissimis, ano parve, annulato, parum prominulo. Alæ longæ, pallescentes, nervis ut in prioribus directis. Nervus transv. ordinarius paullulum ante medium areæ insertus. Costa omnino nuda. Squamæ & halteres flavo-albida. Pedes pallide flavi, tarsis anticis subfuscis.

26. S. *thoracica:* ferruginea, subnitens; abdomine nigricante; capite pedibusque testaceis; antennarum apice tarsisque nigris; alis pallescentibus. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D. Prof. *Boheman*, qui eam in unico specimine mihi ad describendam communicavit.

♀. A priori, cui in ceteris simillima, differt: magnitudine minore, abdomine cinereo-nigricante, nec ferrugineo, tarsis omnibus & totis nigris, palpis & proboscide obscuris, nec testaceis, oculis forte nonnihil minoribus, & denique loco natali.

27. S. *dubia:* testacea, opaca; epistomate albo; antennis fulvescentibus, apice atris; fronte pedibusque flavis, tarsis anticis nigris; alis cinereis, basi pallidis, nervis transversis leviter infuscatis. ♂♀. (Long. 1 fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis linearis segmenta: 1, 2, 3 & 4 subæque longa, plerumque fusco-maculata seu cinereo-subfasciata, 5:tum 4:to duplo brevius etiam fuscum, 6:tum seu anale longitudine fere 4:ti, convexum, testaceum, anus rotundatus inflexus, testaceus, subnitidus; pedes pallide flavi, antici: coxis albidis, tibiis sæpe leviter fuscanis, tarsorum articulis 3 l. 4 ultimis nigris; postici: tarsorum articulis 2 l. 3 ultimis sæpissime nigricantibus;

Fem: sæpe major; abdominis sublanceolati ferruginei segmenta: 1, 2, 3, 4 & 5 subæque longa, 6:tum brevissimum sub 5:to

fere totum retractum, anus parvus subacutus, parum prominulus; pedes pallide flavi, antici: coxis albidis, femoribus plerumque apice tibiisque fere totis fuscis, tarsis atris, basi interdum pallidis; postici: tarsorum articulis 3 l. 4 ultimis nigricantibus; in copula.

Fall. Sciomyz. 13. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 21. 28 (e descriptione Falleni transscripta). Zett. Ins. Lapp. 738. 9. ♂♀.

Hab. in graminosis locis humidis umbrosis, per Scandinaviæ hortos & prata, a medio Maji usque ad medium Sept., passim frequens, in copula multoties capta; nempe in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd &c., vulgaris; in Gottlandia ad Nähr, Gothem, Garde, &c., passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Lycksele parce; in Norwegia ad Thynäs semel, D. *Dahlbom;* in Dania frequens, D. *Staeger.* (E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. Caput ut in proxime præcedentibus constructum. Frons flava l. fulva, orbitis oculorum tenuibus, albis. Antennæ saturate flavæ, articulo ultimo a medio ad apicem atro, seta fusca, subtilissime puberula. Epistoma albidum. Palpi & proboscis testacea. Thorax rufo-testaceus, disco dorsali cinereo, rudimento linearum 2 fuscarum. Scutellum & abdomen rufo-testacea. Alæ longiusculæ, cinereæ, basi pallidiores, nervis costali & transversis ordinariis nigricantibus. Nervi præterea ut in *S. rufa* (25) directi. Squamæ minutæ & halteres albida. Pedes ut in diagnosi.

28. *S. cinerella:* obscure cinerascens, opaca; epistomate orbitisque oculorum albis; antennis obscuris; fronte lineis 2 flavis l. fulvis; pedibus flavis, femoribus tibiisque anticorum, tarsisque omnium, nigris; alis albo-cinereis, costa nervisque transversis fuscis. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Mas* & *femina secundum structuram abdominis ut in priore differunt.

Fall. Sciomyz. 14. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 16. 16. Macq. Buff. 2. 107. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 739. 10. ♂♀.

Hab. in graminosis & paludosis per hortos & prata Scandinaviæ præsertim litoralia, Jul.—Sept., vulgaris; scilicet in Scania ubique; in Gottlandia ad Ejsta, Martebo, Stenkyrka, Fårön &c., copiose; in Bahusia ad Marstrand; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Umenäs rarissime; in Dania frequens, D. *Staeger*. (In insula Rugia ad Stubbenkammer, a D. *Dahlbom* 1 Jun. 1842 lecta; & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missa).

♂♀. Statura & magnitudo prioris, sed antennis totis nigricantibus, corpore obscuro, fronte albo-trilineata, alarum costa fusca &c., abunde dignota. Frons non prominula, lata, flava l. fulva, orbitis oculorum albis & linea media nigra albo-micante. Antennæ nigræ, interdum basi fuscæ, articulo ultimo ovato, seta nigra tenuiter pubescente. Epistoma latum, infra oculos breviter descendens, album. Palpi & proboscis testacea. Oculi mediocres, rotundi in viva obscure ferruginei. Thorax cinereus, dorso lineis 2 approximatis obscuris. Scutellum cinereo-testaceum. Abdomen cinereum. Alæ albescentes, nervis nigris. Costa (in interstitio 1:mo) & nervi transversi infuscati. Præterea directio nervorum eadem est ac in præcedente. Squamæ & halteres alba. Pedes antici atri, coxis flavo-albidis; posteriores flavi, tarsis nigris. — Variat abdominis incisuris testaceis.

---

149. SEPEDON Latr.

Corpus majoris magnitudinis, elongatum subcylindricum, glabriculum, parcissime pilosulum. Frons parum prominula, lata, glabra, in medio foveolata. l. rugosa, vertice setuloso, ocellis 3.

Antennæ capite longiores, horizontaliter porrectæ, basi distantes, articulo 1:mo brevissimo, cyathiformi, 2:do fere sextuplo longiore, compresso, setuloso, ultimo 2:do fere dimidio breviore, subconico, compresso, acuto, basi seta dorsali brevissime puberula. Epistoma perpendiculare, infra oculos sat longe descendens, latitudine longius, nudum, apice subcoarctatum, subreflexum. Prælabrum non prominulum. Palpi subfiliformes. Oculi mediocres, exserti, globosi, in vivo ferruginei, æneo-micantes, lineis 2 transversis purpurascentibus. Genæ elongatæ. Thorax nudus, postice & lateribus parcissime setosus. Scutellum apice bisetosum. Abdomen 6-annulatum, glabrum. Alæ incumbentes, abdomine paullo longiores, non vibrantes. Nervi: auxiliaris non omnino ad medium costæ extensus; longitudinales 3 & 4 recti & paralleli; transversus ordinarius in medio areæ insertus, leviter arcuatus, & ad marginem subretractus. Alulæ oblongæ. Squamæ rudimentariæ. Pedes mediocres, subnudi, femoribus posticis elongatis, crassis, subtus spinulosis. *Color* nigricans l. testaceus. *Motu* haud agilis; volatus tardus. *Habitatio* in plantis paludosis & aquaticis, libenter in Calamariis. *Differentia sexus; mas:* abdominis segmenta: 1 breve, 2:dum 1:mo saltem duplo longius, 3 & 4 secundo fere dimidio breviora, 5:tum 4:to duplo brevius, 6:tum subduplicatum 5:to paullulum longius, subconvexum, anus minutus inflexus; *femina:* abdominis segmenta: 1 breve, 2:dum 1:mo saltem duplo longius, 3 & 4 secundo fere dimidio breviora, 5:tum 4:to saltem dimidio brevius, anus annulis decrescentibus subacutus.

1. *S. sphegeus:* nigricans; pedibus ferrugineis, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Fall. Sciomyz. 2. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 28. 1. Macq. Buff. 2. 363. 1. ♂♀. T. 17. f. 16. *Baccha sphegea* Fabr. Antl. 199. 1. *Mulio sphegeus* Panz. Fn. 77. f. 21. ♂ (antennis male delineatis). — *Musca rufipes* Panz. Fn. 60. f. 23. ♀. *Scatophaga rufipes* Fabr. Antl. 207. 18. *Sepedon palustris* Latr. Gen. p. 350.

Hab. in plantis aqvaticis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, ab ineunte Aprili usque ad finem Septembris, vulgaris, in copula quoque visa; scilicet in Scania, Smolandia & Ostrogothia, frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania freq., D. *Staeger.* (E Finlandia a Prof. *Sahlberg*, ex Hamburgo & Gryphiam a D. *Dahlbom* & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, communicatus).

♂♀. Niger nitidus, polline glauco præsertim in thorace obductus. Caput cærulescens. Antennæ nigræ, seta apice alba. Palpi & proboscis nigra. Thorax dorso lineis 2 nigricantibus. Scutellum apice plerumque ferrugineum. Abdomen cærulescenti nigrum, nitidum. Alæ subflavidæ, nervis transversis leniter infuscatis. Pedes ferruginei, coxis nigris, tarsis apice fuscis. — Variat tarsis saltem anticis totis nigris.

2. *S. Haeffneri:* ferrugineus; epistomate pallido, albo-micante; capitis punctis 1 antennarumque apice nigris; pedibus flavis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Sciomyz. 3. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 29. 2. Macq. Buff. 2. 363. 3. ♂♀. *Sepedon ferrugineus* Leon Dufour in Extr. des Annal. des Scienc. Natur. Tom. 30. p. 10. n:o 12. T. 17. f. 7. (antenna).

Hab. in plantis amnium & rivulorum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 1 Jul.—4 Octob., passim frequens; nempe in Scania ad Lund, Kjellby, Fogelsång (Doct. *v. Borck)*, Esperöd in paroecia Tranås &c., non raro; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Gottlandia ad paludem Hellvig, parce; in Uplandia ad Holmiam, D.D. *Wahlberg* & *B. F. Fries*, certis annis copiose, ad Upsaliam, D. *Haeffner;* in Dania ad aqvas frequens,

D. *Staeger.* (Sub nomine: *Sep. ferrugineus* uterque sexus e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missus; e Finlandia a D. *Sahlberg* quoque communicatus).

♂♀. Priori paullo minor & colore multo diversus. Frons parum nitida, fulvo-flava, ad latera ante antennas maculis 2 atris. Antennæ ferrugineæ, articulo ultimo apice nigro, seta rufa, apice alba. Epistoma nitidum, pallidum, albo-micans, puncto utrinque sub antennis atro. Palpi flavi. Proboscis testacea. Thorax subopacus, ferrugineus, dorso plerumque fuscus l. subcinerascens, lineis 4 obscuris, pleuris albo-micantibus. Abdomen nitens, ferrugineum, punctis dorsalibus fuscis obsoletis. Alæ cinereo-flavidæ, nervis transversis plus minus infuscatis. Pedes flavi, metatarsis plerumque, raro tarsis totis, subinfuscatis.

---

150. TETANOCERA Latr.

Corpus majoris, mediæ, raro minoris magnitudinis, oblongum, duriusculum, opacum, puberulum, vertice, thoracis lateribus scutellique margine parce setulosis. Frons subprominula, latissima, lævis, sulcula medio interdum exarata. Ocelli 3. Antennæ longitudine capitis, horizontaliter porrectæ, compressæ, basi distantes, articulis 1:mo brevissimo, 2:do sæpe sexduplo longiore, dilatato, setuloso, ultimo compressim ovato-conico, seta dorsali plumata, aut nudiuscula. Epistoma & prælabrum ut in *Sepedone.* Palpi subclavati. Oculi mediocres, rotundati, exserti. Genæ elongatæ. Scutellum margine 4-setosum. Abdomen 6-annulatum, glabriculum. Alæ ut in præcedente, sed nervus transversus ordinarius sæpe magis inflexus. Pedes mediocres, femoribus validis, posticis subtus interdum breviter setulosis. Tibiæ intermediæ apice spinulosæ. *Color* testaceus, raro obscurus. *Motus* sat celer, volatu veloci. *Habitatio* in graminosis & paludosis. In culmis Scirpi, Caricum, Arundinetis aliisque graminibus sæpe erecto capite quasi arroganter sedet. *Differentia sexus* ut in *Sepedone.* A *Sciomyza* an-

tennis longioribus, articulo ultimo superne subexciso, & nervo transverso ordinario sæpissime incurvo, & a *Sepedone* antennarum articulis 2 & 3 subæque longis (nec 2:do longissimo), ut & femoribus posticis ceteris fere æqualiter longis, l. saltem paullo tantum longioribus, subtus plerumque subinermibus, differt. Typi generis: *T. Chærophylli, ferruginea* & *cucularia.*

Conspectus specierum:

A. Seta antennarum plumata. *Tetanocera* Meig. Suppl. (Pars 7:ma).

*). Alæ reticulatim pictæ l. nebulosæ.

1 *Chærophylli* Fabr. (*T. variegata* Fall.) ♂♀. 2 *reticulata* Fabr. (*T. obsoleta* Fall.) ♂♀. 3 *punctata* Fabr. ♂♀. 4 *marginata* Fabr. (*T. crinicornis* Fall.) ♂♀. 5 *cincta* Fabr. ♂♀. 6 *rufifrons* Fabr. (*T. reticulata* Fall.) ♂♀. 7 *Pratorum* Fall. (*Musca flavifrons* Panz.) ♂♀. 8 *obliterata* Fabr. ♂♀. 9 *Nemorum* Fall. (*Tephritis Hieracii* Fabr. *Dictya umbrarum* Fabr. *Oscinis Argus* Fabr.) ♂♀. 10 *Umbrarum* Fall. (*Scatophaga gemmata* Ahrens.) ♂♀.

**). Alæ reticulatim non pictæ: nervis transversis plerumque infuscatis, horum ordinario subrecto l. tantum leviter curvato. Frons trisulcata, fulva. Epistoma albidum. Oculi in vivis ferruginei, æneo-micantes, unicolores, scilicet transversim non lineati.

11 *ferruginea* Fall. ♂♀. 12 *arrogans* Fabr. ♂♀. 13 *elata* Fabr. ♂♀. 14 *silvatica* Meig. ♂♀.

B. Seta antennarum nuda aut nudiuscula. Frons subprominula. Epistoma subperpendiculare.

Alarum nervus transversus ordinarius in litteram S. flexus (in *T. sciomyzina* n:o 19 rectus). Oculi in vivis læte ferruginei, sæpissime lineis 2 transversis purpureis (in *T. sciomyzina* oculi in viva rufescentes, unicolores). — *Elgiva* Meig. Suppl. (P. 7).

†. Antennarum longarum articulus 3:tius apice acutiusculus & 2:dus plerumque subæque longi (in *T. sciomyzina* (19) articulus ultimus 2:dus multo longior).

15 *rufa* Panz. (*Scatophaga cucullaria* Fabr. Fall.) ♂♀. 16 *cucularia* Linn. Meig. (*Tetan. Sundewalli* Fries) ♂♀. 17 *aratoria* Fabr. (*T. interstincta* Fall.) ♂♀. 18 *lineata* Fall. ♂♀. 19 *sciomyzina* Zett. n. sp. ♀.

††. Antennarum minus elongatarum articulis 3:tius apice subobtusiusculus 2:do fere nonnihil longior.

20 *dorsalis* Fabr. (*Tetan. punctipennis* Fall. *Musca rufifrons* Panz.?) ♂♀.

Tetanocera.

A. Seta antennarum plumata. *Tetanocera* Meig. Suppl.

*). Alæ reticulatim pictæ l. nebulosæ.

1. *T. Chærophylli:* griseo-testacea; epistomate albomicante; fronte fulvescente, punctis 3 nigro-brunneis; thorace ferrugineo-punctato; antennis pedibusque flavis; abdominis linea dorsali interrupta, tarsisque apice, obscuris; alis albidis, confertim fusco-reticulatis, nervo transverso ordinario subrecto. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Mas: abdominis linearis segmenta: 1 breve, 2 duplo longius, 3 & 4 subæqualia, 5:tum 4:to saltem duplo brevius, subretractum, 6:tum seu anale sat magnum, rotundatum, convexum, testaceum, submaculatum cum appendice caudali inflexa testacea; femora postica subtus inæqualiter nigro-setulosa;

Fem.: abdominis lanceolati segmenta: 1 breve, 2 saltem dimidio longius, 3 & 4 subæqvalia, 5:tum 4:to duplo brevius, 6:tum brevissimum, angustatum, annulatum; femora postica subtus subnuda; in copula.

Meig. Dipt. 6. 35. 4. Macqv. Buff. 2. 367. 6. Zett. Ins. Lapp. 740. 1. ♂♀. *Scatophaga Chærophylli* Fabr. Antl. 207. 16. *Tetanocera variegata* Fall. Sciomyz. 4. 1. ♂♀.

Hab. in hortis & pratis umbrosis, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, ab initio Junii usque ad finem Septemb., sat vulgaris, in copula pluries deprehensa; scilicet in Scania, Smolandia, Blekingia & Ostrogothia, frequens; in Ölandia; in Westrogothia ad Gothoburgum &c.; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Nericia, passim; sed supra hanc provinciam mihi non nisi rarissime obvia; in Daniæ silvis passim frequens, D. *Staeger*.

♂♀. Frons fulva, linea media lucida brunnea, puncto in medio obscuriore. Juxta oculos macula obliqua nigro-brunnea, utrinque albedine terminata. Inter antennas & oculos linea utrinque brunnea. Antennæ modice longæ, flavæ, articulis 2 & 3 æque longis, seta pallida, distincte plumata. Epistoma albo-corneum, subreclinatum, apice non reflexum, utrinque sulcatum. Palpi subclavati, albi. Proboscis testacea. Mentum parce nigro-setosum. Oculi rotundi, in viva rufo-ferruginei, unicolores. Thorax testaceus, maculis punctiformibus in dorso & pectore dilute brunneis & vestigio linearum dorsalium ejusdem coloris. Scutellum dilute brunneo-trimaculatum. Abdomen testaceum, plerumque fusco-submaculatum. Alæ abdomine longiores, la-

tiusculæ, albidæ, confertim fusco-reticulatæ, costa basi punctis 3 l. 4 nigricantibus, & maculis in interstitio 1:mo subquinis, quarum 1, 3 & 4 majoribus subquadratis, 2:da angusta perpendiculari, & 5:ta seu extima subtrigona, omnibus distinctis, fuscis. Reticulatio ad apicem alæ subfasciata, punctum album in apice interstitii nervorum longit. 3 & 4 includens. Nervi transversi nigricantes, ordinarius subrectus l. tantum levissime curvatus, paullo ante medium areæ insertus & a margine alæ sat remotus. Alulæ vix ullæ. Squamæ rudimentariæ. Halteres albi. Pedes flavi, nigro-pubescentes, tarsorum apice nigricante.

2. *T. reticulata:* testacea; epistomate albo-micante; fronte fulvescente, punctis paucis nigro-brunneis; thorace obsolete ferrugineo-quadrilineato; antennis pedibusque flavis; alis cinereo-flavidis, confertim obsolete fusco-subreticulatis, punctis costalibus fuscis rotundatis, discretis, nervo transverso ordinario curvato. ♂♀. (Long. circit. 3 lin.).

Mas & femina ut in præcedente differunt.

Latr. gen. 4. p. 350. Meig. Dipt. 6. 35. 5. ♂♀. Macq. Buff. 2. 368. 7. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 740. 2. ♂♀. *Scatophaga* eadem Fabr. Antl. 206. 12. *Tetanocera obsoleta* Fall. Sciom. 5. 2. ♂♀.

Hab. in plantis aqvaticis & paludosis, per Scandinaviæ hortos, prata & litora marina, Jun.—Sept., passim copiose, in copula etiam observata; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, ubique vulgaris; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Ölandia ad Ottenby &c. passim; in Gottlandia ad Öja, Gothem &c.; deinde parcius occurrit & in Lapponia Tornensi a D. *Deutsch* rarissime visa; in Dania freq., D. *Staeger.* (Ex Hamburgo & Gryphia a D. *Dahlbom*, e Königsberg a D. *Andersch* (mus. Fall.), & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, communicata).

♂♀. A priore, cui similis, præcipue differt: antennis apice acutioribus, seta obscuriore, frontis linea media lucida foveolata non nigro-punctata, thoracis dorso lineato, nec punctato, alis obsoletius reticulatis, maculis costalibus rotundatis, nec subquadratis, & denique nervo transverso ordinario magis curvato. Frons utrinque ad oculos punctis 3 nigris, uno ad antennas maculiformi obliquo, 2 & 3 parvis posterius positis æquali spatio remotis. Epistoma apice levissime reflexum. Vertex punctis 2 albo-micantibus. Oculi in viva ferruginei æneo-micantes, lineis 2 transversis purpureis. Scutellum vitta media dilute brunnea. Abdomen apice pace setosum. Alarum puncta costalia in interstitio 1:mo septem, rotundata, subæque magna, æquali spatio distantia, fusca. Nervus transvers. ordinarius obliquus, incurvatus, in medio areæ insertus. Cetera ut in præcedente. Variat fronte supra antennas lineolis 2 longitudinalibus abbreviatis brunneis; frequens.

3. *T. punctata:* griseo-testacea; epistomate albomicante; fronte fulvescente, obsolete fusco-tristriata; thorace brunneo-quadrilineolato; antennis ferrugineis, apice acutis nudis; pedibus flavis; alis cinerascentibus, nervis longitudinalibus utrinque punctatis, punctis costalibus majoribus discretis, nervo transverso ordinario inflexo. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Mas & femina ut in prioribus differunt.

Meig. Dipt. 6. 38. 9. T. 57. f. 15. (ala). — Macq. Buff. 2. 369. 11. Zett. Ins. Lapp. 740. 3. ♀. *Scatophaga* Fabr. Antl. 207. 17.

Hab. in plantis aqvaticis præsertim Scandinaviæ meridionalis & mediæ, Jun.—Aug., minus frequens; in copula deprehensa; scilicet in Scania ad Lund; in Smolandia ad Skärsjö, museum D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Ölandia parce; in Uplandia ad Nacka

prope Holmiam, D.D. *B. Fr. Fries & Nyblæus*; in Lapponia Tornensi, D. *Frigelius*; in Dania raro, D. *Staeger*. (In Germania ad Neuenkirchen jam 15—20 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* lecta. Specimina ex utroque sexu a D. *Macquart* per D. *Leon Dufour* e Gallia 1844 sub eodem nomine quoque obtinui).

♂♀. Priori valde similis, sed magnitudine paullo minore, antennarum articulo 2:do paullo breviore, & præcipue alarum pictura non reticulata, sed punctata, punctis nervis longitudinalibus utrinque adhærentibus, differt. Caput ut in priore, sed frons loco punctorum nigrorum lineis 3 dilute brunneis, media distinctiore, lateralibus ad oculos valde obsoletis. Antennarum articulus ultimus 2:do nonnihil longior, seta distincte plumata, nigra. Abdominis linea dorsalis fusca. Alarum puncta fusca: ad nervum longitudinalem 2:dum supra (in interstitio 1:mo ad costam) 6 l. 7 majuscula, subrotundata, & subtus 4 l. 5 minora cum superioribus alternantia; ad nervum 3:tium 4 l. 5 punctarum paria, subopposita; ad nervum 4:tum puncta supra circiter 5 l. 6 minora, & subtus 3 l. 4; & ad nervum 5:tum puncta utrinque 3 l. 4 subopposita, parva. Nervi transversi infuscati, ordinarius manifeste inflexus. — Reliqua ut in priori. — Variat thorace abdomineque paullo obscurioribus, tarsis apice fuscis.

4. *T. marginata:* thorace griseo-cinereo; abdomine nigricante; epistomate albo; fronte flava, maculis 2 majoribus atris; antennis testaceis apice nigris & nigro-pilosis, seta alba; pedibus fuscis; alis confertim fusco-reticulatis, costa saturatiore, nervo transverso ordinario leniter curvato. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 6. 33. 1. T. 57. f. 9. (antenna). — Macq. Buff. 2. 366. 3. ♂♀. Loew Dipterolog. Beiträg. Posen 1845 p. 40. n:o 2. *Scatophaga* Fabr. Antl. 203. 1. *Musca*

eadem Panz. Fn. 32. f. 22. *Tetanocera crinicornis* Fall. Sciomyz. 5. 3. ♂♀. certe (exclus. forte synon. *Scatoph. cincta* Fabr.).

Hab. in graminosis & fruticibus, per prata & silvas Scandinaviæ, Jul. Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd & Vidtsköfle rarius; in Smolandia, mus. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Godegård parce; in Ölandia ad Borgholm sat frequens; in Norwegia ad Christiania D.D. *Dahlbom* & *Moë*, ad Thynäs frequens, ipse; in Daniæ silvis non raro, D. *Staeger*. (Ex Hamburgo a D. *Dahlbom*, e Glogavia a D. *Zeller* & e S:t Sever Galliæ a *Leon Dufour* communicata).

♂♀. Per colorem corporis obscurum, antennarum apicem setosum & alarum picturam ab aliis facile dignota. Frons prominens, flava, in medio juxta oculos maculis 2 pyriformibus, majusculis, atris, & antice inter antennarum basin & oculos linea nigra. Punctum verticis nigrum. Antennæ elongatæ, flavæ, articulis 2 & 3 æque longis, horum ultimo summo apice acuto, nigro & nigro-setoso, seta ordinaria non longe sed dense plumosa, alba, basi flava. Epistoma albo-corneum, immaculatum. Palpi flavi. Proboscis testacea. Oculi ferruginei, in viva lineis 2 transversis purpureis. Thorax supra griseo-cinerascens confertim subtiliter nigro-punctulatus, subtus rufescens, subnitidus. Abdomen nigricans, ano (in ♂) testaceo. Alæ fuscæ, creberrime albo-guttatæ, costa nigra, immaculata, margine interiore fusco. Nervi transversi infuscati. Squamæ rudimentariæ & halteres sordide albida. Pedes fusci, genubus omnibus late & indeterminate, metatarsisque posterioribus plerumque pallidioribus.

5. *T. cincta:* thorace cinereo; abdomine fusco; epistomate albo-micante; fronte flava, maculis 2 atris; antennis totis testaceis, apice setosis; alis fusco-reticulatis, costa nervisque transversis obscurioribus. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. 33. 2. ♂♀. *Scatophaga* eadem Fabr. Antl. 206. 11.

Hab. in Dania, teste *Fabricio;* a me neque capta, neque visa.

♂♀. Simillima priori, a qua vero magnitudine duplo minore, antennis totis rufo-testaceis, nec apice nigris, ut & pedibus testaceis, solum tarsis apice fuscis, differre videtur. — Seta antennarum alba. — Nervus transversus ordinarius rectus. Cetera ut in præcedente.

6. *T. rufifrons:* griseo-testacea; epistomate albomicante; fronte flava, nigro-maculata; antennis testaceis, apice nudis; pedibus flavis; alis obsolete fusco-reticulatis, costa obscuriore, nervo transverso ordinario subrecto. ♂♀. (Long. $2\frac{3}{4}$—3 lin.).

Meig. Dipt. 6. 36. 6. ♂♀. Macq. Buff. 2. 368. 8. ♂♀. *Scatophaga* Fabr. Antl. 205. 7? *Tetanocera reticulata* Fall. Sciomyz. 6. 4. ♂. certe. — *Tet. recta* Loew Dipterolog. Beiträg. Posen 1845. 4.

Hab. in fruticibus & graminosis præsertim locis paludosis, per hortos & prata Scandinaviæ meridionalis vulgaris, mediæ rarior, Jul. Aug. obvia, in copula sæpe observata; scilicet in Scania ad Lund, Beckaskog, Esperöd in paroecia Tranås, Vidtsköfle, &c., frequens; in Westrogothia ad Kinnekulle, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Öja parce; in Dania ad aqvas frequens, D. *Staeger.* (Ad Elisenheine prope Gryphiam 6 Sept. 1842 & ad Hamburgum legit D. *Dahlbom).*

♂♀. Affinis & similis *T. reticulatæ* (2) & *marginatæ* (4), sed ab harum priore alarum costa continue obscura, nec punctis fuscis discretis ornata, & nervo transverso ordinario magis

recto, atque a posteriore colore dilutiore, antennis apice non nigris, apice nudis, & pedibus testaceis, dignota. Frons prominens, fulvescenti flava, apice brunnea, antice in medio lineolis 2 brevibus, approximatis, fuscis, pone has juxta oculos macula utrinque majuscula, pyriformi, l. rotundata, atra, in illæsis anguste argenteo-terminata, & macula alia trapeziformi nigra in vertice. Vitta media lucida. Antennæ mediocres, latæ, compressæ, articulo 2:do pallido, 3:tio ovato, flavo, antecedente fere paullo breviore, apice subobtuso, seta alba, breviter plumosa, basi flava. Epistoma & palpi albida. Proboscis testacea. Oculi ut in priore picti. Thorax rufo-testaceus, dorso leviter cinereo-grisescens, lineolis 2 tenuibus, remotis, ferrugineis. Scutellum lineola media brunnea. Abdomen testaceum, dorso interdum fusco-maculatum, & lineola media interrupta fusca obsoleta. Alæ albidæ, obsolete fusco-reticulatæ, margine interiore fusco. Costa saturatius fusca, pone apicem nervi auxiliaris punctis 3—4 albis. Nervi transversi infuscati, ordinarius subrectus l. leniter tantum flexus. Halteres albi. Pedes toti flavi, coxis testaceis. — In specimine unico monstroso masculo setæ duæ in antenna sinistra adsunt.

Obs. In exemplis a D. *Leon Dufour* e S:t Sever Galliæ sub hoc nomine missis antennæ summo apice nigricantes, thorax supra nonnihil obscurior, alæ præsertim ad costam adhuc saturatius fuscæ fere nigricantes, ut & tarsi saltem apice obscuri sunt, quæ Meigeni *Tet. rufifrons* genuina videntur. In ceteris cum nostra specie omnino conveniunt. *T. rufifrons* Loew l. c. p. 41. 5. similis nostræ *T. rufifronti*, at nervo transverso ordinario inflexo vere distincta, in Scandinavia a me non observata.

7. *T. Pratorum:* testacea; epistomate albo-micante; fronte flava, nigro-maculata; antennis flavis, apice acutis, nudis, fuscis; thoracis dorso fusco-cinereo-bivittato; pedibus flavis; alis obsolete fusco-reticulatis, costa obscuriore, nervo transverso ordinario subcurvato. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Fall. Sciomyz. 6. 5. ♂♀. vera (exclus. forte syn. Fabr. *Scatophaga rufifronte*). — Meig. Dipt. 6. 37. 7. Macq. Buff. 2. 368. 10. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 740. 4. ♂♀. *Musca flavifrons* Panz. Fn. 60. f. 22 (alis supra modum obscuris).

Hab. in graminosis plerumque locis uliginosis, per prata & nemora Scandinaviæ, Jun.—Sept., passim copiose, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania, Blekingia *(v. Borck)*, Smolandia *(Ljungh)*, Ostro- & Vestrogothia, vulgaris; in Ölandia ad Gärdslösa &c., passim; in Gottlandia ad Nähr, Thorsborg, Sanda, Furillen, Hoburg, Martebo-myr, Lärbro, &c., copiosissime; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad radicem alpium Mullfjellen parce; intra Lapponiæ fines rarissima; in Dania frequens. (Ad Jungfern-Heide & Moabite prope Berolinum, ad Gryphiam atque ad Stettin in multis exemplis utriusque sexus a D. *Dahlbom* mense Jul. 1842 lecta. E Gallia a D. *Macqvart*, per D. *Leon Dufour* communicata).

♂♀. Antennarum apex acutus nigricans, frontis puncta pauca nigra parva, thoracis vittæ 2 cinerascentes alarumque pictura speciem imprimis denotant. Frons prominula, latissima, flava, macula utrinque inter antennas & oculos, puncto utrinque juxta oculos parvo, maculaque verticis subquadrata albo-cincta, atris. Vitta media sulcata nitida certo situ albo-micans, antice lineolis 2 brunneis ornata. Antennarum articulus ultimus 2:do fere paullo brevior, seta breviter plumata, alba. Epistoma subdeclive, apice subreflexum. Palpi flavi. Oculi subtransversi, in viva ferruginei, lineis 2 purpureis. Thorax testaceus, dorso dilute cinerascens, vittis 3 latis flavis aut dilute brunneis. Scutellum dilute cinereum, linea media brunnea plerumque obsoleta. Abdomen testaceum, dorso sæpius fuscescens, ano (in ♂) ferrugineo. Alæ albidæ, plus minus obsolete fusco-reticulatæ, costa saturatius fusca maculis albis non intermixta,

margine interiore albido-cinereo, immaculato. Halteres albi. Pedes flavi, tarsis saltem apice plerumque fuscis l. nigricantibus. *Obs.* In Collectione Ljunghiana sub nomine: "*Musca rufifrons* Fabr." uterque sexus exstat. — Specimina Gallica Scandinavicis paullo majora, de cetero simillima.

8. *T. obliterata:* supra dilute cinerascens, sublus rufo-testacea; epistomate declivi albo-micante; fronte fulvescenti flava, nigro-punctata; antennis flavo-testaceis, apice acutis, nudis; thorace ferrugineo-lineato; pedibus flavis, tarsis apice fuscis; alis obsoletissime fusco-reticulatis, punctis 5—6 ad costam distinctioribus, nervo transverso ordinario subrecto. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.).

Fall. Sciomyz. 7. 6. ♂♀. vera. — Meig. Dipt. 6. 38. 8. ♂. Macq. Buff. 2. 366. 1. ♂♀. Loew Dipt. Beitr. Posen 1845. p. 46. 12. *Scatophaga* Fabr. Antl. 205. 9.

Hab. in foliis fruticum & graminosis juxta aqvas, per prata & silvas Sueciæ meridionalis & mediæ, ab initio Julii usque ad ineuntem Septembrem mihi passim obvia, in copula etiam sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Räften & utrumque Esperöd (in paroeciis Tranås & Mellby), parce; in Smolandia ad Skärsjö, *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena minus frequens; in Gottlandia ad Storugns, Lärbro, Garde, Westerby, Thorsborg, Stenkyrka (in palude), Martebo-myr &c., copiose; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia ad Rörsbyttan, D. *Dahlbom;* in Jemtlandia af Hofverberget raro.

♂♀. Per magnitudinem nonnihil minorem, graciliorem, antennarum articulum ultimum 2:do fere paullo longiorem, maculas frontales nigras inter antennarum radicem & oculos minores, thoracis lineas dorsales fuscas tenuiores, ut & præcipue alas adhuc obsoletius reticulatas, costam concolorem, a priore, cui

de cetero valde similis & affinis, dignoscitur. Frons ut in priore constructa & picta. Antennarum apex interdum obscurus, seta breviter plumata, alba, basi flava. Epistoma valde declivum. Oculi subtransversi, exserti, in viva ferruginei, æneo-micantes, lineis 2 transversis purpureis. Thorax dorso rufo-cinerascens, lineis subqvatuor ferrugineis l. fuscis, harum 2 mediis approximatis tenuibus, lateralibus obsoletioribus. Abdomen dorso fuscum, ano (in ♂) testaceo. Alæ subangustatæ, albidæ, obsoletissime fusco-reticulatæ, in interstitio 1:mo seu costali punctis subquadratis l. maculis minoribus 5—6 liberis fuscis obsoletis, sed tamen reticulatione distinctioribus. Halteres albi. Pedes longiusculi, flavi, tarsis apice infuscatis. Femora postica præsertim in ♂ subtus ut in antecedentibus breviter nigro-setulosa. Femora antica subtus etiam breviter setulosa.

Obs. Specimen femineum, quod sub nomine: "*Tet. obliterata* Meig. *Chione ichneumonea* Rob. Desvoid." e S:t Sever Galliæ mihi misit D. *Leon Dufour*, non ad hanc speciem, sed potius ad *Tet. reticulatam* (2) referendum.

9. *T. Nemorum:* thorace griseo-pallido, parce fusco-punctato; epistomate albo; fronte flava, parce brunneo-punctata; antennis testaceis, apice subobtusis; abdomine glaucescente, brunneo-maculato; pedibus flavis; alis fuscis, confertim albo-maculatis, nervo transverso ordinario recto. ♂♀. (Long. 1½-fere 2 lin.).

Fall. Sciomyz. 8. 8. ♂♀. vera. — Zett. Ins. Lapp. 741. 6. ♂♀. *Tetan. Hieracii* Meig. 6. 39. 11. t. 57. f. 18. Macq. Buff. 2. 369. 13. *Tephritis Hieracii* Fabr. Antl. 322. 29., teste Meig. — *Dictya Umbrarum* Fabr. Antl. 325. 69., teste Fall. (exclus. syn. Linn.). *Oscinis Argus* Fabr. Antl. 216. 7., teste Meigen.

Hab. in fruticibus & graminosis (vix umquam in floribus), per hortos, prata, silvas & paludes totius Scan-

dinaviæ, ab ineunte Junio usque ad Septemb., vulgatissima, in copula sæpe visa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia & Ostrogothia, frequentissima; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Fårön, Ahlskog, Thorsborg, Stenkyrka, Hafdhem, Furillen, Garde, Fardume-träsk &c., copiose; in Westrogothia (ad Sparresäter) & Bahusia passim; in Gestricia ad Hamrånge; in Jemtlandia ad Ristansfors & Mullfjellet parce; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina, rarissime; in Norwegia ad Thynäs, Levanger, Garnäs, Evenäs, Dyrön &c., non raro; in Dania freq., D. *Staeger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, ex Hamburgo, Gryphia, Lubeca, Sedino & Moabite a D. *Dahlbom*, & e Gallia a D. *Leon Dufour*, quoque communicata).

♂♀. Thoracis, abdominis alarumque pictura speciem mox designat. Frons flava, fovea media nulla, punctis ad oculos 4 minutis & macula utrinque inter antennas & oculos brunneis. Antennæ non elongatæ, articulis 2 & 3 æque longis, horum 3:tio subovato, seta distincte plumata, sordide albida. Epistoma modice declive. Palpi & proboscis testacea. Oculi rotundati l. transversim suboblongi, ferruginei, lineis 2 transversis purpureis. Thorax griseo-flavidus, punctis dorsalibus 4 parvis rotundatis, & antice lineolis 2 brevissimis, brunneis. Scutellum griseum, linea media brunnea. Metathorax cinereus, lateribus brunneus. Abdomen glauco-cinereum l. canum, segmentis 1, 2 & 3 macula difformi interdum dilatata vel tripunctata, 4 & 5 fascia lata inæquali, brunneis. Sed hæc pictura paullo variat. Anus brunneo-punctatus. Alæ saturate fuscæ, maculis albis in disco & margine interiore numerosis, rotundatis, majoribus minoribusque mixtis, ad costam quatuor majoribus distinctioribus quadratis cum totidem minoribus alternantibus. In interstitio 3:tio sub nervo long. 3:tio series punctorum minorum 6—8 alborum. Halteres albi. Pedes flavi, femoribus posticis subtus ad apicem macula fusca.

10. *T. Umbrarum:* obscure cinerea, fusco-variegata; epistomate albo, puncto medio minuto nigro; fronte flavida, brunneo-bipunctata; antennis testaceis, apice subobtusis; pedibus flavo-testaceis, nigro-annulatis; alis fuscis, confertim albo-guttatis, nervo transverso ordinario recto. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Fall. Sciom. 7. 7. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 39. 10. Macq. Buff. 2. 369. 12. Zett. Ins. Lapp. 741. 5. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1864. vera. — *Scatophaga gemmata* Ahrens. Fn. 3. 21. ♀. (exclus. syn. *Scatoph. Chærophylli* Fabr.)

Hab. in fruticibus & graminosis plerumque locis paludosis & umbrosis, per hortos, prata, nemora & silvas Scandinaviæ, 20 Maj.—20 Sept., vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång, Ahusa, Esperöd &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum; in Gottlandia ad Fårön, Westö (in paroecia Hall), Lummelund; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Helsingia ad Kårböle, D. *Dahlbom*; in Bottnia boreali ad Råbäcken, D. *Andersson*; in Lapponia Umensi ad Umenäs frequens; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi parce; in Norwegia ad Näs; in Dania rarius, D. *Staeger*.

♂♀. Similis & affinis priori, sed colore obscuriore, pedibus fusco-annulatis, oculis perpendiculariter (nec transversim) suboblongis, & præsertim epistomatis puncto centrali minuto nigro, abunde dignota. Frons & antennæ omnino ut in præcedente. Genæ linea fusca. Thorax cinereus, lineis 4 brunneis & præterea punctis minutis fuscis. Abdomen cinereum, obscure variegatum. Alæ ut in priore pictæ. Halteres albi. Pedes luteo-flavi, femorum annulis pone medium duobus, tibiarum tarsorumque apice nigricantibus.

**). Alæ reticulatim non pictæ: nervis transversis plerumque infuscatis, horum ordinario subrecto l. tantum leviter curvato. Frons trisulcata, fulva. Epistoma albidum. Oculi in vivis ferruginei, æneo-micantes, unicolores, transversim non lineati.

11. *T. ferruginea:* ferruginea; antennis testaceis, articulo ultimo apice subacuto 2:dum longitudine parum excedente; fronte subprominula; pedibus, flavis; alis flavido-hyalinis, nervis transversis infuscatis, ordinario leniter curvato. ♂♀. (Long. 3—3½ lin.).

Fall. Sciomyz. 9. 9. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 40. 12. Macq. Buff. 2. 370. 15. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 741. 7. ♂♀.

Hab. in paludosis per prata & silvas Scandinaviæ, Jun.—Sept., vulgaris, in copula interdum deprehensa; pupa oblonga, cylindrica, apice acuta, tota inermis, glabra, foveolata, grisea, in aqua stagnante (ad Lund) capta medio mensis Aprilis exclusa; obvia nempe in Scania, Smolandia Westro- & Ostrogothia ubique vulgaris; in Gottlandia ad Thorsborg, Hoburg, &c., passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Östersund; in Bottnia boreali circa Luleå, D. *Andersson;* in Lapponia Umensi ad Lycksele & Nästansjö, non parce; in Dania frequens, D. *Staeger.* (Ad Gryphiam & Neuenkirchen jam 20 Maj., & ad Rixdorff, Johannis Thal atque Rudover prope Berolinum, a D. *Dahlbom* lecta; e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* quoque missa).

♂♀. Opaca. Frons parum prominula, fulva, sulculis 3 nitidis, media distinctiore. Antennarum articulus ultimus 2:do saltem extus nonnihil fere longior, ovatus, apice acutiusculus, seta

longe plumata, nigra. Epistoma subperpendiculare, apice haud reflexum, totum pallidum, albo-micans. Palpi flavi. Proboscis testacea. Thorax ferrugineus, lineis 4 dilute brunneis obsoletis. Abdomen testaceum, dorso interdum linea media interrupta, brunnea. Alæ flavidæ, nervis transversis fuscedine cinctis, ordinario leniter tantum arcuato. Nervi long. 3 & 4 paralleli. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes flavi, coxis testaceis. Tarsi flavi, sed nigro-puberuli, unde obiter observati obscuri videntur. Ungves nigri & pulvilli albi in ♂ longiores quam in ♀. Variat ♀ tarsis apice fuscis.

12. *T. arrogans:* ferruginea; antennis testaceis, articulo ultimo apice obtuso 2:dum longitudine parum excedente; fronte subprominula; pedibus flavis; alis flavido-hyalinis, nervis transversis infuscatis, ordinario leniter curvato. ♂♀. (Long. $3\frac{1}{4}-3\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 41. 13. sine dubio eadem, licet "priore minor" dicatur, quod in nostra non oblinet. — Macq. Buff. 2. 370. 16. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 741. 8. ♂♀. (Sub *Tet. ferruginea* Fall. etiam latet).

Hab. in paludosis, Jun.—Sept., per Scandinaviam, vulgaris; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia & Ostrogothia frequens; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Nähr, Martebo &c.; in provinciis borealibus rarius occurrit; in Dania freq., D. *Staeger.* (Ad Hamburgum & Gryphiam jam 20 Maj. a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Simillima priori, sed plerumque paullo major, & antennarum articulo ultimo apice obtusiore 2:doque subæque longis, thoracis lineis dorsalibus paullo distinctioribus, alis forte magis flavescentibus, ut & nervo transverso ordinario interdum nonnihil magis inflexo, differre videtur. Thorax dorso sæpe griseus.

13. *T. elata:* ferrugineo-testacea; antennis testaceis, articulo ultimo apice subobtuso 2:dum longitudine paullo excedente; fronte parum prominula; pedibus flavis; alis flavido-albidis, costa nervisque transversis fuscis, ordinario subrecto. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

Fall. Sciomyz. 9. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 41. 14. t. 57. f. 16. (ala). — Macq. Buff. 2. 370. 17. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 741. 9. ♂♀. *Musca elata* Fabr. 297. 69.

Hab. in humidis & graminosis per prata & silvas Scandinaviæ, Maj.—Sept., vulgatissima, in copula multoties capta; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia & Ostrogothia passim copiose; in Ölandia ad Borgholm; in Gottlandia ad Gothem, Nähr, Kjellunge, Sanda, Wamlingbo &c., frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Östersund; in Lapponia Tornensi, D. *Deutsch;* in Norwegia ad Christiania (D. *Dahlbom)*, Thynäs, Levanger & Evenäs Nordlandiæ; in Dania frequens, D. *Staeger.* (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* & e Gryphia a Doct. *Dahlbom* missa).

♂♀. A duabus proxime præcedentibus, quibus de cetero valde similis, differt: nempe a *T. ferruginea* antennis apice paullo magis obtusis, a *T. arrogante* magnitudine minore fronteque paullo minus prominente, & ab utraque colore corporis magis testaceo & præcipue costa alarum tota plus minus intense fusca.

14. *T. silvatica:* ferrugineo-testacea; antennis testaceis, articulo ultimo apice obtuso 2:dum longitudine duplo excedente; fronte parum prominula; pedibus flavis; abdominis medio plerumque fusco; alis sordide hyalinis,

costa concolore, nervis transversis infuscatis, ordinario subrecto. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

Meig. Dipt. 6. 41. 15. Macq. Buff. 2. 371. 18. Zett. Ins. Lapp. 712. 10. ♂♀. *Tet. ferruginea* var. minor Fall. Sciomyz. 9. 9.

Hab. in fruticibus & graminosis locis paludosis per Scandinaviam, Jun.—Sept., vulgatissima, in copula juncta sæpe visa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia & Ostrogothia ubique vulgaris; in Ölandia; in Gottlandia ad Hoburg, Öja, Thorsborg, Fårön, Stenkyrka &c., frequens; in Jemtlandia ad Hofverberget, Mullfjellet, Åreskutan & Skalstugan, copiose; in Dalecarlia, D. *Boheman*; in Bottnia boreali circa Luleå, D. *Andersson*; in Lapponia Suecica ad Tresunda & Nästansjö rarius; in Norwegia ad Thynäs, Näs, Levanger, Suul, Kälahög (in regionem nivalem adscendens) usque ad Björkvik, Evenäs, Giebostad & Dyrön Nordlandiæ, haud raro; in Dania frequens, D. *Staeger*. (Ad Gryphiam 1845 a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Priori iterum simillima, sed plerumque nonnihil minor, antennarum articulo 2:do multo breviore, & costa alarum non nigricante, nervis tantum longitudinalibus 2, 3 & 4 apice interdum subinfuscatis, dignoscitur. — Sub nomine: "*Tet. unicolor* nov. sp." e Dania olim etiam obtinui.

B. Seta antennarum nuda aut nudiuscula. Frons subprominula. Epistoma subperpendiculare. Alarum nervus transversus ordin. in litteram S flexus (in *S. sciomyzina* n:o 19 rectus). Oculi in vivis læte ferruginei, lineis 2 transversis sæpissime purpureis. *Elgiva* Meig. Suppl. (Part. 7. pag. 365. Tab. 74. f. 32).

†. Antennarum longarum articulus 3:tius apice acutiusculus & 2:dus plerumque subæque longi.

15. *T. rufa:* ferruginea, thoracis dorso griseo, lineis 4 testaceis; epistomate albo-flavo; antennarum seta apice nivea; alis flavidis, maculis apicalibus obsoletis nervisque transversis fuscis; femoribus anticis spinulosis. ♂♀. (Long. ♂ 2—2½, ♀ 2½—3 lin.).

Musca rufa Panz. Fn. German. 54. f. 17. ♂. vera. Loew Dipterolog. Beitr. Posen 1845. 42. 6. *Tetanocera cucullaria* Fall. Sciomyz. 9. 11. ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 742. 11. ♂♀. *Scatophaga cucularia* Fabr. Antl. 204. 2.?

Hab. in graminosis & fruticibus locis paludosis, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, 5 Maj.—30 Sept., sat vulgaris; scilicet ad Lund, Abusa, Tranås, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena passim; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Lapponia Lulensi ad Jockmock, D. *Wahlberg;* in Dania freq., D. *Staeger.* (In insula Helgolandia a D. *Dahlbom* 12 Jul. 1838 lecta).

♂♀. Frons fulva, linea utrinque ad oculos testacea & sulco medio nitido. Macula inter antennas & oculos punctumque pone illam brunnea. Seta antennarum alba, late flava. Thorax griseus, dorso lineis 4 brunneo-testaceis. Scutellum brunneo-testaceum, marginibus lateralibus griseis. Abdomen ferrugineum, subnudum. Alæ flavidæ. Nervi transversi fuscedine sat late cincti, ordinarius præsertim ad apicem. Sub apice nervi longitudinalis 2:di macula subquadrata fusca adest, unde quasi tres maculæ fuscæ distinctiores in singula ala observantur. Præterea intra apicem alæ tres aliæ maculæ parvæ valde obsoletæ (in individuis nuper exclusis aut vetustis vix observandæ) exstant, quarum una in interstitio 2:do & duæ (una post alteram) in interstitio 3:tio locatæ. Squamæ parvæ & halteres

albida. Pedes rufo-flavi, tarsis apice sæpe fuscis. Femora antica & postica subtus versus apicem præcipue in ♂ distincte nigro-setulosa l. spinulosa, unde hæc species *Sepedoni* appropinquatur, sed femoribus simplicibus &c., recedit.

16. *T. cucularia:* ferruginea, thorace cinereo, lineis dorsalibus 4 obscuris; epistomate albido; antennarum seta apice nivea; alis flavido-cinereis, maculis apicalibus nervisque transversis fuscis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Musca cucularia Linn. Syst. Nat. ed. 12. 2. 995. 103. ♀. *Tetanocera cucullaria* Meig. Dipt. 6. 44. 19? (exclusis synonymis Falleni, Fabricii, & *Musca rufa* Panz.). *Tetanocera Sundewalli* Fries in litt.

Hab. in graminosis & fruticibus præcipue Alni, per Scandinaviam meridionalem & mediam, 22 April., Majo, 31 Jul., 4—10 Sept. mihi passim obvia; scilicet in Scania ad Lund & Kjellby (D. *Dahlbom);* in Ostrogothia ad Lärketorp sat frequens, ad Gusum, D. *Wahlberg;* in Gottlandia ad Martebo; in Uplandia ad Nacka prope Holmiam, D. *B. F. Fries* 1831; in Dania, D. *Staeger.* (In Pommerania, teste D. *Loew).*

♂♀. Priori valde similis, sed differt: corpore nonnihil graciliore, antennis apice paullo obtusioribus, alarum pictura intensiore, femoribus anticis muticis & præsertim thorace toto cinereo l. plumbeo, lineis dorsalibus fuscis l. obscuris evidentioribus. Antennarum summus apex interdum leviter fuscus. Maculæ frontales nigricantes, albo-terminatæ. Thoracis lineæ 4 obscuræ, quarum mediæ sæpe tenues, laterales vero paullo latiores, nigræ. Abdomen ferrugineum, incisuris in ♀ interdum dilutioribus. Tarsi apice obscuri. Reliqua ut in præcedente.

Obs. Sub nomine *Tet. maculipennis* hæc species a me olim divulgata.

17. *T. aratoria:* ferruginea, thorace obsolete lineato; epistomate albo; antennarum seta apice nivea; alis flavido-cinereis, nervi 4:ti longitudinalis punctis 2—3, nervisque transversis, fuscis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{3}{4}$, ♀ 3—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. alarum nervis transversis punctisque 3 nervi longitudinalis 4:ti fuscis.

Meig. Dipt. 6. 42 16. T. 58. f. 17. certe (exclus. forte syn. *Musca rufifronte* Panz., quod potius ad sequentem speciem pertinet). — Macq. Buff. 2. 371. 19. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 712. 12. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 306. 113. *Tetanocera interstincta* Fall. Sciom. 10. 12. ♂♀.

Var. b. ♂♀. alarum nervis transversis punctisque 2 nervi longitudinalis 4:ti fuscis.

Hab. utraque varietas mixta & sæpe in copula juncta in graminosis locis uliginosis per prata & silvas Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, Jun.—Sept., passim copiose; scilicet in Scania ubique vulgaris; in Smolandia passim; in Ostro- & Westrogothia: ad Wadstena, Lärketorp, Gusum, Gothoburgum &c.; in Gottlandia ad Gothem, Stenkyrka &c., non rara; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*. (Ex Hamburgo a D. *Dahlbom*, & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, communicata).

♂♀. A *T. rufa* (15), cui alias valde similis, differt præcipue magnitudine paullo minore & alarum pictura diversa. Caput ut in *T. rufa*, sed antennæ paullo longiores, apice sæpe fuscæ. Thorax vitta laterali & pleuris albido-griseis. Alarum nervus longitudinalis 4:tus variat punctis 3 nempe 2 ante & 1 pone nervum transv. ordinarium, vel tantum 1 ante & 1 pone eundem nervum, vel denique rarissime 1 pone nervum nominatum, punctis scilicet anterioribus deficientibus. Variat tandem hic

punctorum numerus in singula ala ejusdem individui. Præterea nervus transversus medius totus, & ordinarius ad utrumque apicem puncto, fusci. Sed maculæ apicales in interstitiis nullæ. Femora postica modice longa, flava, subtus setulosa, sed non spinulosa. Cetera ut in *T. rufa*. — Cum *T. dorsali* (20), quæ simili alarum pictura, sed diversa antennarum structura gaudet, non confundenda. — Abdomen interdum in medio fusco-maculatum.

18. *T. lineata:* ferrugineo-testacea, thorace sublineato; epistomate antennarumque seta albis; alis albidis, vitta media longitudinali nervisque transversis fuscis. ♂♀. (Long. circiter $2\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Sciomyz. 11. 14. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 43. 18.

Hab. in pratis & nemoribus Scandinaviæ meridionalis & mediæ, Jul.—Sept. vulgaris; in copula capta; scilicet in Scania ad Abusa, Esperöd (in paroecia Tranås), Falsterbo, Scanör &c., frequens; in Smolandia passim; in Ostro- & Westrogothia ex. gr. ad Wadstena, Gusum, & Sparresäter; in Ölandia ad Ottenby; in Gottlandia ad Fårön, Furillen, Ejsta, Kjellunge, Gothem &c., frequens; in Helsingia ad diversorium Kårböle copiose, sed longius versus septentrionem procedentem non observavi; in Dania a D. *Staeger* rarius visa.

♂♀. Per staturam corporis paullo angustiorem & graciliorem, antennarum apice nonnihil acutiorem, & denique alarum picturam a *T. rufa* (15), cui similis, præcipue & mox dignoscitur. Seta antennarum alba. Thoracis dorsum lætissime cinereum, lineolis 2 mediis approximatis testaceis & vitta utrinque laterali. Pleuræ sordide albidæ, vitta testacea. Abdomen in medio sæpe fusco-maculatum aut linea fusca notatum. Alæ albidæ, vitta media longitudinali sat lata, per nervum long. 3:tium superne terminata & nervos transversos saturatiores includente dilute

cinerea. Costa quoque leviter fuscana. Puncta 1 vel 2 fusca obsoleta in nervo longit. 4:to inter nervos transversos etiam sæpe observantur. Pedes flavi, tarsis apice fusci. Femora antica mutica.

19. *T. sciomyzina:* nigricans subnitida; fronte linea antica transversa genisque pallidis; antennis testaceis, articulo ultimo elongato apice nigro, seta pallida, apice alba; alis cinereis, nervo transverso ordinario recto; pedibus nigris, femoribus anticis posticisque basi late, & intermediis cum tibiis totis, flavis. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Norwegia media rarissime; ad diversorium Garnæs Værdaliæ in latere jugi alpini situm individuum descriptum d. 1 Jul. 1840 detegit Celeb. *Dahlbom.*

♀. Color corporis obscurus, antennarum articulus ultimus antecedente multo longior, alarum nervus transversus ordinarius rectus, nec inflexus, ut & pedum pictura hanc speciem ab omnibus distingvunt. A *Sciomyza* præsertim *glabricula* (2) & *albitarsi* (3), quibus statura corporis, nervorum directione, fere colore pedum &c., proxime accedit, antennarum longitudine & forma, epistomatis apice subreflexo &c., distincte recedit, generi *Tetanoceræ* magis appropinquans, nec aliud aptius, cui hanc formam ambiguam inserere potui, me eligere posse crediderim. *Sciomyza glabricula* fere nonnihil longior. Frons lata, bisulcata, nitida, nigra, linea ante antennas transversa, angusta, flava. Antennæ epistomatis saltem longitudine, horizontaliter porrectæ, angustatæ, testaceæ, apice subacutæ. Earum articulus 1:mus brevissimus, 2:dus 1:mo duplo longior, cyathiformis, ultimus superne leniter excisus 2:do saltem triplo longior, basi seta dorsali subnuda validiuscula testacea, apice capillari alba. Epistoma nigrum nitidum, apice reflexum, orbitis oculorum tenuibus albis. Genæ longiusculæ albæ. Palpi subcylindrici nigri. Proboscis pallida. Oculi mediocres, ro-

tundi, subexserti, in viva rubro-violacei unicolores, in mortua obscure ferruginei. Thorax niger subnitens, supra lenissime obscure cinereo-micans. Scutellum concolor, margine 4-setosum. Abdomen sublanceolatum, nigrum, nitidum, glabriculum. Alæ cinereæ, nervis obscurioribus. Nervi: auxiliaris ad medium costæ extensus, a secundario remotus; longitudinalis 3 & 4 versus apicem paralleli; transversus ordinarius rectus (in ala dextra in medio abbreviatus). Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes atri, nudi, tarsis validis; antici: coxis totis femoribusque ad medium flavis; intermedii: coxis rufescentibus, femoribus tibiisque totis, tarsisque basi, flavis; postici: coxis rufescentibus, femoribus ultra medium flavis.

††. Antennarum minus longarum articulus 3:tius apice obtusiusculus 2:do fere nonnihil longior.

20. *T. dorsalis:* ferruginea, thorace dilute cinereo lineis dorsalibus 4 fuscis & vitta laterali albida; epistomate albo; seta antennarum testacea; alis cinereis, nervi 4:ti longitudinalis punctis 2—3, nervisque transversis, fuscis. ♂♀. (Long. circiter 2½ lin.).

Var. a. ♂♀. alarum nervis transversis punctisque 3 nervi longitudinalis 4:ti, fuscis.

Meig. Dipt. 6. 43. 17. Macq. Buff. 2. 371. 20. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 742. 12. ♂♀. var. a. & b. — *Dictya dorsalis* Fabr. Antl. 329. 14. *Tetanocera punctipennis* Fall. Sciomyzid. 10. 13. ♂♀.

Var. b. ♂♀. alarum nervis transversis punctisque 2 nervi longitudinalis 4:ti, fuscis.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. c. ♂♀. *Musca rufifrons* Panz. Fn. 44. f. 24?

Hab. utraque varietas promiscue in graminosis & plantis paludosis, per Scandinaviam in primis meridionalem & mediam, a medio mensis Aprilis usque ad finem Septembris, vulgaris, in copula deprehensa; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia ad Skärsjö; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum &c., minime parce; in Gottlandia ad Martebo &c.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Faxelfven rarius; in Bottnia boreali ad Kengis; in Dania, D. *Staeger*. (E Gryphia a D. *Dahlbom* & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* (sub nom. »*T. aratoria* Meig.»), communicata).

♂♀. Simillima *T. aratoriæ* (17), sed magnitudine paullo minore, antennis brevioribus, articulo ultimo magis obtuso, seta non alba, thoracis dorso cinereo, alis magis cinereis, vix flavidis, & femoribus anticis superne glaucescentibus, vere diversa. — Abdomen supra sæpe fusco-maculatum aut linea media fusca notatum. Alarum costa leniter fuscana. Nervus transversus ordinarius ad utrumque apicem puncto saturate fusco ornatus. Pectus albo-glaucescit. Prioribus paullo maturius provenit.

---

151. ECTINOCERA Zett.

Corpus minoris magnitudinis, oblongum, nudum, vertice, thoracis lateribus scutellique margine parce setulosis. Frons non prominula, lata. Antennæ elongatæ, horizontaliter extentæ, compressæ, articulo 1:mo brevissimo, 2:do brevi, piloso, ultimo longissimo sublunato trigono acuto, basi seta dorsali valida nuda. Epistoma perpendiculare, descendens. Oculi globosi. Abdomen 6-annulatum (seu 7-annulatum, segmentis 2 analibus computatis), subnudum. Alæ abdomine longiores, nervis ut in

Tetanocera directis, at auxiliari nonnihil pone nervum transversum medium in costam extenso. Nervus secundarius ab auxiliari distincte remotus, obsoletus; transversus ordinarius exacte rectus & longitudinalis 2:dus apice etiam rectus. Pedes simplices, nudiusculi, mutici. *Color* niger. *Habitatio* in graminosis ad aqvas. *Differentia sexus* ignota, at structura ani in ♀ ut in *Tetanocera*, cui proxima.

1. *E. borealis:* nigra, subnitida; antennarum basi, seta epistomatisque lateribus pallidis; femoribus basi late flavis; alis hyalinis, nervis obscuris, halteribus albis. ♀. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 743. 1. ♀.

Hab. in Scandinavia media & boreali Jun. & Jul. valde rara; in Ostrogothia ad insectis insignioribus clarum Gusum a Prof. *Wahlberg* lecta; in Norwegia ad rivulos in convallibus graminosis ad Drivstuen in alpe Dowre a Prof. *Boheman* primum inventa.

♀. Statura *Sepedonis* parvi, femoribus muticis &c. mox dignota. Nigra. Caput fere ut in *Tetanocera.* Antennæ elongatæ, articulis 1 & 2 flavis, 3:tio subconico, acuminato, nudo, nigro, basi flavo, seta nuda valida pallida, apice nivea. Frons nigra, nitida, nuda, vertice setoso, linea ante antennas flava. Epistoma pallidum, in medio totum nitidum. Proboscis apice nigra. Thorax nigricans, dorso lineis 2 atris. Abdomen depresso-conicum, sublanceolatum, nigrum, nitidum, parum pubescens. Alæ hyalinæ, nervis subinfuscatis, transverso medio in altera ala monstrose duplicato, seu uno intus adjecto a genuino non longe remoto & cum illo aream oblongo-quadratam formante. Squamæ minutæ halteresque alba. Pedes subpuberuli, non setulosi, nigri, coxis femoribusque basi late, horum mediis totis, flavis.

Famil. 31. ORTALIDES.

152. TETANOPS Fall.

Corpus minoris magnitudinis, oblongum, glabriculum l. leviter tantum pubescens; opacum. Caput buccatum, subhorizontale, cum vertice nudum. Frons longe ante oculos porrecta, plana. Antennæ parvæ, distantes, oblique porrectæ, articulo ultimo rotundato-ovato, compresso, seta subnuda, ima basi incrassata. Epistoma reclinatum, area media convexiuscula. Setæ mystacinæ nullæ. Genæ subelongatæ. Oculi parvi, in utroque sexu late distantes, perpendiculariter ovato-rotundati, depressi, nudi. Partes oris subretractæ. Thorax cylindricus. Abdomen oblongum, 5-annulatum. Alæ abdomine nonnihil longiores. Nervus auxiliaris & secundarius ad apicem remoti, ille ad medium costæ extensus. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli; transversi modice remoti, horum ordinarius rectus, in medio areæ ultimæ insertus; nervus transversus medius apici nervi auxiliaris oppositus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo longius, at 4:tum 3:tio duplo brevius. Costa nuda. Squamæ sub alis parvæ. Halteres nudi. Pedes mediocres inermes & glabri. *Color* læte cinerascens. *Habitatio* in graminosis, libenter litoribus marinis. *Differentia sexus; mas:* abdomine subcylindrico, apice rotundato, subincurvo; *femina:* abdomine lanceolato, vagina anali exserta, articulata, incurva.

1. *T. myopina:* albido-cinerea; antennis pedibusque pallide rufescenti flavis; alis albidis, nervis transversis, maculisque paucis, fuscis, squamis halteribusque albis; abdominis maculis qvadratis, oppositis, nigris, nitidis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

Fall. Ortal. 2. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 353. 1. & Add. 6. 383. Macq. Buff. 2. 423. 1. ♂♀.

Hab. in litore marino Scaniæ australis rarissime; in margine graminoso agri arenosi, Qvasa dicti, ad Esperöd a medio mensis Julii ad medium Augusti, 1818 excipulo a me copiose lecta, nec deinde observata; ad Lund Scaniæ in uno specimine a D. Philos. Doctore *von Borck* 1845 quoque inventa; in Daniæ litoribus arenosis a D. *Staeger* mense Julio passim visa. (Ad Moabite prope Berolinum 7 Jul. 1842 & in litore maris insulæ Helgoland 11—12 Jul. 1838 a Celeb. *Dahlbom* sat frequenter visa mihique in multis individuis plerisque majoribus communicata; ad Uleåborg Finlandiæ in Elymo arenario a D. *Nylander* Jul. Aug. 1843 in copula haud raro capta; etiam e Glogavia a D. *Zeller* ♀ missa).

♂♀. Magnitudo *Tephr. Leontodontis*, atque *Tephrit. Sonchi* & *Serratulæ* valde affinis & similis; sed structura capitis longe diversa. Testaceo-cinerea, pube rarissima, brevissima obscuriore tecta. Caput flavido-testaceum. Scutellum testaceum. Abdomen canum, in segmentis 2, 3 & 4 utrinque maculis quadratis, nigris nitidis, in ♂ plerumque majoribus raro confluentibus. Alæ albidæ, maculis in singula plerumque 4 fuscis irregularibus, indeterminatis in apice nervorum auxiliaris & longitudinalium 2, 3 & 4 sitis, harum vero quibusdam interdum obsoletis. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leniter subapproximati. Squamæ albæ. Pedes flavescentes, immaculati.

153. ORTALIS Fall.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, glabriculum, setis aliquot in vertice, thoracis lateribus & scutelli margine adspersis. Caput rotundatum. Frons haud prominens, puberula. Antennæ plerumque longiusculæ, oblique deflexæ.

articulo ultimo, oblongo, compresso, apice obtuso, rarius acuto; basi seta dorsali nuda l. subnuda. Epistoma subperpendiculare, area media longitudinaliter convexa s. in medio obtuse carinata apice emarginata. Os nudum. Oculi majusculi, oblongo-ovati, subexserti, in utroque sexu sat late subparalleliter distantes, nudi, ferruginei, unicolores. Abdomen oblongo-ovatum, 5-annulatum. Alæ vibrantes sæpe nigro-fasciatæ. Nervus auxiliaris ad medium costæ extensus & secundarius saltem ad apicem distincte remoti. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem leniter approximati, transversi distantes, horum ordinarius rectus & fere ante medium areæ ultimæ insertus. Costa nuda: segmentum 2:dum 3:tio saltem duplo longius, at 4:tum 3:tio fere duplo brevius. Squamæ parvæ; halteres nudi. Pedes simplices, subnudi, femoribus parce pilosulis. Tibiæ intermediæ apice bicalcaratæ. *Color* niger l. cinerascens. *Motu* sat agilis, sub alas vibrando incedit; tarde volat. *Habitatio* larvarum in colluviariis, in uliginosis & putridis; imaginum in paludosis, sæpe in floribus plantarum & foliis fruticum versantium. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acutiori, oviductu articulato interdum erumpente. Typi generis: *O. Urticæ & vibrans.*

A. Alæ nigro-fasciatæ.

*). Antennæ epistomate paullo breviores.

†. Antennarum articulus ultimus apice acutus. *(Ceroxys* Macq.).

1 *Urticæ* Linn. ♂♀. 2 *crassipennis* Fab. ♂♀.

††. Antennarum articulus ultimus apice obtusus. *(Ortalis* Macq.).

3 *connexa* Fabr. *(Ort. Zetterstedti* Fall.) ♂♀. 4 *centralis* Fabr. *(Ort. Friesii* Fall.) ♂♀. 5 *Cerasi* Linn. Fn. Su. descr. *(Tephr. morio* Fabr. *Ort. uliginosa* Fall. *Musca Frondescentiæ* Linn.) ♂♀.

**). Antennæ longitudine epistomatis. *(Herina* Macq. *Rivellia* Rob. Desv.).

6 *Syngenesiæ* Fabr. *(Musca Urticæ* Schrank. *Ort. juncorum* Fall.) ♂♀.

B. Alæ non nigro-fasciatæ (puncto vero apicali plerumque, & macula costali sæpe ornatæ).

7 *vibrans* Linn. ♂♀. 8 *Paludum* Fall. ♂♀. 9 *palustris* Meig. ♂♀.

Ortalis.

A. Alæ nigro-fasciatæ.

*). Antennæ epistomate paullo breviores.

†. Antennarum articulus ultimus apice acutus. *(Ceroxys* Macq.).

1. *O. Urticæ:* nigra, nitens, thoracis dorso leniter cinereo-micante; capite luteo, orbita oculorum alba; antennis ferrugineis, seta subnuda; alis albidis, fasciis 3 discretis maculaque apicis nigro-fuscis. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin.).

Mas: ano obtuso, superne puncto albo;

Fem.: ano acuto immaculato; in copula.

Fall. Ortal. 17. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 275. 4. T. 46. f. 19. ♂. Zett. Ins. Lapp. 747. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1875. *Scatophaga* Fabr. Antl. 209. 25. *Meckelia* Rob. Desv. n:o 1. *Ceroxys* Macq. Buff. 2. 438. 2.

Hab. in uliginosis & colluviariis, foliis fruticum, Urticæ dioicæ, muris &c., sæpe insidens, per totam æstatem

usque ad serum autumnum, vulgaris & passim copiose, in nuptiis sæpe observata; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia atque Gottlandia, ubique frequentissima; deinde rarescit & in provinciis Scandinaviæ borealibus non nisi rarissime obvia; in Dania ubique vulgaris, D. *Staeger.*

♂♀. Tota nigra, nitens, thorace supra obscure cinerascens. Caput cum antennis ferrugineum, orbitis oculorum albidis. Seta antennarum obscura. Oculi in viva rufo-ferruginei. Abdominis segmentum tertium basi maculis 2 albicantibus, obsoletis. Præterea anus in ♂ macula alba notatus. Alarum fasciæ 2 ultimæ nervos transversos transeunt. Squamæ & halteres alba. Pedes nigri, geniculis summis & tarsis apice sæpe piceis. Femora antica subtus setulosa.

2. *O. crassipennis:* cinerea, opaca; capite pallide flavo, antennis ferrugineis, seta pubescente; abdominis incisuris obscuris; alis albidis, fasciis disci tribus, 1:ma & 2:da dimidiatis, 3:tia interrupta, maculaque apicis, fuscis; pedibus nigricantibus; femorum apice tibiisque testaceis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Fall. Ortal. 18. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 273. 1. T. 46. f. 23 (ala). — *Scatophaga* Fabr. Antl. 209. 26. *Ceroxys* Macq. Buff. 2. 438. 3. ♂♀.

Hab. in uliginosis & plantis aquaticis, 8 Jun.—15 Aug., per Scandinaviam præsersim meridionalem & mediam, passim; nempe in Scania ad Lund, Abusa, Höör &c., certis annis non parce; in Westrogothia, *Gyllenhal* & *Dalman;* in Ölandia, D. *Boheman*, raro; in Bottnia boreali ad pagum Säfvast in paroec. Öfver-Luleå, teste D.

Prof. *Wahlberg*, mihi supra Ostrogothiam non obvia; in plantis paludosis, sylvaticis Daniæ a D. *Staeger* copiose lecta. (E Sedino 1842 freq. a D. *Dahlbom*, ex Austria a D. *Andersch*, & e Glogavia a D. *Zeller*, communicata. In Finlandia ad Uleåborg & Karelen a D. Philos. Doct. *Wiljam Nylander* rarius lecta).

♂♀. A priori, cui antennarum structura, magnitudine & habitu similis, differt: capite pallidiore, antennarum seta magis pubescente, oculis angustioribus, corpore toto læte cinereo, opaco, abdominis incisuris tantum nigris, alarum fascia ultima in medio magis interrupta, nec subcontinua, nervis longitudinal. 3 & 4 pone transversum parallelis, nec versus apicem appropinquantibus, ut & genubus tibiisque testaceis, nec pedibus totis nigris. — Variat alarum macula apicis dilatata cum fascia ultima ad costam connexa. Variat quoque pedibus obscurioribus, genubus tantum late testaceis, qualem etiam ad Rosenthal prope Gryphiam Jun. 1844 invenit D. *Dahlbom*.

††. Antennarum articulus ultimus apice obtusus. (*Ortalis* Macq.).

3. *O. connexa:* flavo-ferruginea, nitida, thorace dorso abdomineque toto nigris; alis albidis, fasciis tribus fuscis, prima abbreviata, tertia cum macula apicis connexa. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Meig. Dipl. 5. 276. 7. T. 46. f. 22 (ala). Macq. Buff. 2. 435. 4. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 350. 156. *Dictya* Fabr. Antl. 326. 2. *Ortalis Zetterstedti* Fall. Ortal. 18. 3. ♂♀.

Hab. in variis plantis præsertim in Asclepiade Vincetoxico florente, Jun. Jul., certis Sueciæ regionibus quasi priva; scilicet per totam Gottlandiam ab insula Fårön

usque ad Hoburg mihi copiosissime obvia; in Uplandia ad Marieberg prope Holmiam a D. D. *Wahlberg* & *Boheman* quoque lecta. (In Pomerania circa Gryphiam jam mense Majo a D.D. *Hornschuch* & *Dahlbom* aliquoties etiam capta; in Carinthia ad Heilige Blut 4000 ped. supra mare in vicinitate alpis Gross Glochner, 1—10 Aug. 1845, a D. Prof. *Boheman* demum inventa).

♂♀. Statura corporis angusta, sublineari, colore, & alarum pictura a præcedentibus & sequentibus facile dignota. Nitida. Caput ferrugineum, macula frontis fusca. Antennæ mediocres, lineares, luteæ, summo apice superne acumine brevi, seta obscura, puberula. Epistomatis area media dilutior, leniter convexa. Oculi majusculi, ovato-rotundati. Thorax flavo-ferrugineus, disco dorsali nigro, macula ante scutellum ferruginea, quæ sæpius per lineolam tenuem versus medium dorsi continuatur. Scutellum ferrugineum. Metathorax & abdomen angustatum atra. Alæ albido-hyalinæ, fasciis 3 nigro-brunneis, quarum prima costali ad apicem nervi auxiliaris brevi obliqua & incompleta, 2:da & 3:tia subcontinuis nervos transversos transeuntibus, ad costam discretis, ad marginem interiorem cohærentibus; cum fascia 3:tia ad costam intime connectitur macula apicalis magna, ita ut apex fere totus niger evadat, relicto tantum sinu albo in margine inferiore. Squamæ & halteres pallida. Pedes lutei, subnudi, tibiis præsertim posticis subfuscis. Tarsi quoque in medio sæpe fuscescunt.

4. *O. centralis:* cinerea, opaca, capite cano, antennis vittaque frontali rufis; abdominis incisuris brunnescentibus; alis albidis, fasciis subtribus dilute fuscis, 2:da abbreviata, 3:tia cum macula apicis cohærente, nervulo transverso medio libero, infuscato; pedibus nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ fere $2\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. Add. p. 380. 21. *Tephritis* Fabr. Antl. 319. 14. *Ortalis Friesii* Fall. Ortal. Supplem. 2. p. 14. 3—4 ♂♀. certe.

Hab. in pratis sylvaticis præsertim in foliis Fraxini, Qvercus & Coryli Sueciæ mediæ, Jun. Jul., minus frequens, vix extra Gottlandiam, ibique vero haud raro obvia; scilicet ad Sproge 28 Maj. 1824 a D.D. *B. F. Fries* & *C. J. Sundewall* detecta; deinde in eadem insula ad *Ethelhem* a Cel. *Wahlberg*, & ad Garde, Rhone, Fardhem &c., a me, inventa; in Ölandia a D. *Boheman* quoque observata fuerit. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata).

♂♀. *O. crassipenni* (2) subsimilis, at fere duplo minor, & antennis brevioribus, apice rotundatis, alarum fasciis aliter formatis, pedibus totis nigris, &c., abunde distincta. Læte cinerea. Caput albidum, vitta frontali fulvescente. Antennæ breves, subporrectæ, ferrugineæ, summo apice & seta puberula fuscescentibus. Epistoma in medio longitudinaliter convexum, apice sat profunde emarginatum, ore subexserto. Genæ longiusculæ. Oculi mediocres, oblongo-ovati. Thorax dorso antice lineolis 2 fuscis, sæpe obsoletis. Abdomen incisuris fuscis seu maculis in singulo segmento 2 oppositis obscuris, sæpe subconfluentibus. Alæ albæ, fasciis subtribus dilute fuscis; 1:ma subintegra mox ante apicem nervi secundarii ducta; 2:da brevi costali ad apicem nervi auxiliaris maculam subquadratam format nervo transv. medio oppositam; 3:tia iterum integra, nervum transv. ordinarium transit & cum macula apicali totum alæ apicem cingente ad costam cohærit. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli l. ad apicem tantum leniter divergentes, horum 4:tus mox pone transversum (ubi fascia alba transit) leviter flexus. Nervi transversi sat approximati, horum ordinarius rectus distincte ante medium areæ ultimæ insertus, & medius liber h. e. a fascia adjacente fusca minime tectus l. inclusus, licet ipse fuscedine cinctus. Squamæ & halteres alba. Pedes toti nigri, subnudi, femoribus anticis subtus pilosis.

5. *O. Cerasi:* nigra, nitida, capite aurantiaco, orbita oculorum alba, antennis rufis; metatarsis pallidis; alis albis, fasciis 4 nigro-fuscis, anterioribus ad marginem interiorem, posterioribus ad costam connexis. ♂ ♀. (Long. circiter 1—1½ lin.).

Meig. Dipt. 5. 282. 19. T. 46. f. 26 (ala). Macq. Buff. 2. 436. 10. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1878. (descript.; exclusa diagnosi, quæ ad *Tephritem Cerasi* n:o 25 pertinet). — Fabr. Ent. Syst. 4. 358. 188. *Tephritis* Latr. genera 4. 355. Fabr. Antl. 320. 17. *Tephritis morio* Fabr. Antl. 5. 322. 27. *Ortalis uliginosa* Fall. Ortal. 19. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 747. 2. ♂♀. *Musca frondescentiæ* Linn. Fn. Su. 1881, teste Prof. *Thunberg* in Dissert. Mus. Upsal. p. 91.

Hab. in pratis & pascuis locis uliginosis præsertim in Caricibus & Juncis per totam Scandinaviam tota æstate vulgaris, in copula sæpe visa; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia, Gottlandia (in Furillen, Östergarn, Thorsborg &c.), Nericia & Uplandia, ubique frequentissima; dein parcius occurrit, & in Jemtlandia ad Areskutan & Mullfjellet atque in Ångermannia ad Hernösand passim observata; in Lapponiis Sueciciis ad Barrsele Lapp. Umensis a me, & ad Qvickjock Lapp. Lulensis a D. *Wahlberg*, lecta; in Norwegia ad Christianiam, Trondhjem, Thynäs & Garnäs Wærdaliæ atque Björkvik Nordlandiæ, iterum frequenter visa; in Dania etiam abunde occurrit. (E Gryphia & Hamburgo a D. *Dahlbom* communicata).

Var. b. ♀. similis var. a. sed alarum fasciis 2 apicalibus nigris fere totis confluentibus, relicto tantum puncto

parvo albo ad marginem interiorem. Ad Lund Scaniæ &c. cum var. a. capta, at rarissime.

♂♀. Parva, tota atra, nitida. Caput fulvescens, orbitis oculorum tenuibus albis. Antennæ breviusculæ, testaceæ, seta subnuda, fusca. Proboscis obscura. Oculi majusculi oblongi. Alæ albæ, macula costali at radicem & fasciis 4 disci integris nigricantibus. Fascia 1:ma cum 2:da (nervum transversum transiente) ad marginem interiorem, & 3:tia (nervum transv. ordinarium transiente) cum 4:ta ad costam late, connectitur. Ipse apex alæ plus minus anguste albus. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes nigri, tarsis basi pallidis. — In individuis juvenilibus sæpe pedes toti fusco-rufi.

Obs. Larvæ in nucleis Cerasorum degere ab Auctoribus dicuntur; si hoc interdum verum, alio tamen nutrimento certe etiam frui possunt larvæ; hæc enim species sæpe longe ab arboribus Cerasorum, & in Lapponiis, ubi tales arbores omnino desunt, versatur. — Sub nomine: "*Musca Frondescentiæ* Linn." in collectione *Ljunghii* hæc species occurrit.

**). Antennæ longitudine epistomatis. (*Herina* Macq. *Rivellia* Rob. Desv.).

6. *O. Syngenesiæ:* ænescenti nigra, nitida; capite, antennis pedibusque nigris, metatarsis posticis ferrugineis; alis albidis, fasciis tribus subdiscretis maculaque apicis nigris. ♂♀. (Long. fere 1—1¼ lin.).

Meig. Dipt. 5. 283. 20. T. 46. f. 29. ♂. — *Tephritis* Fabr. Antl. 321. 23. Latr. Gen. 4. 355. *Herina* Macq. Buff. 2. 433. 7. *Musca Urticæ* Schrank Ins. Austr. p. 176. 969 (exclus. syn. Linn.). — *Ortalis juncorum* Fall. Ortalid. 19. 5. ♂♀.

Hab. in humidis libenter in juncetis per prata, pascua & in primis ad litora maris Scandinaviæ meridionalis,

Jun. Jul., passim frequens; nempe in Scania ad Lund, Kjellby, Fogelsång, Högestad *(Sundewall)*, Esperöd, &c., sat frequens; in Smolandia ad Skärsjö &c. certis annis non rara; in Westrogoth. ad Gothoburgum, & in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Daniæ litoribus freq., D. *Staeger.* (E Germania a D. *Dahlbom*, e Silesia a D. *Zeller* & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* etiam communicata). In floribus Syngenesistarum imago a me nunquam observata.

♂♀. Priore fere paullo minor. Submetallice nitens. Caput nigricans, orbitis oculorum tenuissimis, albo-micantibus. Antennæ elongatæ nigro-fuscæ, seta microscopice puberula. Frons breviter setulosa. Oculi majusculi, in viva obscure brunnei, parum æneo-micantes. Alæ albidæ. In disco fasciæ 3 subdiscretæ, nigræ, a costa ad nervum longit. 5:tum extensæ, quarum 1:ma cum macula basali fusca ad costam cohærit, & 3:tia tenuior longior nervum transversum ordinarium transit. Macula apicalis majuscula, oblongo-rotundata, nigra. Squamæ minutæ. Halteres nigri. Metatarsi pedum posteriorum ferruginei l. flavescentes. Genua etiam interdum rufescunt.

B. Alæ non nigro-fasciatæ (at puncto apicali plerumque, & macula costali sæpe ornatæ).

7. *O. vibrans:* atra, nitida; capite fulvescente, orbita oculorum alba; antennis breviusculis, testaceis; alis hyalinis, stigmate punctoque apicis nigris. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Fall. Ort. 20. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 281. 21. Macq. Buff. 2. 437. 11. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 747. 3. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Su. 1867. Degeer Ins. 6. 32. 11. T. 1. f. 19—20.

Schrank Ins. Austr. 170. 955. Rossi Fn. Etr. 1807. p. 479. 1531. *Tephritis* Fabr. Antl. 321. 39. Latr. Gen. 4. 355.

Hab. in colluviariis, muris, parietibus, foliis fruticum &c., per plateas, hortos & prata Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, Jun.—Aug., vulgaris, in copula etiam aliquoties visa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, ubique frequens; in Gottlandia ad Wisby, Sanda, Gothem &c., non raro; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Ångermannia ad Hernösand, ipse; deinde valde rarescit & in Lapponia non nisi rarissime observata; in Norwegia a Christiania & Trondhjem (D. *Moë*), & usque ad Thynäs Wærdaliæ iterum haud infrequenter occurrit; etiam in Dania multis locis lecta. (E Gryphia & Hamburgo a D. *Dahlbom*; e Lübeca a D.D. *J. Behrens* & *Milde*, atque e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, benevole missa).

♂♀. Tota atra, nitida, glabra. Caput aurantiacum, orbitis oculorum tenuibus, albis. Antennæ epistomate dimidio breviores, rufæ, apice rotundatæ, seta fusca, subnuda. Oculi majusculi, suboblongi, in viva ferruginei. Alæ albo-hyalinæ, nervo auxiliari toto atro. Interstitium totum inter nervum auxiliarem & secundarium ad costam quoque atrum. Macula mediocris trigona nigro-brunnea in ipso apice alæ. Nervi longit. 3 & 4 versus apicem paullo approximati. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes nigri, geniculis summis & metatarsis fuscis. Vagina feminæ sæpe longe erumpens. — Variat alarum macula apicali nigra intus lineola alba.

Obs. Marem hujus speciei in copula cum femina *Sciomyzæ pallidiventris* (n:o 20) junctum d. 12 Jul. ad Wadstena Ostrogothiæ semel inveni, quæ copulatio affinitatem inter *Sciomyzam* & *Ortalem* affirmat.

8. *O. paludum:* nigra, nitida, capite concolore, orbita oculorum alba; antennis longissimis, linearibus obscure fuscis, basi metatarsisque posterioribus rufis; alis hyalinis, costa ad medium anguste, nervis transversis maculaque apicis fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Ortal. 20. 7. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 282. 18. Zett. Ins. Lapp. 747. 1. ♂♀.

Hab. in pratis sylvestribus locis paludosis, etiamque in truncis arborum viventium, per Sueciam meridionalem & mediam, 25 Jun. usque ad medium Septembris passim frequens; in copula capta; scilicet in Scania ad diversorium Röstånga & villam Esperöd non parce; in Ostrogothia ad Lärketorp (in Ben-ängen & Egebylund), & Medhamra prope Wadstena, sat copiose, ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Garde, Westerby, Thorsborg, Fardhem &c., frequens; in provinciis magis borealibus mihi non nisi rarissime obvia.

Var. b. ♂♀. alis subimmaculatis. Fall. l. c. var. β. ♂♀.

Hab. in Ostrogothia ex. gr. ad montem Omberg &c. valde rara.

♂♀. Tota nigra. Caput atrum, orbita oculorum distincta, alba. Antennæ articulo ultimo longissimo, angusto, nigro-fusco, seta microscopice puberula; basi ferrugineæ. Oculi majusculi, oblongi. Alæ hyalinæ, fusco-maculatæ. Costa nempe a basi ad medium anguste fusca. Ad exitum nervi auxiliaris macula saturatior. Ipse apex cingitur a macula fusca, quæ a costa & paullo infra nervum longit. 4:tum extenditur. Nervi transversi fuscedine etiam cinguntur. Nervi longitudinales 3 & 4 paralleli.

Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes nigri, posteriorum geniculis summis metatarsisque testaceis. Sed variat sæpe pedibus saltem posterioribus piceis aut fusco-testaceis.

9. *O. palustris:* nigra, nitida, vitta frontali fulva; orbita oculorum alba; antennis longissimis, linearibus obscure fuscis, basi metatarsisque posterioribus fusco-testaceis; alis hyalinis, costa ad medium maculaque ante apicem fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipl. 5. 281. 16. ♂♀. *Herina* Macq. Buff. 2. 132. 3. ♂♀.

Hab. in pratis uliginosis per Scandinaviam meridiolem & mediam, Jun.—Aug., passim; nempe in Scania circa Lund non raro; in Gottlandia: ad Nygårds in paroec. Westerheide (D. *Wahlberg)*, ad Fårön, Gothem, Thorsborg, Westerby, Furillen, Sanda, Öja &c., frequens; in Dania passim. (Ex Hamburgo & Gryphia in utroque sexu etiam a Cel. *Dahlbom* communicata).

♂♀. Priori simillima & valde affinis, differt vero magnitudine plerumque nonnihil minore, vitta frontali fulva, nec atra, pedibus sæpius obscurioribus, ut & alarum nervis transversis vix l. lenissime tantum infuscatis maculaque apicis fusca minore, apicem summum non cingente. Hæc enim macula in costa paullo ante apicem alæ (ad exitum nervi long. 2:di) locata subtrigona per umbram tantum obsoletam infra nervum longit. 4:tum perpendiculariter & anguste descendit. Epistoma in medio longitudinaliter distincte carinatum ut in priore. Nervi transversi obscuri, sed fuscedine parum cincti. Cetera ut in præcedente.

DIPTERA SCANDINAVIÆ

DISPOSITA ET DESCRIPTA.

Auctore

PH. D:RE JOHANNE WILHELMO ZETTERSTEDT

AD UNIVERSITATEM LUNDENSEM BOTAN. ET OECON. PRACT. PROFESS. REG. ET ORD., UNIVERSITATIS H. T. QUOQUE RECTORE; EQUITE AURATO REG. ORDINIS DE WASA; REG. ACAD. SCIENT. HOLM., SOCIET. ENTOMOL. PARIS., NATUR. CURIOS. LIPS., SOCIET. CUVER. PARIS., SCIENTIAR. LITTERARUMQUE ELEGANT. GOTHOB., PHYSIOGRAPH. LUND., CULTURÆ BOMBYCINÆ SUECANÆ HOLM., ENTOM. SCANDINAV. HAFNIÆ., ET OECON. MALMOG., SODALI; REG. SOCIET. OECONOM. BOTN. OCCIDENTALIS, SOCIETAT. HORTULANÆ GOTHOBURGENSIS ET SOC. PRO FAUNA ET FLORA FENNICA HELSINGFORSIÆ, MEMBRO HONORIFICO; ATQUE SOCIET. ENTOM. STETINI CORRESPONDENTE.

TOMUS SEXTUS.

LUNDÆ,

EX OFFICINA LUNDBERGIANA,

SUMTIBUS REGIIS.

1847.

Præclarissimo & Celeberrimo

Dom. CAROLO JOH. SCHÖNHERR,

CONSILIARIO A COMMERCIIS,
REGIORUM ORDINUM DE WASA COMMENDATORI
ET DE STELLA POLARI EQVITI,
REG. SCIENT. HOLM. ETC. ETC. MEMBRO,
ENTOMOLOGORUM SCANDINAVICORUM SENIORI MERITISSIMO

hanc sui operis partem
grato, pio & amico animo

dicat
AUCTOR.

154. TEPHRITIS Latr.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, leviter pubescens, parce setulosum. Frons plana, ad latera & postice setosa. Antennæ longitudine dimidii epistomatis, incumbentes l. deflexæ, apice rotundatæ, basi seta dorsali nuda aut breviter puberula. Epistoma subperpendiculare, nudum, area media pro antennis incumbentibus subexcavata, sed in medio haud carinata. Os nudum. Oculi mediocres, oblongo-ovati, in utroque sexu late distantes, nudi, pulchre colorati, in viva sæpissime aureo-virides, unicolores. Thorax absque sutura transversa, limbo laterali & postico parce setoso. Scutellum margine setosum. Abdomen oblongo-ovatum, 5-annulatum, nudiusculum, segmento ultimo margine apicali setoso. Alæ erigendo-vibrantes, sæpe pictæ & fasciatæ. Nervi longitudinales 3 & 4 plerumque paralleli. Nervi transversi subappropinquantes, horum ordinarius subperpendicularis & rectus paullo ante medium areæ insertus. Nervus auxiliaris fere ad medium costæ extensus, cujus apici nervus transvers. medius opponitur. Costa nuda præter spinulas 2 minutas in medio interdum præsentes. Squamæ parvæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, simplices, inermes, subnudi. *Color* testaceus, cinereus, nigricans. *Motus* sat celer. *Volatus* brevis. Quasi saltando sæpe aufugit. *Habitatio* in graminosis, floribus & foliis fruticum. Feminæ multarum e floribus pulsæ mox ad eosdem redeunt. *Larvæ* conicæ, albæ, nudæ, nitidæ in thalamo florum libenter Compositarum & Rosarum, (quarum unaquaque insecti species suam certam floris speciem plerumque eligit) degunt, germina destruentes. Adultæ hospitium relinquunt, in terram se conferunt, ibique sepultæ manent usque dum metamorphosin subierunt & imagines declaratæ proveniunt.

Differentia sexus perspicua; *mas:* ano obtuso; *femina:* vagina anali longe exserta, articulo ultimo nitido, non retractili. *Typi* generis: *T. Artemisiæ* (1) & *Hyoscyami* (31).

(Monographiam hujus generis in Zeitschrift für die Ento-

mologie von Germar 1844. V. 1 & 2 p. 312—437 dedit Professor *Löw.)*

Index Specierum cum Subdivisionibus.

Sectio prima: alis pictis, h. e. aut fasciatis, aut maculatis, aut reticulatis.

Tribus 1:ma: alis fasciatis.

A. Abdomen flavum aut virescens, rarissime (in *T. cornuta* n:o 14, & *marginata* n:o 15) grisescens.

*) abdomine flavo, immaculato (in *T. Onopordinis* n:o 8, var. b. abdomine nigricante; in *T. Tussilaginis* n:o 9, segmento anali maris nigro-punctato).

1 *Artemisiæ* Fabr. *(Tephr. interrupta* Fall.) ♂♀. 2 *Meigeni* Löw. *(Tryp. alternata* Meig. non Fall.) ♂♀. 3 *hamifera* Zett. n. sp. ♂♀. 4 *Zoë* Meig. Zett. Ins. Lapp. *(Tephr. apicalis* Ins. Lapp. var. ♂ hujus) ♂♀. 5 *alternata* Fall. *(Tryp. continua* Meig.) ♂♀. 6 *cognata* Wied. ♂♀. 7 *lucida* Fall. *(Tryp. cognata* Meig. ♀. *Tryp. speciosa* Löw. — An *Musca Heraclei* Linn?) ♂♀. 8 *Onopordinis* Fabr. (Var. a: *Tryp. Heraclei* Löw. Vix *Musca Heraclei* Linn. — Var. b: *Tephr. Centaureæ* Fabr.? *Musca Cardui* Thunb.) ♂♀. 9 *Tussilaginis* Fabr. *(T. vicina* Macq. *T. Arctii* Fall. ex parte) ♂♀.

**) abdomine flavo aut virescente (in *T. cornuta* (14) flavo-griseo, in *T. marginata* (15) cinerascente); sæpissime nigro-punctato.

10 *Arctii* De Geer. *(Tephr. solstitialis* Panz. *T. dorsalis* Macq.) ♂♀. 11 *Lappæ* Löw. ♂♀. 12 *punctata*

Schrank (*Tephr. Arctii* Fall. e parte, & Macq.) ♂♀. 13 *octopunctata* Macq. (*Tryp. Lappæ* Meig. *Tephr. Arctii* Fall. variet. in descript.) ♂♀. 14 *cornuta* Fabr. (var. a. b. c.) ♂♀. 15 *marginata* Fall. ♂♀.

B. Abdomen totum nigrum nitidum. Nervi transversi perpendiculares (in *T. Cerasi* n:o 25, ordinarius subobliquus).

†. Scutellum vel totum vel ex maxima parte nigrum (in var. b. *T. Gædii* n:o 18, rufescens).

16 *discoidea* Fabr. (*Tephr. Lychnidis* Fall. & Meig.) ♂♀. 17 *Centaureae* Fabr. (non Fall.) ♂♀. 18 *Gædii* Meig. (*Tephr. Zetterstedti* Bohem. — *Tryp. antica* Löw.) ♂♀. 19 *rotundiventris* Fall. ♂♀.

††. Scutellum vel totum vel ex maxima parte flavum aut rufum (*T. Gædii* var. b. scutello rufescente in Subdivisione †. sub n:o 18 quærenda).

20 *Lychnidis* Fabr. (*T. Centaureae* Fall. — *Tryp. discoidea* Meig.) ♂♀. 21 *Cardui* Reaum. Linn. ♂♀. 22 *stylata* Fabr. (*Musca Jacobeæ* Panz. — *Tephr. Jacobeæ* Fall.) var. a. b. c. d. ♂♀. 23 *solstitialis* Linn. Meig. (*Musca Dauci* Fabr. — *Dacus hastatus* Fabr. — *Tryp. cuspidata* Meig. var. — *Tryp. pugionata* Meig. var.) ♂♀. 24 *aprica* Fall. Meig. (*Tephr. solstitialis* Fabr.) var. a. b. c. ♂♀. 25 *Cerasi* Linn. Fn. Sv. (diagnosis; non descriptio, ibi enim *Ortal. Cerasi* adumbratur. — *Tryp. signata* Meig.) ♂♀.

Tribus 2:da: alis maculatis (nec fasciatis, nec reticulatis).

26 *Florescentiæ* Linn. Fall. Ortal. Svec. (*Dacus ruficaudus* Fabr. — *Tephr. punctata* Fall. Act. Holm.) ♂♀. 27 *Winthemi* Meig. ♂♀.

Tribus 3:tia: alis punctato-nebulosis vel reticulato-maculatis.

Subd. 1:ma: corpore flavicante, vel ferruginante, vel lutescente (*Tephr. arnicivora* & *conura* corpore lutescenti cinereo in Subdiv. 2:da sub numris 37 & 38 inveniendæ).

28 *Arnicae* Linn. (*Musca miliaria* Schrank. — *Dacus arcuatus* Fabr.? *Musca eadem* Panz. — *Trypeta flava* Löw) ♂♀. 29 *corniculata* Zett. ♂♀. 30 *parietina* Linn. Löw. &c. (var. a. ♂♀. *Tephrit. pantherina* Fall. — var. b. ♂♀. *Tryp. flavipennis* Löw.?) ♂♀.

Subd. 2:da: corpore cinereo vel cinerascente, opaco (in *T. arnicivora* n:o 37, & *conura* n:o 38 corpore lutescenti cinereo). Alarum nervi: transversi approximati; longitudinales 3 & 4 versus apicem subparalleli. Spinula costæ parva adest.

α). alarum apice pellucido punctis 2 discretis fuscis ad apicem nervorum 3 & 4 longitudinalium.

31 *Hyoscyami* Linn. Fall. ♂♀. 32 *Bardanæ* Schrank. (var. a. ♂♀. — var. b. ♂♀. *T. Hyoscyami* Fall. var. in descript. *Tryp. confusa* Meig.) ♂♀.

β). alarum apice, aut pellucido radiis 2 fuscis, aut fusco punctis paucioribus (interdum tantum unico) vel pluribus pellucidis.

33 *Leontodontis* De Geer (*Musca stellata* Panz.) ♂♀. 34 *conjuncta* Löw. (*T. Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. var. a. ex parte) ♂♀. 35 *angustipennis* Löw. (*T. Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. var. a. ex parte) ♂♀. 36 *fallax* Löw. ♀. 37 *arnicivora* Löw. (*Tryp. flavicauda* Meig. — *Tephr. Leontodontis* var. *β*. Fall. descript. — *Musca Arnicæ* Linn.? opinante *Löw.*) ♂♀. 38 *conura* Löw. (*Tephr. flavicauda* Zett.) ♂♀. 39 *ruralis* Löw. (var. *T. Leontodontis* & *flavicaudae* quandoque in collectionibus Svecorum) ♂♀. 40 *tessellata* Löw. (*T. Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. var. b. ex parte, & var. c. ♂♀. — *T. punctella* Fall. var. *β*. in descript.) ♂♀. 41 *argyrocephala* Löw. (*T. Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. var. c. ad partem) ♂♀. 42 *elongatula* Löw. (exclus. syn. Zetterst. *T. Leontodontis* var. b. & c.) ♂♀. 43 *Absinthii* Fabr. (*T. punctella* Fall. var. *α*.) ♂♀. 44 *fenestrata* Stæg. ♂. 45 *irrorata* Fall. ♂♀. 46 *guttata* Fall. (*Tryp. gemmata* Meig.) ♂♀. 47 *pupillata* Fall. (*Trupanea reticulata* Schrank. — *Acinia lineata* Macq.) ♂♀. 48 *guttularis* Meig. (*Tephr. capitata* Fall.) ♂♀. 49 *Gnaphalii* Löw. (*T. discoidea* Fall. *Tryp. aestiva* Meig. — Forte etiam *Tryp. terminata* Meig.?) ♂♀. 50 *Cometa* Löw. (*Tephr. radiata* Fall. non Fabr. neque Panz. eadem) ♂♀. 51 *radiata* Fabr. Panz. &c. (*Musca stellata* Sulz. *Trypeta eadem* Löw. — *Tephr. terminata* Fall.) var. a. b. c. d. ♂♀.

Sectio secunda: alis impictis aut subimpictis.

52 *Serratulæ* Linn. (*Tephritis pallens* Wied. *Trypeta eadem* Meig.) ♂♀. 53 *Wenigeri* Meig. (*Tryp. longicauda* Meig.? *Tryp. nigricoma* Löw.) ♀. 54 *dispar Wahlb.* (*Tryp. Colon* Meig.? ♀) ♂♀. 55 *Sonchi* Fall. Meig. (*Tryp. obsoleta* Meig. var.?) ♂♀. 56 *Stigma* Löw. ♂♀.

Tephritis.

Sectio prima: alis aut fasciatis, aut maculatis, aut reticulatis.

Tribus 1:ma: alis fasciatis.

A. Abdomen flavum, aut virescens, rarissime (in *T. cornuta* n:o 14, & *marginata* n:o 15) grisescens.

*) abdomine flavo immaculato (in *T. Onopordinis* (8) var. b. abdomine nigricante; in *T. Tussilaginis* (9) segmento anali in ♂ nigro-punctato).

1. *T. Artemisiae:* ferruginea, subnitens, capite pedibusque pallidioribus; alis fasciis 2 interruptis maculaque apicali subdilute fuscis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Fabr. Antl. 317. 5. Macq. Buff. 2. 462. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 744. 1. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 314. 4. T. 48. f. 20. Löw. Monogr. 319. 5. T. 1. f. 4. (ala). — *Tephrit. interrupta* Fall. Ortal. 5. 4. ♂♀.

Hab. in Artemisia vulgari, sed mihi etiam in aliis Compositis ut in Carduo, Chrysanthemo &c. obvia, per Scandinaviam, Jun. Jul. Aug. passim; scilicet. in Scania ad Esperöd, D. *Fallèn*, ad Lund D. *von Borck;* in

Smolandia D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena, ipse; in Bahusia ad Marstrand; in Uplandia: ad Holmiam, D. *Wahlberg*, ad Upsaliam, Prof. *Thunberg;* in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, teste D. *Wahlberg;* in Norwegia in insula Hacksten prope Schiervoe Nordlandiæ borealis semel; in Dania rarius, D. *Staeger.*

♂♀. Per alarum signaturas plerumque dilute (nec intense) fuscas, fascias 2 interruptas (nec continuas), harumque 1:mam subarcuatam e maculis 3 compositam, & 2:dam perpendicularem rectam sæpissime e fasciolis 2 oppositis constantem, ut & maculam apicalem mediocriter latam, ab affinibus præprimis dignota. Caput melleum. Antennæ flavæ, seta vix nisi nuda. Epistoma albidum. Instrumenta cibaria testacea. Oculi minusculi, rotundato-ovati, in viva aureo-virides, post mortem brunnei. Thorax, scutellum & abdomen dilute rufo-ferruginea, subnitentia. Metathorax nigro-bimaculatus. Alæ abdomine multo longiores, albido-hyalinæ; a basi ad fasciam 1:mam subflavidæ. In disco fasciæ duæ fuscæ; harum 1:ma normaliter e maculis 3 constat, quarum 1:ma sita in costa juxta & mox ante exitum nervi auxiliaris, subquadrata, 2:da seu media nervulum transversum medium transiens, minor, plerumque valde obsoleta, & 3:tia locata inter nervos longitudinales 5 & 6, maculæ 1:mæ opposita, quadrata. Nervus transversus medius mox pone apicem nervi auxiliaris ductus. Fascia 2:da recta in interstitio nervorum long. 3 & 4 interrupta normaliter formatur e fasciolis 2 præcise oppositis, quarum costalis minor ad nervum longitudinalem 3:tium descendit, sæpius simplex (ut in figura Meigeni), raro duplicata (ut in figura Löwii), & altera longior e margine interiore alæ per nervum transversum ordinarium perpendicularem adscendens. Macula denique apicalis lunata, apicem cingit intus interdum bisinuata. Squamæ & halteres albida. Pedes flavi, subnudi & subinermes. Oviductus ♀ brevis, in meis speciminibus ferrugineus, l. piceus, nec niger. Inter fasciam 1:mam & radicem alæ

non longe a margine interiore sæpissime adest punctum fuscum.

2. *T. Meigeni:* ferruginea, opaca, capite pedibusque pallidioribus; alis fasciis 2 subparallelis abbreviatis, striga costali interjecta maculaque apicali fuscis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Trypeta Meigenii Löw. Monogr. 316. 2. T. 1. f. 2. (ala). — *Trypeta alternata* Meig. Dipt. 5. 313. 2. ♀. (exclus. syn. Fall.) T. 48. f. 17. (ala). — *Tephritis alternata* Macq. Buff. 2. 462. 6. ♀.

Hab. in floribus Artemisiæ vulgaris, Gnaphalii arenarii & Berberis vulgaris (in hujus plantæ fructu, testante D. *Stæger)*, per Scandinaviam meridionalem & mediam, versus finem mensis Julii, minus frequens; scilicet in Scania ad Lund in utroque sexu a me parce inventa; in Uplandia ad Holmiam, teste D. *Wahlberg;* in Norwegia ad Christianiam, D. *Hortulan. Moë;* in Dania ad Dyrhaven d. 28 Jul. 1844 a D. D. *Stæger & Dahlbom* sat copiose lecta. In provinciis Scandinaviæ septentrionalibus mihi numquam obvia.

♂♀. Corpore opaco, nec nitido, pubescentia abdominis flava, nec fusca l. grisea, forma & situ fasciarum in alis, ab affinibus certe diversa. Caput cum antennis ut in priori constructum & coloratum. Seta antennarum nuda, obscura. Thorax ferrugineus, opacus, setis lateralibus nigris. Metathorax puncto nitido, nigro. Abdomen ovatum, ferrugineum, opacum. Anus maris obtusus; vagina feminæ subexserta, atra, nitida. Alæ albohyalinæ, signaturis saturate fuscis. In disco fasciæ 2 subparallelæ l. versus marginem interiorem nonnihil appropinquantes, ambæ abbreviatæ; harum 1:ma a costa (ubi per maculam saturate nigram inter apicem nervi secundarii & auxiliaris incipit) nervum transversum medium transiens paullo infra

nervum longitudinalem 5:tum (sed non usque ad marginem) perpendiculariter descendit. Fascia 2:da iterum a margine interiore per nervum transversum ordinarium paullo obliquum, nec exacte perpendicularem, ad nervum longitud. 3:tium (ubi plerumque paullo attenuata) adscendit. Inter has fascias (fasciæ 2:dæ tamen paullo propius) ad costam adest macula subquadrata fasciam 3:tiam incipiens, & ad nervum longit. 3:tium extensa. Macula apicalis ut in priori, sed obscurior, plerumque nonnihil latior & magis determinata. Alarum basis a radice ad fasciam 1:mam immaculata exceptis nervis flavis & macula ad costam fusca obsoleta. Costa tota nuda; spinulæ nullæ. Nervi transversi fat late remoti. Squamæ, halteres & pedes ut in præcedente.

3. *T. hamifera:* ferruginea, subnitida, capite pedibusque pallidioribus; alis striga baseos libera, fasciis duabus discoidalibus ad marginem interiorem connexis, 1:ma subintegra, 2:da interrupta, maculaque apicali, fuscis; nervo transverso ordinario subobliquo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Hab. in Scandinavia præsertim boreali, ab initio Julii ad medium Augusti observata, passim; in copula etiam capta; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd rarissime; in Smolandia ad Äbonäs 24 Jun. a beato *Ljungh* deprehensa; in Ostrogothia ad Lärketorp semel a me capta; in Jemtlandia boreali ex. gr. in alpibus Åreskutan & Mullfjellen, passim; in Norwegia ad diversoria Näs & Garnäs Værdaliæ atque ad Ahlstahaug & Levanger in paroecia Skogn frequens; in Dania etiam a D. *Stæger* rarius inventa mecumque communicata.

♂♀. Duabus præcedentibus sat similis & affinis, sed ab illa alarum signaturis fuscis saturatioribus, nec dilutis, nervo transverso ordinario obliquo, nec perpendiculari, & vagina anali

feminæ nigra, nec ferruginea, ab hac corpore nitido, nec opaco, pubescentia abdominis grisea, nec flava, & ab utraque alarum striga fusca media obsoleta inter radicem & fasciam 1:mam, libera, marginem nec costalem nec interiorem attingente, ut & fascia 1:ma plerumque integra (interdum a maculis 3 conflata) cum 2:da (quæ in medio interrupta est), ad marginem alæ interiorem cohærente hamum formante, differt. Seta antennarum subnuda. Oculi in viva aureo-virides. Metathorax macula gemina atra, nitida. Alarum fascia 1:ma nervum transversum medium, 2:da transversum ordinarium transit. Hæc vero fascia 2:da in medio sæpissime sat late plerumque a nervo longit. 4:to fere ad 2:dum interrupta, ferme ut in *T. Artemisiæ*, sed fasciola costalis inferiori non exactissime opposita. — A sequente striga alarum basali libera, nec cum fascia 1:ma connexa, in primis differt. Pictura alarum in utroque sexu similis.

Var. b. ♂. loco maculæ alarum apicalis nigricantis nervi longitudinales 2, 3 & 4 ad apices sat late infuscati. In Norwegia rarissime. (In insula Rugia ad Putbus d. 31 Maj 1842 individuum hujus varietatis etiam legit D. *Dahlbom*). *).

4. *T. Zoë:* ferruginea, nitida, capite pedibusque pallidioribus; alis albo-hyalinis, aut (in ♂) maculis 2 marginalibus fusco-nigris, 1:ma costali difformi intus cum fasciola basali connexa, 2:da apicali, aut (in ♀) fasciis 2 discretis rectis, 1:ma costali difformi intus cum fasciola basali connexa, 2:da simplici, maculaque apicali fusco-nigris. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

---

*) *Obs.* In Linnæa Entomologica, quam nuperrime in manus accepi, p. 496 Cel. Professor *Löw.* varietatem quandam hujus speciei, a D. *Stæger* sibi missam, sub nomine a me imposito: *T. hamifera*, jam descripsit descriptamque figura alarum illustravit.

Mas: paullo minor, ano obtuso. Signaturæ alarum brunneo-nigræ l. intense fuscæ. Maculæ marginales 2 insigniores, quarum 1:ma ad costam inter exitum nervorum auxiliaris & secundarii ad nervum transversum medium descendit eumque angustata tegit, in medio intus (in interstitio nervorum longitudin. 2 & 3) paullo dilatata cum fasciola basali dilute fusca cohærens; 2:da terminalis, sat magna totum apicem alæ occupans, ovata, intus plerumque ad nervum transvers. ordinarium producta, acuta; in nervo longitudinali 5:to puncta unum l. duo fusca sæpissime etiam adsunt;

Fem. (qualis in Scandinavia occurrat): vagina anali nigra. Signaturarum color in alis ut in ♂. Alæ fasciis 2; 1:ma nervum transversum medium transit & infra nervum longit. 5:tum descendit, sed marginem interiorem non attingit, superne (sub nervo longit. 2:do) intus dilatata cum fasciola basali fusca obsoleta cohærit, ut in ♂; 2:da simplex, perpendicularis, angustior nervum transversum ordinarium perpendicularem (nec obliquum) tegit, plerumque integra, interdum in medio interrupta. Macula apicalis sat magna, intus truncata, nec acumine ad fasciam 2:da extensa.

Macq. Buff. 2. 463. 9. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 744. 2. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 315. 7. ♂♀. T. 48. f. 14. ♂. f. 15. ♀. Löw. Monogr. 317. n:o 3. ♂, & var. 4 ♀. — *Tephrit. apicalis* Zett. Ins. Lapp. 744. 3. ♂. variet.

Hab. in Scandinavia mense Julio minus frequens; scilicet in Smolandia, D. D. Professor *Boheman* & Camerarius *Ljungh*, rarius; in Norwegia ex. gr. in alpe Dowre ab eodem *Boheman*, & ad Næs Wærdaliæ a me, inventa; ad Hafniam, D. *Stæger*. (Ad Sedinum a D. *Dahlbom* 1842 etiam lecta).

♂♀. Valde affinis prioribus & præsertim *T. Artemisiæ* feminæ (1) similis, sed pictura alarum saturatius fusca, macula apicali majore, distinctiore, & præcipue macula costali prima mox infra

nervum longit. 2:dum intus (versus radicem alæ) dilatata cum fuscedine fasciformi connexa, & ab hac & ab aliis facile dignota. Mas præterea magis discrepans ut in diagnosi indicatum. — Metathorax in utroque sexu ater nitidus. Præter alarum signaturas allatas observantur quoque plerumque maculæ duæ parvæ in nervo 5:to longitudinali, quarum una in medio, altera adhuc minor ad apicem ejusdem nervi in angulo nervi transversi ordinarii, ut in descriptione *Tephr. apicalis* Ins. Lapp. l. c. Macula vero illa media interdum deest.

Var. b. Similis feminæ descriptæ, sed loco maculæ apicalis alarum nigræ contiguæ, nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 apices fuscedine tantum cinguntur, haud aliter ac in variet. b. *Tephrit. hamiferæ*. Hæc var., quæ in Insect. Lapponicis p. 744. ut varietas *T. Artemisiæ* describitur, potius ad hanc speciem referenda. Sed "setæ oris mystacinæ", quæ l. c. ut præsentes dicuntur, specimine valde manco nunc adcuratius examinato, non nisi setæ verticis ordinariæ in capite circumtorto deprehenduntur. In silva betulina ad Evenäs Nordlandiæ Norwegicæ d. 18 Jun. 1821 individuum unicum inveni.

5. *T. alternata:* ferruginea, subnitens, capite pedibusque pallidioribus; alis subflavido-hyalinis, fasciis tribus, 1:a perpendiculari subintegra, 2:da costali minima, 3:tia obliqua continua, maculaque apicali, fuscis; nervo transverso ordinario obliquo. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Fall. Ortal. 5. 3. ♂♀. Dahlb. Scand. Ins. p. 320. 219. (ubi etiam metamorphosis adcurate describitur). *Trypeta* Löw. Monogr. 315. 1. T. 1. f. 1. (ala) — *Trypeta continua* Meig. Dipt. 5. 312. 1. ♂. T. 48. f. 16. (ala.). — Bouchè Naturgesch. 97. 87. descript. larvæ & pupæ.

Hab. imago in foliis fruticum per hortos & prata silvatica Scandinaviæ meridionalis & mediæ, tota æstate, passim frequens, in copula sæpe deprehensa; scilicet in

Scania ad Lund, Högestad, Esperöd &c. vulgaris & certis annis copiose; in Smolandia, collectio D. *Ljunghii;* in Ostrogothia ad Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Bahusia ad Marstrand; in Dania, D. *Stæger.* Larva in fructu Rosæ villosæ, caninæ aliarumque Rosarum specierum sub æstate vivit usque ad finem Augusti l. initium Septemb. dum in terra pro metamorphosi subeunda se abscondit. Pupa mensibus Maji l. Junii anni sequentis excludenda fere $1\frac{1}{2}$ lin. longa, cylindrica, segmentis circiter 12, nuda, flavo-alba. Larvæ & pupæ a D. *Bouchè* l. c. fusius descriptæ, a Cel. *Dahlbom* & me sæpe etiam observatæ & allato modo degentes.

♂♀. Per fascias alarum discoidales duas singulas fere continuas ad costam latius distantes ad marginem interiorem paullo appropinquantes & fasciolam costalem brevem interjectam, ab aliis abunde dignoscitur. Ferruginea. Frons lutea. Antennæ flavæ, seta obscura nudiuscula. Epistoma albidum. Thoracis discus dorsalis parum nitidus. Metathorax nigro-bimaculatus, interdum totus ater nitidus. Abdominis pubescentia flavida. Vagina feminæ ferruginea. Alæ in utroque sexu similes. Ad basin plerumque rudimentum strigæ liberæ fuscæ, quæ in puncto obscuriori intra marginem interiorem sæpe terminatur. Deinde fasciæ 2 saturatiores discretæ, plerumque integræ, quarum 1:ma perpendicularis ad costam intense brunnea nervum transversum medium transscendit, 2:da obliqua nervum transv. ordinarium transgredit. Inter has fascias 3:tia minima angusta a costa ad nervum long. 3:tium tantum descendit. Macula apicalis mediocris fusca. Pedes flavi, femoribus anterioribus subtus fusco-setulosis. Alarum fascia prima plerumque marginem interiorem non attingit. Fascia 2:da (3:tia Meig.) cum macula apicali ad costam sæpe connexa & raro etiam cum fascia 1:ma ad marginem interiorem subcohærens ut in varietate *β.* Fall. l. c.

6. *T. cognata* ferruginea, nitida, capite pedibusque pallide flavis; alis albido-hyalinis, rivulis subinterruptis, basalibus ochraceis, apicalibus fuscis, macula stigmaticali majuscula subquadrata nigricante; nervis transversis medio & ordinario obliquis. ♂♀. (Long. 2—2¼ lin.)

Wiedem. Zool. Mag. 1. p. 75. 25. Meig. Dipt. 5. 315. 6. ♂. T. 48. f. 18. Löw. Monogr. 320. 6. ♂♀. (excl. syn. Fall. *Tephrit. lucida*) T. 1. f. 5. (ala; figura fidelis).

Hab. in foliis fruticum & graminosis, per hortos, prata & nemora Scandinaviæ, 1 Jul.—15 Aug., passim; scilicet in Scania ad Esperöd (in parœcia Tranås), Absa prope Lund, Silfåkra &c., sat frequens; in Ostrogothia ad Wadstena rarius; in Jemtlandia boreali ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen haud parce; in Norwegia ad Næs Wærdaliæ minus frequens; in Dania passim, D. *Stæger*.

♂♀. Corpus lucidum, alarum rivuli subinterrupti, nec continui, macula stigmaticalis majuscula determinata nigricans, ut & nervi transversi obliqui speciem præprimis denotant. Ferruginea. Caput flavum, albo-micans, fronte lutescente. Antennæ pallidæ, seta microscopice puberula. Thorax & abdomen valde nitida. Metathorax maculis 2 atris nitidissimis, interdum subconfluentibus. Vagina analis feminæ ferruginea l. fusca. Pictura alarum in utroque sexu similis, in ♂ vero plerumque paullo obsoletior. Fasciæ subtres, obliquæ, subfuscæ: 1:ma paullo pone basin ochracea, obsoletior, nervos transversos basales transit, ad marginem interiorem non extensa; 2:da in disco alæ pallide fusca angustata, in medio sæpe subinterrupta l. saltem obsoleta nervum transversum medium transit, ad marginem interiorem magis dilatata, ibique cum fascia 3:tia cohærens; 3:tia latior, obscurior, in medio aut subinterrupta aut saltem nonnihil angustata nervum transv. ordinarium tran-

sit, ad costam cum macula apicali determinata saturate fusca connexa; inter maculam apicalem & fasciam 3:tiam adest striga elongata seu fasciola obliqua libera fusca. In costa ad exitum nervi auxiliaris macula determinata subquadrata nigra. Pedes pallidi. — *Acida cognata* Walker Ent. Mag. 3. p. 83. T. 9. f. 31. a D. *Löw* l. c. huic speciei allegatur.

7. *T. lucida:* ferruginea, nitida, capite pedibusque pallide flavis; alis albido-hyalinis, rivulis continuis, basalibus ochraceis, apicalibus fuscis, macula stigmaticali minuscula atra; nervis transversis medio & ordinario obliquis. ♂♀. (Long, 2—2¼ lin.).

Fall. Ortal. anno 1826. Supplem. 2:dum p. 13. 2—3 certiss. secundum specimina typica (exclus. tamen *Tephr. cognata* Wied.). — *Trypeta cognata* Meig. 5. 315. 6. ♀. T. 48. f. 19. *Tephritis cognata* Macq. Buff. 2. 463. 7. *Trypeta speciosa* Löw. Monogr. 321. 7. ♂♀. T. 1. f. 6 (ala; figura bona). — (An *Musca Heraclei* Linn. Fn. Sv. 461. 1877?).

Hab. in foliis fruticum (locis paludosis) per Sveciam mediam, mense Julio rarius; scilicet in prato sylvatico Krogängen prope Wadstena Ostrogothiæ 10—12 Jul. 1825 exempla descriptioni Fallenianæ typica a me primum inventa; deinde eodem loco eodemque mense 1833 individua quædam iterum legi; ad Kolmorden Ostrog. D. *Wahlberg;* in Westrogothia a D. *Boheman* capta; in Smolandia (in Lonicera Xylosteum), D. *Ljungh;* ♀ in Dania a D. *Staeger* etiam deprehensa & sub nomine "*T. Meigeni*" mecum communicata. (Utrumque sexum sub nomine: *Trypeta Meigenii* Winth., ad Hamburgum lectum a Nobiliss. D. *von Winthem* tandem obtinui).

♂♀. Priori valde affinis & similis, sed alarum rivulis magis contiguis, fascia 1:ma majori, latiori, pallida, & macula stigmaticali multo angustiori, intensius nigra, statim dignoscitur. Caput ut in priori. Oculi (in viva) ♂ aureo-virides, ♀ virides certo situ aureo-micantes, in utroque sexu unicolores. Corpus & pedes ut in præcedente. Metathorax maculis 2 atris nitidis. Abdomen ferrugineum, in senioribus interdum piceum, postice lateribus & ano parce nigro-pilosis. Oviductus feminæ nigricans. Alarum fasciæ subtres: 1:ma pallida e macula stigmaticali exit ad medium cum 2:da connectitur; 2:da etiam pallida ad costam libera nervum transversum medium transit & ad marginem interiorem cum 3:tia cohæret; 3:tia fusca nervum transv. ordinarium transit, ad costam cum macula apicali fusca connexa, interjecta striga obliqua fusca, quæ cum fascia 3:tia ad nervum long. 3:tium coit. Macula stigmaticalis ad exitum nervi secundarii (nec auxiliaris) subquadrata, angusta, nigra. Ad basin alarum fasciola pallida obsoleta cum fascia 1:ma connexa quoque adest.

Obs. Inter specimina originaria plura *Tephr. lucidæ* in museo Falleniano exstat quoque individuum unicum *Tephr. cognatæ.*

8. *T. Onopordinis:* livido-ferruginea, nitida, capite, scutello pedibusque pallidioribus; alis: rivulis continuis, basalibus flavescentibus, apicalibus fuscis, maculis costalibus duabus trigonis, discoidalibus totidem rotundatis, sinubusque ad marginem interiorem tribus profundis, albo-hyalinis; nervis transversis subobliquis, approximatis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Var. a. ♂♀. thorace abdomineque livido-l. luteo-ferrugineis.

Macq. Buff. 2. 461. 11. ♂♀. — *Musca* Fabr. Ent. Syst. 360. 198. *Scatophaga* Fabr. Antl. 210. 31. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 316. 9. T. 48. f. 24. vera. — *Trypeta Heraclei* Löw. Monogr. 323. 9. T. 1. f. 7.

certe. (An quoque *Musca Heraclei* Linn. Fn. Sv. 461. 1877. eadem?).

Var. b. ♂♀. obscurior, thorace abdomineque fusco-ferrugineis l. fusco-nigricantibus, hinc linea thoracis laterali & scutello flavis evidentioribus.

Tephritis Onopordinis Fall. Ortal. 15. 25. ♂♀. certissime. — An *Tephritis Centaureæ*. Fabr. Antl. 322. 28? — *Musca Cardui* Thunb. Diss. Mus. Upsal. p. 91.

Hab. in Scandinavia imprimis meridionali & media, 28 Maj. — Jul. — Aug. — 10 Sept., passim minus frequens, mihi in foliis fruticum melle roridis per hortos & prata præsertim obvia; scilicet in Scania ad Esperöd (in paroecia Tranås); in Smolandia ad Calmar (in Ribe nigro), D. *Wahlberg*, & ad Skärsjö, D. *Ljungh*; in Gottlandia ad Öja, Sproge &c. haud parce; in Uplandia ad Holmiam; in Lapponia ad Qvickjock (var. a.), testante D. *Wahlberg*; in Dania (in fruticibus Tiliæ europææ Maj. Jun.) non raro, D. *Stæger*, qui specimina in utroque sexu communicavit, scribens se exempla similia etiam ex insula Rhodus obtinuisse.

♂♀. Nitida, plus minus intense ferruginea. Caput albidum, fronte lutea, setosa. Antennæ parvæ, pallidæ, seta nuda. Oculi majusculi oblongi, in viva aureo-virides. Thoracis linea lateralis flava plus minus perspicua. Scutellum flavescens. Metathorax niger. Oviductus feminæ nigro-brunneus. Alæ fasciis subqvatuor cohærentibus fuscis l. castaneis basi dilutioribus: 1:ma basali ad 5:tam circiter partem alæ extensa, a costa ad medium ducta; 2:da cum 1:ma in medio cohærente, a costa ad marginem interiorem ducta maculam parvam rotundam albidam (interdum obsoletam) inter nervos longitudinales 3 & 4 includente; 3:tia cum 2:da in medio & ad marginem interiorem connexa, nervos transversos medium subperpendi-

cularem & ordinarium obliquum transiente maculamque majusculam rotudato-ovatam albidam inter nervos longit. 4 & 5 mox ante nervum transv. ordinarium includente; & 4:ta angusta obliqua cum macula apicis parallela a margine interiore adscendente cum 3:tia ad nervum longit. 3:tium connexa. Macula apicalis fusca totum apicem alæ cingit. Maculæ costales 2 albohyalinæ majusculæ trigonæ, 1:ma (subquadrata) ante, 2:da pone exitum nervi auxiliaris. Ad marginem interiorem tres sinus distinctiores albo-hyalini, 1:mus ad basin latus & subduplicatus; 2:dus mox pone nervum transv. ordinarium magnus trigonus; 3:tius ante apicem elongatus angustior a margine interiori in nervum long. 2:dum adscendit. Halterum clava fusca. Femora flavo-ferruginea, antica extus nigro-setulosa; tibiæ & tarsi omnes pallide flava. — Affinis *T. cognatæ* (6), sed alarum rivulis brunneis in medio magis connexis, maculis costalibus albis tantum 2, nec 3, nervis transversis magis approximatis &c., facile dignota. — Variat forma & magnitudine macularum duarum discoidalium albarum.

Obs. Sub nomine: "*Musca Cardui*" hujus speciei utraque varietas in utroque sexu in Collectione defuncti *Ljungh* asservatur.

9. *T. Tussilaginis:* virescenti flavida, subopaca, capite, scutello pedibusque pallidioribus; thorace postice nigro-bipunctato; alis: fasciis tribus subperpendicularibus fusco-flavidis, 1:ma & 2:da subabbreviatis ad costam subconnexis, 3:tia libera integra, maculaque apicis saturatius fusca, nervis transversis subperpendicularibus, subapproximatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Mas: abdominis segmento ultimo longo, punctis 6 nigris, quorum 4 basalibus plerumque sub segmenti penultimi margine apicali retractis, & 2 apicalibus (nempe uno ad utrumque latus);

Fem.: abdomine immaculato, oviductu abdominis fere longitudine, depresso, versus apicem sensim attenuato, toto ferrugineo, apice summo nigricante; in copula freq.

Var. a. ♂♀. thorace præter puncta 2 postica (ante scutellum) remota nigra subimmaculato.

Macq. Buff. 2. 464. 13. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 559. 193. *Dacus* Fabr. Antl. 277. 21. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 319. 13. T. 48. f. 26 (alarum fasciis 1 & 2 immerito discretis). — Löw Monogr. 332. 13. ♂♀. T. 1. f. 11. (ala; figura bona). — *Tephritis vicina* Macq. Buff. 2. 465. 2. ♀. verosimiliter etiam hujus. — Sub *Tephrit. Arctii* Fall. Ortal. 4. 2. quoque latet.

Var. b. ♂♀. thorace præter puncta 2 postica remota nigra etiam lineola utrinque laterali plus minus abbreviata nigricante.

Löw. l. c. var.

Hab. in Scandinavia meridionali & media, a medio mensis Junii usque ad Septemb., vulgaris, in copula sæpe deprehensa, mihi in Arctio Lappa præcipue obvia; nempe var. a. & b. promiscue in Scania ad Lund, Björnstorp Esperöd, Fogelsång, Östra & Westra Wramb, Lindholmen, & aliis locis sæpe copiose; in Smolandia ad Skärsjö, frequens; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Westerby &c.; in Ostrogothia ad Gusum; in Uplandia ad Holmiam & in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Dania frequens, D. *Stæger*, qui mihi specimina multa in utroque sexu misit. (Ad Hamburgum a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Corpus opacum, nec nitidum, scutellum immaculatum, abdominis maris segmentum anale magnum nigro-6-punctulatum (punctis minutis), oviductus feminæ elongatus ferrugineus apice nigricans, alæque in utroque sexu fasciis 3 pallidioribus, dilutis,

subperpendicularibus, 1 & 2 subconnexis, ad marginem interiorem abbreviatis, 3:tia discreta integra, maculaque apicali obscuriore, speciem denotant. Viridi-flavo-testacea. Caput pallidum, fronte fulvescente. Antennarum seta nuda. Oculi parvi, subrotundi, in viva aureo-virides. Thorax dorso tenuissime & brevissime flavo-puberulus, setis lateralibus ordinariis nigris. Scutellum flavum, immaculatum. Metathorax niger. Abdomen supra interdum leviter subinfuscatum. Alæ subangustatæ, albo-hyalinæ, fasciis 3 flavo-testaceis, 1:ma ad basin abbreviata obsoleta; 2:da pallida ad costam brunnea dilatata ibique cum fascia 1:ma subconnexa, nervum transversum medium transeunte & paullo infra nervum long. 5:tum (non tamen ad marginem interiorem) descendente; 3:tia integra omnino libera nervum transv. ordinarium ambiente ibique obscuriore; macula apicali modice lata, saturate fusca, fasciæ 3:tiæ ad costam appropinquante, non vero cum illa cohærente. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli. Spinula costæ parva adest. Halteres flavi. Pedes ut in præcedente.

Obs. In Thunb. Dissert.: Mus. Nat. Acad. Ups. p. 91. *Musca Heraclei* Linn. ut identica cum *Musca Tussilaginis* Fabr. enumeratur.

**) abdomine flavo aut virescente (in *T. cornuta*, 14, flavo-grisea in *T. marginata*, 15, cinerascente), punctis nigris notato.

10. *T. Arctii:* virescenti flavida, subopaca, capite pedibusque pallidioribus; scutello flavo, margine atro-tripunctato; thoracis disco obscuro, postice nigro-bipunctato; sterno nigro-maculato; abdomine quadrifariam nigro-punctato; alis fasciis tribus subperpendicularibus fusco-flavidis, 1:ma & 2:da subabbreviatis ad costam connexis, 3:tia integra cum macula apicis fusca ad costam confluente, nervis transversis subperpendicularibus modice remotis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}-1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis segmenti ultimi margo anticus punctis 4 nigris, quorum 2 extimis cum inferioribus 2 lateralibus plerumque subconnexis;

Fem: oviductus fere abdominis longitudine, ferrugineus, planus, versus apicem attenuatus.

Fall. Ortal. 4. 2. ♂♀. (sub qua vero plures species latent). — *Musca* De Geer Ins. (edit. Holm. 1776) 6. p. 42. 16. T. 2. f. 11. ♀. — *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 317. 10. ♂♀. T. 48. f. 25. (numero correcto; ala). — Löw Monogr. 330. 12. ♂♀. T. 1. f. 10. (ala; fasciis 1 & 2 immerito fere ad marginam interiorem extensis.). — *Tephrit. solstitialis* Panz. 103. 22. ♂ (exclusis synonymis). — *Tephr. dorsalis* Macq. Buff. 2. 467. 27. ♂♀. (affirmante Löwio l. c.)

Hab. in floribus Serratulæ, Onopordinis, Arctii Lappæ, Cardui lanceolati aliarumque Compositarum, per hortos, prata, arva & vias Scandinaviæ meridionalis, a medio mensis Maj. usque ad medium Sept., vulgaris, mihi in Sveciæ provinciis mediis & borealibus haud obvia; sed in Scania ad Lund, Kjellby, Fogelsång (*Dahlbom*), Räften, Abusa, Silfåkra, Höjeå (von *Borck*), Esperöd, &c., frequentissima; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Gottlandia & Ostrogothia quoque visa fuerit; in Dania passim, D. *Stæger*, qui exempla utriusque sexus misit: (Ad Gryphiam & Neuenkirchen Germaniæ jam 15—20 Maj. 1842 a D. *Dahlbom* capta. Ex Italia specimina etiam obtinui).

♂♀. Cum aliis similibus sæpe confusa; sed per scutellum flavum, margine punctis 3 atris notatum, thoracis dorsum lineis tribus nigris confluentibus media lata postice abbreviata & ante scutellum punctis 2 nigris pictum, sternum nigro-macu-

latum, alarum fascias ochraceas subperpendiculares per pares ad costam cohærentes, notas simul sumtas facile dignoscitur. Caput ut in præcedente. Thoracis pictura dorsalis in detritis nigra, in bene conservatis ob pubescentiam griseam magis cinerascens. Præter signaturas allatas punctum nigrum utrinque inter scutellum & radicem alarum etiam observatur. Metathorax niger. Abdomen qvadrifariam nigro-punctatum, nempe puncta 4 transversa rotunda in medio segmenti 1:mi, & totidem (mediis subapproximatis) subtrigona ad basin singuli segmentorum reliquorum. Fasciæ alarum 3 melleæ sæpe obscure marginatæ: 1:ma basalis ad costam dilatata ibique cum 2:da connexa, per angulum acutum ad nervum 5:tum longitudinalem oblique descendit, in medio macula inclusa parva oblonga albo-hyalina interdum (non semper) notata; 2:da perpendicularis infra nervum long. 4:tum semper (interdum fere ad marginem interiorem extensa) nervum transvers. medium transit; 3:tia cum 2:da parallela, integra, nervum transv. ordinarium transit cum macula apicali saturatius fusca ad costam cohærens. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli. Halteres & pedes ut in proxime antecedentibus.

Obs. Sub *Tephr. Arctii* Fall. l. c. latent nostræ species: *T. Tussilaginis* (9), *Arctii* (10), *punctata* (12) & *8-punctata* (13).

11. *T. Lappæ:* pallide flavo-subvirescens, subopaca, capite pedibusque flavis; scutello flavo, immaculato; thoracis disco obscuro postice nigro-bipunctato; sterno nigro-maculato; abdomine qvadrifariam nigro-punctato; alis fasciis tribus obliquis fusco-flavidis, 1:ma & 2:da subabbreviatis ad costam connexis, 3:tia integra cum macula apicali fusca vix cohærente; nervis transversis subperpendicularibus, modice remotis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Löw Monogr. 331. 11. T. 1. f. 12. *Musca* Linn. Fn. Sv. 553. 2311. ♀. inter insecta seposita.

Hab. in Sveciæ meridionalis pratis passim, in floribus Arnicæ montanæ mihi præsertim & non raro mense Junio obvia; nempe in Scania ad Lund, Björnstorp (*Dahlbom*), Räften, Kungsängen &c., certis annis frequenter visa; in Smolandia ad Öringe &c. in utroque sexu capta, collectio *Ljunghiana;* in Ölandia, *Linnè.*

♂♀. Similis & affinis præcedenti & sequenti inter utramque quasi media. A priori: colore corporis pallidius flavo & alarum fasciis nonnihil obliquis, nec perpendicularibus; a sequente: thoracis disco dorsali toto nigricante (nec ferrugineo punctis 8 nigris notato) sternoque nigro-maculato, & ab utraque scutello immaculato, nec nigro-tripunctato, ut & alarum fascia 3:tia a macula apicali ad costam subsejuncta, differt. — Virescenti pallide flava. Thoracis limbus pallide flavus, disco toto nigricante pube bevissima tenui pallida tecto, punctis ante scutellum 2 nigris sæpe parum a nigredine disci separatis. Scutellum pallide flavum, immaculatum. Metathorax niger. Abdominis puncta nigra in 4 series disposita. Alæ albo-hyalinæ, fere ut in sequente pictæ. Fascia 1:ma valde obliqua cum angulo sensim acuminato non usque ad marginem interiorem extensa & cum 2:da ad costam late connexa; 2:da modice obliqua, fere ad marginem interiorem descendens, nervum transversum medium (mox ponè apicem nervi auxiliaris ductum) transiens; 3:tia integra, subperpendicularis l. lenissime subarcuata, nervum transv. ordinarium transiens, fere libera seu cum macula apicali fusciori haud connata. Fascia 1:ma seu basalis medio maculam albo-pellucidam includit. Halteres & pedes pallide flavi.

Obs. A *T. Lappæ* Löwii magnitudine paullo minore, alarum fascia 1:ma perspicuiore (nec obsoleta) fere ut in *T. Arctii* constructa, ut & fascia 3:tia a macula apicali breviter sejuncta, nec fere cohærente, differt hæc species; in ceteris vero exacte conveniunt. — Cel. *Löw* l. c. feminam oviductu longitudinem dimidii corporis paullo excedente etiam descripsit,

in meis vero speciminibus oviductus abdominis longitudinem vix attingit. — *T. Lappæ* Meig. alia est species ad *T. 8-punctatam* infra n:o 13 pertinens.

12. *T. punctata:* flavescens, subopaca, capite pedibusque pallidioribus; scutello flavo, margine atro-tripunctato; thoracis disco ferrugineo-flavo nigro-octopunctato; sterno immaculato; abdomine quadrifariam nigropunctato; alis fasciis tribus obliquis fusco-flavidis, 1:ma cum 2:da & 3:tia cum macula apicali fusciori ad costam connexis; nervis transversis subperpendicularibus modice remotis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Musca Schrank. Ins. Austr. 1781 p. 474. 963. (*) *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 317. 55. Löw Monogr. 328 11. ♂♀. (descriptio fidelis). T. 1. f. 9. (ala.) — *Tephrit. Arctii* Macq. Buff. 2. 467. 25. ♂♀. (exclus. Syn. Meig.).

Hab. in Sveciæ mediæ pratis silvaticis Jun.—Jul. rarius; a me in Gottlandia ad Garde, Stenkyrka, Hoburg &c. in 4 masculis & 3 femineis exemplis capta; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*. (Sub nomine: »*Trypeta Arctii*» e S:t. Sever Galliæ a Nobil. *Leon Dufour* in utroque sexu communicata; & ex Italia quoque similis missa).

♂♀. Cum *T. Arctii* (10), cui sat similis, frequenter sine dubio commixta. Differt ab illa præcipue: magnitudine sæpe paullo minore, thoracis disco punctis 8 discretis nigris, nec lineis tribus confluentibus nigris notato, ut & sterno immaculato. Caput, scutellum & pedes ut in *T. Arctii*. Metathorax

*) *Tephrit. punctata* Wiedem. Analect. entom. Kiliæ 1824. p. 55. n:o 123. est species Guineensis a Schrankiana toto coelo diversa.

nigricans aut brunneus. Alæ quoque ut in *T. Arctii* pictæ, at fasciæ forsitan nonnihil magis obliquæ & 1:ma paullo longius versus marginem interiorem descendens. Hæc fascia 1:ma medio maculam parvam albo-pellucidam sæpe includit, & in basi (ad costam) fasciæ 3:tiæ punctum minutum albo-hyalinum plerumque etiam adest. Fascia 2.da & 3:tia lenissime subarcuatæ. Oviductus feminæ longitudine abdominis (ideoque paullo longior quam in *T. Arctii*), ferrugineus.

13. *T. octo-punctata:* virescenti flava, opaca, capite, scutello pedibusque pallidioribus; scutello flavo, punctis 4 marginalibus atris; thoracis disco dorsali obscuro quadruplici serie nigro-punctato; sterno nigro-maculato; abdomine quadrifariam nigro-punctato; alis fasciis tribus fusco-flavidis, 1:ma valde obliqua cum 2:da subperpendiculari ad costam connexa abbreviatis, 3:tia integra, sublunata, cum macula apicali fusciori ad costam cohærente; nervis transversis modice remotis. ♂♀. (Long $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Macq. Buff. 2. 466. 23. *Trypeta* Löw Monogr. 336. 15. ♂♀. vera. T. 1 f. 13. (ala). — *Trypeta Lappæ* Meig. Dipt. 5. 318. 11 (exclus. syn. Panz. *Musca Arctii.*) — *Tephritis Arctii* Fall. Ortal. 4. 2. varietas in descriptione allata.

Hab. in Svecia meridionali passim, in media rarius, mense Julio obvia; Scilicet i Scania ad Esperöd in paroecia Mellby haud raro lecta, ad praedium Elmhult parce, D. *Dahlbom* (1841); in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Wadstena in copula a me semel capta; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.*

♂♀. Proxime antecedentibus major, & thoracis dorso fuscescente punctis 12 nigris fere æquali spatio remotis ornato, scutello flavo nitido, margine punctis 4 parvis atris, e quorum

singulo seta ordinaria nigra excurrit, alarum fasciis ad costam per pares connexis, harum 3:tia sublunata, 1:ma medio macula oblonga albo-hyalina, ab aliis facile dignoscitur. Caput pallide flavum, genis exsertis pubescentibus. Frons fulvescens, setosa. Antennæ simplices, plerumque fulvo-flavæ, seta nuda obscura. Oculi mediocres, rotundati. Thorax dorso obscuro, pube brevissima flavida tecto, limbo laterali & postico flavo, disco medio & posteriore punctis 12 nigris nitidis notato. Scutellum margine punctis 4 minoribus nigris ad basin setarum. Metathorax nigricans. Alæ versus apicem angustatæ, totæ albo-hyalinæ, fasciis 3 ochraceis, plerumque fusco-marginatis, 1:ma valde obliqua, acuto angulo longe ante marginem interiorem cessante, in medio vittam oblongam albo-pellucidam inter nervos longitudinales 4 & 5 & ad eorum basin includente; 2:da subperpendicularis l. paullo obliqua, nervum transversum medium perpendicularem transit, ad nervum longit. 5:tum l. paullo infra descendens, sed marginem interiorem non attingens, ad costam cum 1:ma late connexa; 3:tia introrsum lunata, fere integra, nervum transv. ordinarium sublunatum seu leniter curvatum transit, ad costam cum macula apicali saturatius fusca cohærens, relicta ad summum marginem costalem macula parva subtrigona albo-pellucida, ut in figura Löwiana bene indicatur. Oviductus feminæ dimidium abdomen longitudine vix excedit, latiusculus, planus, ferrugineus.

14. *T. cornuta:* virescenti pallide flava, opaca, antennis corniculatis pallidis; scutello pallide flavo, immaculato; thoracis disco obscuro, parce nigro-punctato; sterno nigro-maculato; abdomine flavido-grisescente quadrifariam nigro-punctato; alis fasciis tribus dilute fuscis subcurvatis, 1:ma cum 2:da, 3:tiaque cum macula apicali saturatiori ad costam aut subconnexis aut discretis, nervis transversis subperpendicularibus, modice approximatis. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin. raro $1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: antennarum articulus 2:dus superne cornu antenna tota fere duplo longiore oblique porrecto pallide flavo, supra & apice nigro-spinoso; abdominis segmentum anale longiusculum supra nigro-6-punctatum, punctis solitis 4 ad marginem basalem & 2 ad apicem nempe uno utrinque in margine inflexo;

Fem: antennarum articulus 2:dus superne cornu brevi longitudine tantum articuli, pallide flavo, supra parce nigro-spinuloso; oviductus longitudine fere abdominis, planus, ferrugineus, versus apicem attenuatus; in copula.

Var. a. ♂♀. alarum fascia 3:tia cum macula apicali ad costam connexa.

Fall. Ortal. 4. 1. ♂♀. Macq. Buff. 2. 468. 30. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 357. 186. ♂. *Scatophaga* Fabr. Antl. 209. 28. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 318. 12. ♂♀. T. 48. f. 2. (antenna maris). — Löw Monogr. 338. 16.

Var. b. ♂♀. alarum fascia 3:tia a macula apicali ad costam sejuncta. Fall. l. c. var. in descriptione.

Var. c. ♂♀. duplo l. triplo minor, alarum fascia 3:tia jam cum macula apicali connexa, jam ab ea sejuncta.

Hab. in Scandinavia meridionali & media, Jul.—Aug. vulgaris, in copula multoties deprehensa; mihi rarius in Carduo, sæpissime in Centaurea scabiosa (in cujus capitulis etiam larvæ vivunt), obvia; nempe var. a. & b. promiscue in copula junctæ, in Scania ubique frequenter & passim copiose; in Smolandia ad Anneberg & Skärsjö frequens; in Ostrogothia ad Lärketorp, Omberg, &c.; in Westrogothia ad Sparresäter (Mag. *Kinberg)*; in Gottlandia ad Nygårds, Fardume (Prof. *Wahlberg)*, Ruthe, Ahlskog, Stenkyrka, Lummelund, Malms, Kyllej &c. frequens; in Ölandia non raro; sed in provinciis Sveciæ magis borealibus frustra a me quæsita; in Norvegia cir-

ca Christianiam, D. D. *Dahlbom* & Holulan. *Moë*, minime parce; in Dania non rara, D. D. *Westermann* & *Stæeger*. (E. Germania a D. *Dahlbom*, & e Silesia (circa "Reinerz in Centaurea scabiosa lecta") a D. *Zeller* quoque communicata). Varietatem c. in Scania & Gottlandia præsertim legi.

♂♀. Per magnitudinem majorem, abdomen grisescens & in primis antennarum articuli 2:di protuberantiam corniformem spinulosam in ♂ elongatam, in ♀ brevem, ab aliis facillime & abunde dignota. Color totius corporis in viva in pallide viridem insigniter vergit, in mortua sæpe sordide albidus l. pallide flavus, præter thoracis dorsum & abdomen subcinerascentia. Oculi oblongiusculi. Thorax disco dorsali parce nigropunctatus, punctis 2 ante scutellum in fundo flavo distinctioribus. Metathorax niger, nitidus. Abdomen in mortuis l. griseum l. ferrugineo-griseum, punctis nigris in segmentis 3 ultimis quadrifariam dispositis, mediis perspicuis, lateralibus obsoletioribus. Alæ non latæ, albo-hyalinæ, fasciis 3 dilute fuscis; harum 1:ma subrecta, abbreviata, obsoleta, cum 2:da infra nervum auxiliarem subcohærente; 2:da arcuata ad nervum longit. 5:tum l. paullo infra descendente, nervum transversum medium perpendicularem transeunte; 3:tia lenissime subarcuata, fere integra, nervum transversum ordinarium subobliquum transeunte; aut libera aut cum macula apicali fusciori ad costam connexa. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem subparalleli. Spinula costæ parva. Squamæ albæ. Halteres & pedes flavi.

15. *T. marginata*: cinerea, immaculata, opaca, thoracis linea laterali pallida; capite rufescente; scutello flavido, impunctato; pedibus ferrugineis; alis fascia solitaria integra recta nervos transversos approximatos transeunte, maculis costalibus subquatuor & apicali unica, nigro-fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ort. 7. 8. ♀. typica (e museo Ejus descripta). — Macq. Buff. 2. 465. 18. ♂♀. (oviductus ♀ "flavus" dicitur, an in individuo juniore? in nostris semper niger est). — *Trypeta* Meig. 5. 322. 17. ♂♀. T. 49. f. 15. (ala). — Löw Monogr. 311. 20. ♂♀. T. 1. f. 17. ala (costa a basi ad fasciam nimis continue fusca; in nostris exemplis utriusque sexus costa lata interrupte fusca, licet maculæ fuscæ neque tam distinctæ neque tam determinatæ ac in figura Meigeni.).

Hab. in Scandinavia meridionali rara; nempe in silva ad Esperöd (in paroecia Mellby) a Detectore *Fallén* semel lecta, deinde ibidem & ad Ystad a D. Prof. *Wahlberg* Aug. 1846 frequentius capta; in Daniæ Astere Tripolium passim a D. *Stæger* inventa. (Ad Gryphiam mense Julio 1845 masculum Cel. *Dahlbom* deprehendit mecumque cummunicavit. Se ex insula Rhodo similia exempla quoque obtinuisse mihi scripsit Nobil. *Stæger*. — Secundum *Löw* larvæ præsertim in Senecionis speciebus & libenter in Senecione vulgari degunt).

♂♀. Thorace abdomineque totis cinereis immaculatis, opacis, scutello flavido, impunctato, & præcipue alis albo-hyalinis nervis transversis (medio perpendiculari, ordinario subobliquo) valde approximatis e fascia solitaria integra perpendiculari fusca tectis ut & costa fere tota interrupte fusca, ab omnibus aliis mox dignoscenda. Caput flavidum, antennis flavis, seta nuda fusca. Oculi oblongiusculi. Scutellum plus minus pallidum, setis 4 ordinariis nigris. Thorax lineola utrimque a capite ad radicem alarum pallide flava. Metathorax cinereus. Alæ albo-hyalinæ, fascia ad nervos transversos unica integra fusca. Costa quoque a basi ad fasciam fusca, sed per maculas majores minoresque albidas ita interrupta, ut tantum maculæ 3 l. 4 inæquales indeterminatæ discerni possint. Macula api-

calis quoque fusca. Intra hanc maculam & fasciam (maculæ tamen propior) adest ad costam alia macula majuscula (apicali vero minor) irregularis, subtrigona ad nervum longitudinalem 3:tium l. mox infra descendens, interdum discreta, interdum cum macula apicali leniter connexa. In speciminibus Gryphicis puncta 2 etiam sub nervo qvinto longitudinali, sed valde obsoleta, tantum rudimentaria. Nervi transversi: medius nonnihil pone apicem auxiliaris ductus, & ordinarius longe ante medium areæ ultimæ insertus. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli. Spinula costæ vix ulla. Halteres flavi. Pedes flavo-ferruginei, femoribus posticis in medio sæpe brunnescentibus. Oviductus ♀ breviusculus, niger, nitidus.

B. Abdomen totum nigrum nitidum. Nervi transversi perpendiculares (in *T. Cerasi* ordinarius subobliquus).

†. Scutellum l. totum l. ad maximam partem nigrum (in var. b. *T. Gædii* n:o 18 rufescens).

16. *T. discoidea:* nigra, nitida, capite scutellique margine rufo-ferrugineis; antennis, thoracis linea laterali pedibusque fulvo-flavis; thorace glaucescenti lineato; alis nigro-brunneis, fasciis 4 costalibus dimidiatis, sinubus totidem (penultimo geminato) marginem interiorem punctisque subduobus discoidalibus albo-hyalinis. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin.).

Musca Fabr. Ent. Syst. 4. 350 (non 320). 155., teste *D. Löw.* — *Dictya* Fabr. Antl. 326. 3. *Trypeta* Löw Monogr. 318. 21. T. 1. f. 20. (ala; figura bona), vera. — *Tephritis Lychnidis* Fall. Ortal. 14. 21. ♂♀. certissime. (exclus. syn. Fabr.). — *Trypeta* Meig. 5.

324. 21. ♀. T. 49. f. 6. (ala) — *Urophora* Macq. Buff. 2. 456, 3. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali minus frequens; mihi in graminosis & floribus Umbellatarum a medio mensis Maji ad medium Junii in Scania ad villam Abusa prope Lund, ad Silfåkra & alibi rarius obvia, ad Ringsjön, D. *Möller*; in Smolandia ad Skärsjö, Mus. D. *Ljungh* (sub nomine "*T. Lychnidis*"); in Dania quoque inventa fuerit. (E. Pommerania, ubi circa Gryphiam a D. *Dahlbom* lecta, mihi quoque communicata).

♂♀. Per magnitudinem majusculam, thoracis lineam lateralem flavam, scutelli tantum marginem obscure ferrugineum, ut & alarum fascias costales 4 inchoantes, sinus marginis interioris 4, quorum penultimum geminum, punctaque discoidalia 2 l. 3 albo-pellucida, ab aliis dignota. Caput plus minus rufescens, fronte subprominente plerumque saturatiore; epistomate paullo declivi. Oculi non magni, rotundati. Antennæ subobliquæ, rufo-flavæ, seta nudiuscula, fusca. Thorax niger, nitidus, vitta laterali flava, antice attenuata, versus radicem alarum latiore; dorso cinerascens, subopacus, lineolis 3 angustis nigris nitidis. Thorax vero in senioribus supra sæpe detritus & tunc disco toto niger. Scutelli margo saltem lateralis saturate ferrugineus. Abdomen oblongum nigrum nitidum, oviductu ♀ vix longitudine dimidii abdominis, nigro l. piceo, apice attenuato. Alæ brunneo-nigræ. Ad costam paullo pone basin maculæ 2 quadratæ & mox pone apicem nervi auxiliaris 2 aliæ oblongæ, perpendiculares, fere ad nervum longitud. 3:tium descendentes fascias inchoantes; albæ. In margine interiore etiam sinus 4 sat profundi, albi, quorum ultimus (ad apicem alæ) longior & angustior, & penultimus reliquis latior per maculam parvam plerumque liberam, fuscam in duos divisus. Præterea adsunt puncta alba 6 l. 7, nempe circiter 4 ad basin, 2 in disco (unum ante, alterum pone nervum transversum medium) & plerumque adhuc unum jucta apicem in interstitio

nervorum longit. 2 & 3. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem nonnihil divergentes, transversus ordinarius sat longe ante medium areæ ultimæ insertus. Spinula costæ nulla. Squamæ minutæ, sordide albidæ l. fuscæ. Halteres pedesque rufo-flavi. — Femina mare plerumque major.

17. *T. Centaureæ:* nigra, nitida, capite pedibusque flavo-ferrugineis; thorace glaucescenti lineato; pleuris rufo-piceis; alis nigro-brunneis, fasciis 2 costalibus dimidiatis sinubusque 3 ad marginem interiorem albo-hyalinis. ♂♀. (Long. 2—2½ vix 3 lin.).

Fabr. Antl. 322. 28 forte. (Cfr. *T. Onopordinis var b.* p. 2178. n:o 8.). — *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 324. 20. T. 49. f. 8. (ala). Löw Monogr. 346. 22. (ala). — *Urophora* Macq. Buff. 2. 455. 2. ♂♀.

Hab. . . . Specimen ut Scaniæ incola in collectione mea adest; mihi vero hæc species in Scandinavia nunquam obvia. (In Pommerania ad Gryphiam & in insula Rugia ad Putbus in utroque sexu etiam copula juncto mensibus Majo & Junio a D. *Dahlbom* capta. Quoque e Gallia meridionali per D. *von Winthem* sub eodem nomine communicata).

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed antennis apice acutioribus, nec obtusis, scutello nigro, nec margine rufescente, pleuris obscure ferrugineis l. rufo-piceis, linea thoracis laterali flava deficiente, alarum fasciis costalibus albis tantum 2, nec 4, sinubus albis ad marginem interiorem tantum 3, nec 4, ut & punctis discoidalibus albis plerumque nullis, abunde dignota. — Abdomen oblongum, ad latera & apice pilosum, oviductu ♀ brevi nigro. Alæ nigro-brunneæ, fasciis costalibus albis 2 abbreviatis, una paullo ante, & altera mox pone apicem nervi auxiliaris; harum 1:ma per nervos interrupta. In margine interiore sinus tres albi sat profundi, horum 1:mus seu

basalis latus, cujus medio intrat e nigredine alæ angulus parvus acutus; 2:dus exsurgit inter nervos transversos fere ad nervum longit. 3:tium; & 3:tius paullo angustior fere ad nervum longit. 2:dum adscendit. In interstitio nervorum longit. 4 & 5 mox ante transversum ordinarium interdum etiam adest macula rotundata alba ut in figuris Meigeniana & Löwiana, & hæc varietas *T. Onopordinis* (8) quoad picturam alarum prope accedit, colore corporis recedens. Nervi: transversi modice remoti, longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli. Reliqua ut in præcedente.

Obs. In omnibus meis speciminibus Pommeranicis alarum punctum discoidale album omnino deest; de ejusmodi varietate etiam narrat Cel. Prof. *Löw* l. c.; in exemplis vero Gallicis, quæ præterea capite pallidiore, epistomate minus declivi & antennis apice vix acutis discrepant, punctum majusculum album in disco alæ adest. Sine dubio hæc e diversis plagis collecta ut species diversæ consideranda, licet de cetero congruant.

Obs. Tephritis Centaureæ Fall. alia est species ad *T. Lychnidis* (20) pertinens.

18. *T. Gaedii:* obscure cinerea, opaca, scutello concolore; abdomine nigro, nitente; capite pedibusque flavo-ferrugineis; pleuris subferrugineis; alis hyalinis, basi macula magna erosa nigra, apice quadri-radiata, nervo transverso ordinario valde obliquo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. scutello obscure cinereo, subtus piceo.

Trypeta Gaedii Meig. Dipl. 6. (Hammonæ anno 1830). p. 382. 64. ♂. vera. — *Trypeta antica* Loew Monogr. 327. 10. T. 1. f. 8. (ala; figura bona).

Var. b. ♀. scutello rufescente l. ferrugineo, (forte juvenilis).

Trypeta antica Wied. Zweifl. 2. (Hammonæ a. 1830) p. 511. 57? (volente D. *Löwio*) ♀. — *Tephritis*

Zetterstedti Boheman in litteris (*). — Zett. Ins. Lapp. 746. 9. ♀.

Hab. in Scandinavia valde rara, hactenus in Norwegia tantum deprehensa; scilicet var. a. circa Christianiam a D. Hortulano *Moë* 1844 lecta mecumque communicata; var. vero b. ad Waage die 3 Aug. 1832 a D. Prof. *Boheman* rarissime capta. (Ad Hamburgum a D. v. *Winthem* lecta).

♂♀. Per alarum signaturam singularem & nervi transversi ordinarii flexionem insigniter obliquam ab aliis primo obtutu dignota. Caput rufo-flavum, epistomate perpendiculari leviter albo-micante. Frons minime prominens; setulosa. Antennæ deflexæ, apice obtuse rotundatæ, seta nudiuscula fusca. Oculi majusculi, oblongi. Thorax supra obscure cinereus, subopacus, pleuris rufescentibus l. piceo-ferrugineis, nitidis. Scutellum ut in diagnosi. Metathorax ater, nitidissimus. Abdomen nigrum, subnitidum, incisuris præsertim in ♀ tenuiter & obsolete cinereo-micantibus. Oviductus feminæ brevis, niger. Alæ pure hyalinæ. A basi ad nervum transversum medium adest macula inæqualis nigra, quæ a costa (quam totam occupat) ad medium fere alæ extenditur, per maculas 2 subquadratas ad costam, & unicam subtrigonam inferne minores albas quasi erosa. Ex apice hujus maculæ nigræ excurrunt fasciolæ 2 perpendiculares nigræ lineam quasi unam angustam perpendicularem a costa ad marginem interiorem extensam & nervum transversum medium transeuntem formantes. Pone has signaturas in parte reliqua apicali hyalina ornatur ala ex arcu angusto ni-

---

*) hoc probe observatum velim, ne quis, ex observatione Cel. *Löwii*, qui l. c. ut etiam p. 435 citationem Bohemannianam, licet in Insectis Lapponicis alligatam, omnino omisit, seductus credat, me ipsum insecto a Cel. Inventore (*Boheman*) misso & determinato mihique antea ignoto nomen meum proprium imposuisse.

gro, qui angulo obtuso subinterrupto maculæ majoris basalis apicem fere tangit & ramulo inferiore recto nervum transversum ordinarium transiens ad marginem interiorem descendit, atque ramulo superiore curvato ad costam adscendit eamque deinde usque ad summum apicem alæ sequitur. Per has vero lineas tenues formantur quasi radii 4 nigri inæqualiter longi, ex apice maculæ basalis excurrentes. (Cfr. figura Löwiana ubi pictura bene delineata). Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem paullo divergentes, nec ut in figura Löwiana paralleli. Halteres flavi. Pedes testacei, femoribus posticis sæpe in medio late infuscatis.

Obs. Quare species hæc corpore obscuro prædita, in subdivisione: "a) corpore flavescente l. virescente" a Cel. *Löw* reposita fuerit, nullam video rationem. — Synonymon Wiedemanni: *T. antica*, ob "scutellum rufescens", locum natalem alium, magnitudinem minorem &c., mihi incertum videtur.

19. *T. rotundiventris:* nigra, nitida, capite pedibusque flavis; pleuris ferrugineis; alis brunneis, maculis costalibus subqvinis, harum 2 ultimis trigonis, sinubus ad marginem interiorem tribus, 1:mo lato, subgemino, 3:tio profundo, punctoque disci ante nervum transversum ordinarium, albis; nervis transversis valde approximatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ortal. 16. 27. ♂♀. typica. — *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 325. 22. T. 49. f 7. (ala). — Löw Monogr. 351. 26. T. 1. f. 24. (ala). — *Urophora* Macq. Buff. 2. 456. 4. ♂♀. T. 19. f. 16 (ala; in fig. nimis acuta & nervi transversi nimis remoti).

Hab. in foliis fruticum & graminosis locis umbrosis, per hortos & prata præsertim Sveciæ meridionalis, a fine Junii usque ad medium Augusti mihi obvia, rarius; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby, a D. *Fallèn*, & ad Esperöd in paroecia Tranås in utroque

sexu a me lecta; in Smolandia minus frequens, D. *Ljungh*; in insula Ölandia individuum femineum semel quoque inveni; in insula Wermdön prope Holmiam, D. *Boheman* semel.

♂♀. Minor. Per corpus nigrum nitidum, pedes totos flavos, pleuras ferrugineas, abdomen rotundatum, alarum brunnedinem lyratam &c., ab aliis copiose dignota. — Frons mediocriter lata, fulvo-flava. Antennæ flavæ, apice interdum obscuræ; seta longiuscula, nuda, fusca. Epistoma flavum, albo-micans. Oculi majusculi. Thorax disco dorsali nigro. Pleuræ ferrugineæ, macula sterni nigra. Scutellum & metathorax nigra. Abdomen suborbiculare, nigrum, ima basi flavida. Oviductus ♀ brevis, niger. Alæ extrorsum dilatatæ, apice rotundatæ, totæ nigro-brunneæ, costa maculis 5 albis, quarum 1—3 basales parvæ subquadratæ, 4 & 5 majores, æqvales, trigonæ, harum ultima nervo transv. medio opposita. In margine interiore sinus tres albi, quorum 1:mus ad basin latus subgeminus, 2:dus minor trigonus, 3:tius major, etiam trigonus, paullo profundior, mox pone nervum transv. ordinarium locatus. Præterea in interstitio nervorum longit. 4 & 5 cito ante nervum transv. ordinarium adest etiam punctum solitarium album. Fuscedo autem lyrata maculam apicalem maximam latam format. Nervi: transversi eximie approximati; 3 & 4 longitudinales versus apicem lenissime divergentes. Squamæ minutæ. Halteres pallidi. Pedes toti flavi.

Obs. In museo Falleniano exstat præter alias *Tephrites* exoticas denominatas insignior indeterminata cum hoc tantum indicio: "*Tephritis sp. ign.* ♀. *a. Latr. missa*". Hanc vero speciem comparatam cum Auctorum recentiorum descriptionibus, *Trypetam rotundiventrem* var. Meig. Dipt. 5. 325. 22., *Urophoram femoralem* Macq. Buff. 2. 458. 12. ♀. & *Trypetam femoralem* Löw Monogr. 350. 25. T. 1. f. 23 (ala), esse, luculenter apparet. A *Tephrite* tamen *rotundiventre*, cui colores, magnitudine, habitu & alarum signaturis proxime accedit, pleuris nigris, nec ferrugineis, femoribus nigris, nec pedibus

totis flavis, alis nigro-brunneis basi tota oblique alba, maculis costalibus albis tantum in medio binis, sinubus marginis interioris albo-pellucidis tribus simplicibus subæque profundis, punctis rotundis albis in disco longitudinaliter positis tribus, nec unico, ut & oviductu ♀ multo longiore (longitudine fere abdominis), satis superque differt. Nec in Scandinavia hactenus visa.

††. Scutellum l. totum l. ad maximam partem flavum aut rufum. *(T. Gædii* var. b. scutello rufescente in Sudivisione † sub n:o 18 pag. 2195 quærenda).

20. *T. Lychnidis:* nigra, subnitida, capite, scutello pedibusque rufo-flavis; pleuris ferrugineis; alis brunneis, fasciis costalibus tribus abbreviatis, ultima longiori, sinubusque ad marginem interiorem tribus, 1:mo lato subgemino, ultimo parvo obsoleto, albo-hyalinis; nervis transversis modice approximatis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—2 lin.).

Fabr. Antl. 322. 26. (affirmante D. *Löwio).* — *Musca* Fabr. Ent. Syst. 360. 197. *Trypeta* Löw Monogr. 347. 23. T. 1. f. 22. (ala; figura optima). — *Tephr. Centaureæ* Fall. Ortal. 16. 26. ♂♀. certe (exclus. syn. Fabric.). — *Trypeta discoidea* Meig. Dipt. 5. 323. 19. (exclus. syn. Fabr.) T. 49. f. 14. (ala; figura non contemnenda). — *Urophora discoidea* Macq. Buff. 2. 455. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, per hortos & prata silvatica, Scandinaviæ meridionalis frequenter, mediæ rarius, Julio & Aug. præsertim obvia, in copula etiam aliquoties capta; scilicet in Scania ad Abusa, Fogelsång (prope Lund), utrumque Esperöd (in paroeciis Tranås & Mellby), & aliis locis, non parce; in Ostrogothia prope Wad-

stena in insula Sandön (Tiliis sata) a me lecta; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*, sed supra has provincias hactenus non observata; in Dania certis annis sat frequens, D. *Stæger*, qui mihi plura specimina ex utroque sexu communicavit.

♂♀. Qvoad alarum picturam *T. Onopordinis* (8) & *Centaureæ* (17) affinis & proxima, sed macula l. punctum album in interstitio nervorum long. 4 & 5 ante nervum transversum ordinarium omnino deest. Caput cum antennis & oculis ut in priori constructum & coloratum. Seta antennarum subpuberula. Thorax ferrugineus, disco dorsali nigricante l. nigro-piceo. Scutellum ferrugineum l. flavum, macula basali plerumque fusca. Metathorax & abdomen nigra, nitida. Oviductus feminæ brevis, longitudine circiter segmenti ultimi, ferrugineus l. piceus. Alæ albæ, fasciis latis continuis brunneis; vel si mavis, brunneæ, fasciis 3 costalibus albis, quarum 1:ma basalis, lata, parum profunda; 2:da mox pone apicem nervi auxiliaris, subtrigona ad nervum long. 3:tium descendit; 3:tia statim pone 2:dam, oblonga plerumque ad nervum long. 5:tum extenditur. In margine interiore etiam sinus tres albi, quorum 1:mus basalis, latus, basi geminus; 2:dus mox pone nervum transversum ordinarium trigonus ad nervum long. 3:tium adscendit; 3:tius juxta apicem minimus oblongus angustus, interdum fere evanescens, relicta tantum macula parva alba. Nervus transversus ordinarius subobliquus distincte ante medium areæ insertus. Nervi longitudinales 3 & 4 lenissime versus apicem divergentes. Spinula costæ nulla. Halteres & pedes flavi. — Mares feminis plerumque minores.

Obs. In horto botanico Academiæ Lundensis specimen femineum hujus die 6 Jun. semel etiam inveni.

21. *T. Cardui:* nigra, subnitida, capite, tibiis tarsisque ferrugineo-flavis; thoracis linea laterali scutello-

que pallidis; alis albis, fascia serpentina, brunnea; nervis transversis modice remotis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Fabr. Antl. 321. 21. *Musca* Linn. Fn. Sv. 461. 1876. De Geer Ins. 6. 49. 18. Reaum. Ins. (Amstelodami 1738). Tom. 3. p. 234 & 328. tab. 45. fig. 12—14. ♀. (figuræ bene repræsentant alarum picturam nigram.). — Rossi Fn. Etr. p. 482. 1537. *Trypeta* Meig. Dipt. 5.326. 23. T. 49. f. 9. (ala). Löw Monogr. 352. 27. *Urophora* Macq. Buff. 2. 456. 6. ♂♀. T. 19. f. 15. ♀.

Hab. in Carduis per Scandinaviam mense Julio rarissime; in Svecia, *Linnè;* in Dania in utroque sexu a D. *Stæger* inventa. (Ex Hamburgo specimina utriusque sexus etiam a D. *v. Winthem* missa).

♂♀. *Tephr. Lychnidis* & *Onopordinis* proxima, sed per picturam alarum simpliciorem litteram ∽ jacentem l. ʍ obversam fere repræsentantem facile dignota. Caput flavum, epistomate albo-micante, fronte fulvescente. Antennæ deflexæ flavæ, seta nuda, fusca. Oculi non magni. Thorax niger, nitidus, dorso obscure cinereo, subopaco, linea laterali pallide flava l. citrina. Scutellum pallide flavum, basi utrinque puncto nigro. Abdomen nigrum nitidum, oviductu longiusculo, conico, toto nigro nec (ut a *Linnè* describitur) apice albo. Alæ albæ, fasciis subquatuor latiusculis continuis nigro-brunneis; 1:ma scilicet ad basin non usque in marginem interiorem descendens, ad costam cum 2:da connexa; 2:da nervum transvers. medium transit cum 3:tia ad marginem interiorem cohærens; 3:tia nervum transv. ordinarium transit cum macula apicali (quæ 4:tam constituit fasciam) ad costam iterum connexa; hinc ad costam in medio unica fascia, & ad marginem interiorem sinus 2 lati, alba exstant. Alæ basi ante fasciam 1:mam flavicantes. Nervi: transversi perpendiculares; longitudinales 3 & 4 versus apicem lenissime convergentes. Halteres flavi.

Pedes ferrugineo-flavi, trochanteribus & femoribus fere ad apicem nigris.

Obs. *Linnè* l. c. hujus speciei "corpus fulvum" & "totam subtus obsolete flavam" descripsit, quod quidem cum nostra, corpore nigro prædita, non quadrat. Sed per descriptionem alarum picturæ insignioris simul datam, & synonymon Reaumuri alligatum, omne dubium tollitur, Præcl. Virum per suam *Muscam Cardui* idem insectum respexisse.

22. *T. stylata:* cinerea, opaca, capite pedibusque flavis, thoracis linea laterali scutelloque pallidis; abdomine nigro, nitido; alis albidis, fasciis duabus nervos transversos transeuntibus fuscis, 1:ma obliqua abbreviata ad nervum longitudinalem 4:tum descendente, 2:da subrecta, subintegra cum macula apicali fusca connexa. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Musca Fabr. Ent. Syst. 4. 353. 168. *Dacus* (nec *Tephritis*, ut ait Löw) *stylatus* Fabr. Antl. 275. 13. *Trypeta stylata* Meig. Dipt. 5. 327. 24. T. 49. f. 12. (ala). — Löw Monogr. 353. 28. T. 1. f. 21. (ala). — *Urophora* Macq. Buff. 2. 457. 7. ♂♀. — *Musca Jacobeæ* Panz. Fn. 97. 22. (nec 24, ut *Meigen & Löw* citaverunt). ♂. — *Tephritis Jacobeæ* Fall. Ortal. 6. 6. ♂♀.

Hab. in floribus Cardui lanceolati & Acanthoides (etiam in Linaria vulgari mihi obvia, sed forte errabunda), per arva, agros, campos, prata & ad vias Scandinaviæ meridionalis & mediæ mense Julio vulgaris, in copula multoties deprehensa; scilicet per Scaniam totam ubique frequens & sæpe copiose; in Smolandia ad Skärsjö &c. minime rara, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp &c., non parce; in Westrogothia, D. *Dalman;* in Ölandia ad Gärdslösa (jam 25 Jun. capta);

in Gottlandia ad Östergarn, Kyllej, Fardhem, Gothem &c., frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. D. *Haeffner & Wahlberg*; sed supra hanc provinciam a me non observata; in Norwegia usque ad Alstahaug, Levanger & Thynæs, haud rara; in Dania passim abundans, D. *Staeger*. (Ex Helsingforsia Finlandiæ a D. Doct. *W. Nylander*, & e Gryphia a D. *Dahlbom* communicata).

♂♀. Per fasciarum duarum fuscarum in alis 1:mam brevem, dimidiatam, obliqvam ante apicem nervi auxiliaris sitam, ad costam dilatatam ibique saturatius coloratam, a proxime sequentibus sat affinibus (ut recte admonuit oculatissimus *Meigen*) præcipue dignota. Caput albidum, fronte lata, fulvo-flava, vertice sæpe dilute cinereo. Antennæ flavæ, seta nuda. Oculi minusculi, rotundati. Thorax dorso cinereus, opacus, linea utrinque flavo-alba. Pleuræ nigricantes, nitidæ. Scutellum flavo-album, basi utrinque puncto nigro. Metathorax niger nitidus. Abdomen oblongum, nigrum, nitidum, oviductu feminæ longitudine saltem abdominis l. fere longiore, anguste conico, concolore. Alæ late lanceolatæ, albæ, fasciis 2 brunneis l. fuscis. Harum 1:ma mox ante apicem nervi auxiliaris per maculam majusculam saturatiorem incipit, ad nervum transv. medium, quem transit, oblique & anguste ducitur, ad nervum longit. 4:tum continuata; 2:da subperpendicularis, plerumque integra & cum macula apicali, quæ latitudine fasciæ gaudet, fusca ad costam confluit. Nervi: longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli; transversi modice remoti, horum ordinarius mox ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longitudinalis ultimum longitudine paullo tantum superat 2:dum. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes toti flavi, ungvibus fuscis.

Obs. Quoad colorem corporis & partium satis constans, quoad vero picturam alarum paullo ludens hæc species. Sequentes insigniores varietates, quæ simul habitantes & in copula promiscue junctæ sæpe deprehensæ fuerunt, observavi:

Var. a. ♂♀. alarum fasciis fuscis non interruptis; vulgaris.

Var. b. ♂♀. alarum fascia 1:ma interrupta, e maculis 2 l. 3 conflata, quarum costali semper majori, obscuriori; frequens. Hæc est Fabricii genuina.

Var. c. ♂. alarum fascia 1:ma non interrupta, 2:da aut prope costam aut prope marginem interiorem interrupta; rarior: in Scania ad Lund & in Ölandia aliquoties lecta.

Var. d. ♂♀. alarum fascia 1:ma fere ad marginem interiorem continuata; infra nervum transversum medium tamen plerumque tantum in maculis 1 l. 2 observanda; ubique frequens. (Caveas ne hanc cum specie sequente confundas).

Var. e. ♂♀. alarum fascia 1:ma ut in var. a. & b., sed 2:da discreta, nec cum macula apicali ad costam confluente; parce in Scania mihi obvia.

23. *T. solstitialis:* cinerea, opaca, capite pedibusque flavis; thoracis linea laterali scutelloque pallidis; abdomine nigro, nitido; alis albidis, fasciis tribus fuscis, 1:ma abbreviata, obsoleta a 2:da late remota, 2:da & 3:tia nervos transversos transeuntibus, subperpendicularibus integris, 3:tia cum macula apicali fusca connexa. ♂♀. (Long. 1—2 lin.).

Fall. Ortal. 6. 5. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 461. 1879. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 329. 27. T. 49. f. 10 (ala; figura non bona). — Löw Monogr. 355. 29. T. 1. f. 26 (ala; figura melior). — *Urophora* Macq. Buff. 2. 457. 9. ♂♀. — *Musca Dauci* Fabr. Ent. Syst. 4. 358. 187. *Dacus* Fabr. Antl. 277. 22. *Dacus hastatus* Fabr. Antl. 276. 15. *Trypeta cuspidata* Meig. Dipt. 5. 328. 25. ♀. var. T. 49. f. 5. — *Urophora* Macq. Buff. 2. 457. 8. ♂. *Trypeta pugionata* Meig. Dipt. 5. 330. 28. ♂♀. T. 49. f. 11 (ala).

Hab. in Carduis variis per hortos, prata & agros Scandinaviæ meridionalis & mediæ Jun. Jul., passim abundanter, in copula frequenter capta; mihi in capitulis Cardui Acanthoides in primis obvia; nempe per Scaniam totam ubique vulgaris; in Smolandia ad Skärsjö &c., non rara; in Gottlandia ad Gothem, Stenkyrka, Lummelund, Ruthe, Ahlskog, Wamlingbo, &c., frequens; in Ölandia passim; in Ostrogothia ad Omberg, D. *Dahlbom*, & ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Dania frequens, D. *Stæger*. (Ex Hamburgo & Lübeca mihi quoque a D. *Dahlbom* communicata).

♂♀. Valde similis & affinis priori & imprimis ejus varietati d. proxima; sed fasciis alarum fuscis tribus (nec duabus), omnibus subperpendicularibus, eaque, quæ nervum transv. medium transit, integra, nec dimidiata, &c., certe differt. A sequente, cui etiam similis, magnitudine plerumque majore, fasciis alarum 1:ma & 2:da ad costam latius remotis, &c., satis dignota. — Magnitudine eximie variat. Caput cum antennis & oculis, thorax, scutellum, abdomen & pedes ut in præcedente constructa & colorata. Alæ albidæ, fasciis 3 fuscis, rectis. Harum 1:ma a costa vix ad dimidietatem alæ descendit, nervos transversos basales transiens, interdum subobsoleta; 2:da a 1:ma sat longe remota, a summo apice nervi auxiliaris incipit & ad marginem interiorem descendit, nervum transv. medium transiens; fasciæ vero hæ (1:ma & 2:da) revera seperatæ ad costam tamen per fuscedinem flavidam quasi connectuntur; 3:tia a 2:da modice distans, etiam integra, ad costam cum macula apicali plerumque confluit. Præterea nervi longitudinales 3 & 4, & nervi transversi ut in priori directi. Halteres pallidi. Pedes sæpius toti flavi. Ratione alarum pedumque picturæ sequentes aberrationes mihi obviæ, in copula jam ut mares, jam ut feminæ promiscue captæ:

Var. a. ♂♀. alarum fasciis 2 & 3 integris, harum 3:tia cum

macula apicali connexa; pedibus jam totis flavis, jam femoribus anticis supra linea plus minus abbreviata nigra; vulgaris.

Var. b. ♂♀. alarum fasciis (ut in var. a.) 2 & 3 integris, sed ambabus liberis, nec 3:tia cum macula apicali connexa; pedibus ut in var. a. vel totis flavis, vel femoribus anticis supra linea plus minus abbreviata nigra; frequens præsertim in Svecia meridionali.

Var. c. ♂♀. alarum fasciis 2 & 3 varie interruptis, plerumque tantum remanentibus in maculis tribus, quarum una ad costam, altera intermedia & tertia ad marginem interiorem magis perspicuis; fascia 2:da interdum interrupta, & 3:tia integra; fascia 3:tia in hac varietate plerumque discreta, rarius cum macula apicali connexa; pedibus ut in varietatibus a. & b. variantibus. Hab. cum var. a. & b. frequens; etiam ex Hamburgo missa.

Obs. Varietas Löwiana: alis subimmaculatis seu fasciis obsoletis, in Scandinavia hactenus non inventa fuerit, quantum noverim. — Meigeni *Trypetam cuspidatam*, *solstitialem* & *pugionatam* tantum ut varietates parum descrepantes unius ejusdemque speciei consideravi, præeunte Cel. *Löwio.* — *Tephr. solstitialis* Panz. Fn. 103. 22 diversissima est species, ad *Tephr. Arctii* n:o 10 pertinens. — Specimen masculum minutum (vix 1 lin. long.) ad Gryphiam Jul. 1845 D. *Dahlbom* mihi communicavit, varietati a. nostræ simillimum præter punctum majusculum album ad costam alarum in ipsa connectione fasciæ 3:tiæ & maculæ apicalis.

24. *T. aprica:* obscure cinerea, subopaca, capite pedibusque flavis, femoribus nigricantibus; thoracis linea laterali scutelloque pallidis; abdomine nigro, nitido; alis albidis, fasciis tribus latiusculis fuscis, 1:ma abbreviata cum 2:da ad costam subconnexa, 2:da & 3:tia nervos transversos transeuntibus, subperpendicularibus, integris, 3:tia cum macula apicali fusca confluente. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Fall. Ortal. 7. 7. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 329. 26. ♀. Löw Monogr. 359. 30. *Musca solstitialis* Fabr. Ent. Syst. 4. 359. 195 (exclus. synon.) — *Tephritis solstitialis* Fabr. Antl. 321. 25.

Hab. in graminosis locis aridis apricis mensibus præsertim Aug. Sept. (in Jun. & Julio quoque rarius visa), per Scandinaviam meridionalem & mediam, passim, nullibi copiose; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Björnstorp (D. *Dahlbom)*, Esperöd & Raflunda (in litore maris); in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ölandia non frequens; in Gottlandia ad Kjellunge &c., rarius; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Lärketorp, ipse; sed longius versus septentrionem procedentem non observavi.

♂♀. In hoc genere minuta, magnitudine vix varians. Alarum fasciis fuscis latiusculis determinatis, 1:ma cum 2:da antice fere cohærente, ut & femoribus ad maximam partem nigris, ab affinibus præcipue dignoscitur. Caput albidum, fronte latiuscula, antennis palpisque fulvo-flavis. Oculi minusculi, rotundati. Thorax dorso obscure cinereus, haud nitidus, linea utrinque flavo-albida. Pleuræ nigræ, nitidæ. Scutellum pallide flavum. Metathorax & abdomen nigra, nitida, oviductu ♀ longitudine abdominis, nigro. Alæ albæ, fasciis fuscis. Harum 1:ma seu basalis lata ad marginem interiorem non descendens, ad costam cum 2:da non exacte connexa, sed ei sat approximata, relicto interstitio angusto plerumque flavido; 2:da & 3:tia latiusculæ, integræ, subrectæ, nervos transversos transeuntes, harum 3:tia ad costam cum macula apicali fusca sat late confluit. Nervi longitudinales & transversi ut in priori directi. Halteres & pedes flavi, coxis, & femoribus in medio late, nigris. Coxæ anticæ saltem latere antico flavescentes. — Alæ paullo albidiores, & fasciæ paullo obscuriores quam in *T. solstitiali.*

Var. b. ♂. fascia alarum 2:da & 3:tia in medio (per interstitium nervorum longit. 3 & 4 infuscatum) connexis. In Carduo lanceolato ad Lärketorp Ostrogothiæ 8 Sept. semel lecta.

Var. c. ♂. vix 1 lin. long., similis var. a. sed præter magnitudinem paullo minorem differt etiam thoracis dorso nigriore (an detrito), & fascia 1:ma & 2:da ad costam magis confluentibus; vix vero *Trypet. 4-fasciata* Meig., nam coxæ anticæ (qvantum in specimine minuto & sicco videre licuerit) flavescentes, nec ut in *4-fasciata* nigræ. In Gottlandia 1819 unicum individuum inveni.

25. *T. Cerasi:* nigra, nitida, capite, thoracis linea laterali, scutello, tibiis tarsisque flavis; alis albidis, fasciis tribus latiusculis, nervos transversos transeuntibus fuscis, 1:ma dimidiata, 2:da fere ad marginem interiorem extensa, 3:tia integra cum macula apicali fusca connexa; striga costali parva fusca inter fascias 2 & 3. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Musca Linn. Fn. Sv. 461. 1878. (diagnos.; exclusa descriptione, quæ ad *Ortalem Cerasi* p. 2157 n:o 5 pertinet). — *Trypeta signata* Meig. Dipt. 5. 332. 30. ♂♀. T. 49. f. 4. certe. — *Urophora signata* Macq. Buff. 2. 458. 11. ♂♀.

Habitant larvæ in nucleis Cerasorum; imagines in Lonicera Xylosteum & tatarica, & Corno sangvinea mihi imprimis obvia, per Sveciam meridionalem & præsertim mediam mense Julio, passim, in copula etiam haud raro capta; scilicet in Scania ad Fogelsång rarissime; in Ostrogothia ad Godegård, & in prato sylvatico Krogar-ängen prope Wadstena semel copiose; in Westrogothia in monte Halleberg, *Gyllenhal;* in Ölandia in colle derupto monticuloso fruticibus sato infra arcem Borgholm sat frequens; in Gottlandia ad Gothem & Lummelund (2

Aug.); in Uplandia ad Holmiam in Rosa alba, D. Prof. *Wahlberg*, circa Upsaliam, D. *Marklin.* (E. St. Sever Galliæ imagines utriusque sexus cum pupis nudis cylindricis pallide flavis a nobil. D. *Leon-Dufour* sub synonymia allata etiam obtinui).

♂♀. Minor. Thoracis disco dorsali nigro, nitente, femoribus fere totis nigris, & præcipue striga alarum costali parva fusca inter fascias 2 & 3, a proxime præcedentibus facillime dignoscenda. — Frons modice lata & antennæ fulvo-flavæ. Oculi mediocres, oblongiusculi. Thorax niger, nitidus, linea laterali & scutello pallide flavis, hoc basi puncto nigro. Metathorax & abdomen nigra, nitida, oviductu ♀ brevissimo, concolore. Alæ latiusculæ, albidæ, apice rotundatæ. Signaturæ omnes nigro-brunneæ. Fasciæ 3; harum 1:ma s. basalis dimidiata, sæpe subobsoleta; 2:da lata, subperpendicularis, libera, ad costam intra apicem nervi auxiliaris incipit & nervum transversum medium transit, paullo infra nervum longit. 5:tum descendens, sed non ad marginem extensa; 3:tia subobliqua, integra, ad costam, (ubi striga breviuscula, angusta libera interjacet), paullo longius quam ad marginem interiorem a 2:da distans, nervum transv. ordinarium subobliquum transit & ad costam cum macula apicali sat late confluit. Nervi: longitudinales 3 & 4 lenissime subflexi, paralleli; transversi modice remoti. Halteres pallidi. Femora cum coxis nigra, geniculis summis, tibiis tarsisque flavis. — In individuis bene conservatis thorax dorso levissime subcinereo-micat.

Var. b. ♂. similis var. a., sed incisuræ abdominis tenuiter flavæ. Striga costalis parva fusca inter fascias alarum 2 & 3, quæ in varieta a. libera est, in var. b. cum fascia 3:tia apice sæpe confluit. Huc forte spectat varietas a *Meigen* l. c. allata. — Ad Wadstena cum varietate a. tria exempla mascula collegit D. *Dahlbom.*

Tribus 2:da: alis maculatis (nec fasciatis, nec reticulatis).

26. *T. Florescentiæ:* thorace supra cinereo, opaco, pleuris flavo-albis, vittis 2 obscuris; capite pedibusque ferrugineo-flavis; scutello pallido; abdomine quadrifariam nigro-punctato; alis cinereo-albidis, maculis costalibus 3 subquadratis, nervoque transverso late, nigro-fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis segmento ultimo longitudine duorum l. fere trium antecedentium simul sumtorum; alarum puncto majusculo rotundato fusco, anastomosin nervi transversi ordinarii cum nervo longitudinali 5:to ambiente; vittis pleurarum plerumque nigro-brunneis;

Fem: oviductu dimidiam abdominis longitudinem paullo superante, plano, ferrugineo, basi (macula gemina) & apice truncato nigricante; alarum nervo transverso ordinario late infuscato; vittis pleurarum dilute brunneis; in copula.

Fall. Ortal. 7. 9. ♂♀. Macq. Buff. 2. 468. 29. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1880. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 321. 16. ♂♀. T. 48. f. 28 (numero 25 ad 28 correcto; ala). — Löw Monogr. 338. 17. T. 1. f. 15 (ala feminæ). — *Musca ruficauda* Fabr. Ent. Syst. 4. 353. 169. ♀. *Dacus ruficaudus* Fabr. Antl. 276. 17. ♀. *Tephritis punctata* Fall. Monogr. Tephrit. Act. Holm. 1814. p. 167. 12. ♂♀.

Hab. in Carduis variis per Scandinaviam meridionalem & mediam, mense Julio, passim frequens, in copula deprehensa; mihi in Carduo palustri, arvensi & crispo præsertim obvia, ova in capitulis depositura; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge *(Dahlbom)*, Skarhult, Lindholmen (ubi in Carduo (Serratula) arvensi 8—10 Jul. 1839 copiosissime inveni), utrumque Esperöd, Gylleboda &c. vulgaris; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in

in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)*, in Wadstena, Medevid, &c., passim; in Ölandia rarius; in Gottlandia ad Nähr, Malms, Kyllej, Burgsviken, Fardhem, &c., non parce; in Dania, D. *Stæger*.

♂♀. Alarum maculis tribus costalibus & una prope marginem interiorem nigricantibus pectoreque obscure bivittato, ab aliis mox dignoscitur. — Frons latiuscula, flava. Antennæ latiusculæ, fulvo-flavæ, apice rotundatæ, seta nuda fusca, basi flavida. Epistoma breve, flavum, albo-micans. Palpi exserti, fulvo-flavi. Oculi mediocres l. majusculi, rotundati. Thorax dorso cinereus, opacus, in illæsis pubescentia brevissima albida nitente vestitus, puncto ante scutellum flavo. Limbus lateralis niger (♂), l. brunneus (♀), sub quo linea l. vitta albicante. Sub hac vitta iterum alia nigra (♂) l. brunnea (♀). Pleuræ ferrugineo-flavæ, sterno utrinque macula nigra. Scutellum flavum, puncto basali utrinque nigro. Metathorax cinereus. Abdomen sordide flavum l. luteum, subnitens, pubescentia ut in thorace vestitum, sed parciori; quadrifariam nigro-punctatum, punctis raro subconfluentibus. Alæ cinereo-albidæ, ad marginem interiorem vestigio macularum fuscarum, omnium obsoletissimarum, & ad costam (inter maculas 3 majores nigricantes) maculis minoribus albis, unde etiam *Fallén* in Act. Holm. alas "nebulosas" descripsit. In costa vero adsunt maculæ tres majusculæ, subquadratæ, distinctæ, æquali spatio remotæ, plus minus nigricantes, quarum 1:ma ad apicem nervi auxiliaris, 2:da subobliqua nervo transverso ordinario opposita, & 3:tia seu ultima apicalis. Juxta marginem interiorem macula 4:ta, quæ in ♂ plerumque ut punctum magnum rotundatum angulum inferiorem nervi transversi ordinarii & longitudinalis 5:ti cingit, aut in ♀ sæpissime totum nervum transv. ordin. ambit. Macula hæc 4:ta cum opposita costali "fasciam mediam" (ut ab auctoribus describitur) interruptam format. Nervus transv. medius niger. Præterea umbra flavo-fusca fere semper nervos transversos basales transit. Nervi longitudinales 3 & 4 paral-

leli; transversus ordinarius subobliquus longe ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi long. 4:ti secundum tertio duplo brevius. Squamæ & halteres albida. Pedes cum coxis luteo-flavi — Signaturæ alarum variant plus minus dilute aut saturate fuscæ.

Var. b. ♂♀. in copula: alarum macula ad marginem interiorem cum opposita costali cohærente, unde fascia integra (nec interrupta) in medio angustata pone medium alæ formatur. In Scania cum var. a. passim lecta.

27. *T. Winthemi:* ferrugineo-flava, capite pedibusque concoloribus; thoracis disco dorsali cinerascente; scutello pallido; abdomine quadrifariam nigro-punctato; alis cinereo-albidis, maculis costalibus 4, fuscis, 1:ma obsoleta, 2:da subqvadrata, 3:tia 4:taque sublunatis. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Macq. Buff. 2. 468. 28 (ubi vero oviductus feminæ "longus" immerito dicitur). — *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 320. 14. T. 48. f. 27 (numero 26 ad 27 correcto; ala). — Löw Monogr. 341. 18. T. 1. f. 11 (ala; figura bona).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania ad Lund specimen unicum masculum Jul. 1837 invenire mihi contigit.

♂. Priori valde affinis & simillima, sed differt: pleuris immaculatis, nec brunneo-vittatis, abdominis pubescentia nigricante, nec albicante, & præsertim alarum signaturis aliis, nempe maculis costalibus 4, nec 3, harum ultimis sublunatis, nec subquadratis, ut & tandem nervo transverso ordinario subimmaculato. Alæ quoque, ni fallor, paullulum angustiores quam in præcedente. — Caput ut in priori. Thorax flavo-ferrugineus (in viva forte magis virescenti flavus), disco dorsali obscuriori, opaco, macula ante scutellum flava, sed vittis laterali & pectorali nigricantibus nullis. Macula sterni nigra. Scutellum flavum, immaculatum. Abdomen flavo-ferrugineum, subnitens,

quadrifariam nigro-punctatum, pubescentia dorsali tenuiori, basi albida, in parte posteriori certo situ (abdomine e latere viso) nigra vestitum. Segmentum ultimum ut in priori elongatum. Alæ quoad nebulas & nervorum directionem omnino ut in *T. Florescentiæ;* sed in costa sunt maculæ 4 fuscæ, quarum 1:ma latiuscula intra apicem nervi auxiliaris incipit & ad nervum transv. medium (l. infra) continuatur, valde obsoleta & inferne sensim evanescens; 2:da subquadrata ad nervum longit. 3:tium descendit, nervo transverso ordinario opposita; 3:tia minor, semilunata, in interstitio inter costam & apicem nervi long. 2:di locata; & 4:ta in apice alæ (inter apices nervorum longitud. 2 & 4) locata, antecedente fere duplo major, & quoque lunata; hæ vero maculæ tres posteriores 1:ma saturatius fuscæ. Nervi transversi forte nonnihil magis appropinquantes quam in priore, unde etiam maculæ costales 1 & 2, quæ his nervis opponuntur, paullo magis approximatæ quam in *T. Florescentiæ.* Nervus transvèrs. ordinarius umbra obsoletissima tenuiter cinctus. Squamæ, halteres & pedes ut in præcedente.

♀: oviductu brevi, longitudine vix segmentorum 2 ultimorum simul sumtorum, plano, ferrugineo, basi nigro-bimaculato, ab auctoribus citatis describitur; a me non visa.

Species hæc secundum *Meigen* in Arctio Lappa habitat.

Tribus 3:tia: alis punctato-nebulosis l. reticulato-maculatis.

Subd. 1:ma: corpore flavicante l. ferruginante l. lutescente. (*T. arnicivora* & *conura* corpore lutescenti cinereo in Subdivisione 2:da sub n:ris 37 & 38 quærendæ).

28. *T. Arnicæ:* testacea, immaculata, opaca, capite pedibusque ferrugineo-flavis; alis subnebulosis, maculis 4 distinctioribus nigricantibus, 1:ma juxta basin, 2:da in

medio costæ, 3:tia pone medium marginis interioris, 4:taque apicali majori, nervis transversis modice remotis, horum medio fuscedine late cincto, nervo 3:tio longitudinali setuloso, spinula costæ geminata; oviductu ♀ rufo. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin.).

Fabr. Antl. 316. 68. — Fall. Ortal. 8. 10. ♂♀. vera. — Macq. Buff. 2. 461. 1. ♂♀. T. 19. f. 18. ♀. — Zett. Ins. Lapp. 744. 4. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. Edit. 2:da n:o 1872 (*). Syst. Nat. 2. 997. 119. Thunb. Mus. Upsal. 1787. p. 91. Fabr. Ent. Syst. 4. 352. 166. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 333. 31. certissime. — *Musca miliaria* Schrank Ins. Austr. 176. 968. certe. — *Musca arcuata* Fabr. Ent. Syst. 4. 353. 170?? Panz. Fn. Germ. 98. T. 22. ♀ certe hujus. — *Dacus arcuatus* Fabr. Antl. 277. 19?? *Trypeta flava* Löw Monogr. 363. 33. ♂♀.

Hab. in plantis variis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, a mense Majo usque ad Augustum, vulgaris, in copula etiam multoties deprehensa; mihi in floribus Serratulæ (Cardui) arvensis, Cardui crispi & palustris, Pimpinellæ magnæ, Heraclei Sphondylii, Salicis viminalis &c., præsertim obvia; nempe per Scaniam totam ubique frequens; in Smolandia non parce ex. gr. ad Åbonäs & Skärsjö; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., passim; in Ölandia; in Gottlandia ad Ruthe (♀ in Pimpinella magna), Stenkyrka, Ejsta &c.; in Bahusia ad Marstrand; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Da-

---

*) Faunæ Sveciæ editio 1:ma n:o 1057; & Acta Upsal. 1736 n:o 16, quæ citavit Illustr. *Linné*, & quæ ipse quoque consului, nihil aliud continent, quam quod in Editione 2:da Fn. Sv. de hac specie dicitur.

lecarlia ad Diversorium Östansbo, D. *Dahlbom*; sed supra hanc provinciam non nisi rarissime visa & vix intra limitem Lapponiæ capta; in Dania freq., D. *Stæger*. (Sub nomine: "*Tryp. Arnicæ*" specimina utriusque sexus e Glogavia misit D. *Zeller* 1842).

♂♀. Corpore toto rufo-testaceo immaculato, setis frontis corporisque ordinariis flavidis (nec nigris), alis totis obsoletissime fusco-subreticulatis, maculis marginalibus 4 majoribus determinatis nigris, nervo transverso fuscedine latissime cincto, nervo 3:tio longitudinali a basi & fere ad apicem setuloso, ut & costa ad exitum nervi secundarii spinulis 2—3 distinctioribus, ab aliis eximie dignota. — Opaca. Caput albo-micans, fronte lata & antennis longiusculis incumbentibus, fulvo-flavis, seta nudiuscula. Palpi parum exserti. Oculi oblongiusculi. Thoracis abdominisque pubescentia flava, nitida. Scutellum flavum. Metathorax niger, nitidus. Abdomen subnitens versus apicem ad latera setis obscuris. Oviductus ♀ longitudine circiter segmentorum 3 ultimorum simul sumtorum, ferrugineus, subplanus, versus apicem sensim attenuatus, apice ipso nigro. Alæ modice latæ, in fundo albidæ, basi dilutissime flavidæ, totæ in interstitiis confertim fusco-punctatæ, punctis l. maculis omnium (præsertim in ♀) obsoletissimis, unde superficies tota quasi fusco-nebulosa l. subreticulata apparet. Præterea adsunt maculæ 4 majusculæ nigræ, quarum 1:ma ad apicem nervi auxiliaris, in ♀ major subquadrata puncta 2 albida includens, in ♂ sub apice nervorum auxiliaris retracta, dimidiata, longitudinalis, oblonga; 2:da terminalis apicem alæ cingit, in ♂ minor plerumque impunctata, in ♀ magna latere interiori punctis sæpissime 1—2, raro 4—5 albis; 3:tia ad marginem interiorem totum nervum transversum ordinarium late tegit; 4:ta pone basin alæ versus marginem interiorem sub congerie nervorum transversalium, minor, indeterminata, fusco-brunnea. Nervi: transversi (medius & ordinarius) modice remoti, subperpendiculares; horum prior utrinque cinctus macula rotun-

data fusca in ♂ sæpe subobsoleta; longitudinales 3 & 4 paralleli. Squamæ & halteres albida. Pedes rufo-flavi.

Obs. "Alæ ungviculatæ, & denticulus in alæ margine crassiore", de quibus *Linné* in diagnosi & descriptione Faunæ Svec. l. c. loquitur, notæ momenti pro hac specie discernenda mihi videntur. — Synonyma *Meigeni*, *Falleni*, *Macqvarti*, *Schrankii* & *Panzeri* indubia sunt. *Trypeta flava* Löwii certe etiam huic alliganda, licet neque figuram neque diagnosin suæ speciei dare placuerit Cel. Auctori. Fabricii *Musca Arnicæ* sine dubio etiam huc pertinet. Sed Ejusdem *Muscam arcuatam*, quæ forte potius ad aliam speciem (*Palloptcram arcuatam* putat Professor *Fallen*) pertinet, valde hæsitavi huic alligare. *Trypeta arnicivora* Löw Monogr. 384. 48. T. 1. f. 34 (ala), quam genuinam *Muscam Arnicæ* Linnei putat Præcl. Auctor, in Svecia rarius occurrit; (cfr. *Tephr. arnicivora* n:o 37 hujus operis). — *M. Arnicæ* Nees v. Esenbeck Officin. Phlanz. Tom. 3. ad *Arnicam montanam* pupa, larva & imago delineatæ fuerunt. Figura tamen imaginis potius *Tephritem parietinam* nostram infra n:o 30 repræsentat.

29. *T. corniculata:* testacea, opaca, abdomine bifariam fusco-punctato; capite pedibusque ferrugineo-flavis; antennarum basi superne tuberculo pilosulo; alis fuscis confertim albo-punctatis, fascia biflexuosa, reticulata saturatius nigro-brunnea, nervis: transversis approximatis, longitudinalibus 1:mo & 3:tio setulosis; spinula costæ geminata; oviductu ♀ rufo. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Zett. Act. Holm. 1819. p. 84. 39. ♂♀. Fall. Ortal. 8. 11. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 335. 34. Löw Monogr. 373. 39. T. 1. f. 31 (ala; in figura fascia continua fusca non bene determinata). — *Acinia* Macq. Buff. 2. 469. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Alni, Fraxini, Coryli, Salicum, per hortos et prata Sveciæ meridionalis & mediæ,

a fine Julii usque ad medium Septemb., passim minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby prope Lund (*Dahlbom*), Abusa, Landscrona (Stud. *Hesselgren*), Ausås, W. Ahlstad (D. *Möller*), Lindholmen, Tranås, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Larketorp rarissime; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. Prof. *Wahlberg*; in silva Alsted ad Soröe Daniæ, Julio 1841, D. *Stæger*. (Ad Gryphiam versus finem Julii 1845 parce legit D. *Dahlbom*).

♂♀. A priori, cui colore accedit, abdominis duplici serie punctorum fuscorum, oculis magis rotundatis, tuberculo seu corniculo in antennarum articulo 2:do superne parvo quidem, sed tamen vere præsente, alarum fascia brunnea lata serpentaria, punctis numerosis albis & quatuor distinctioribus orbiculatis in interstitio nervorum longitud. 3 & 4, ut & nervis transversis magis approximatis, abunde recedit. Nec cohabitant. — Caput ut in priori, sed antennæ angulo apicali superne magis acutiusculo, & articulo 2:do corniculo pilosulo instructo. Oculi rotundati, in viva pallide virides, certo situ purpureo-relucentes. Thoracis scutellique setæ fuscæ, alio situ flavidæ, singula e puncto minutissimo nigro oriunda. Abdomen rotundatum, punctis nigris duplici (rarius quadruplici) serie dispositis, rarissime nullis l. obsoletis. Oviductus ♀ ut in præcedente constructus & coloratus, sed forte nonnihil brevior. Alæ albo-hyalinæ confertim fusco-reticulatæ, fascia lata continua in ziczac flexa nigro-brunnea a margine interiore (juxta basin alæ) orta, ad costam intra apicem nervi auxiliaris ducta, deinde oblique nervum transversum medium transiens in marginem interiorem descendit, & iterum oblique nervum transvers. ordinarium transiens adscendit ad costam, ubi cum macula apicali lata, late confluit; fascia hæc brunnea undique punctis parvis albidis aut flavidis repleta, quorum vero 4 majuscula subæque magna æquali spatio remota, orbiculata, alba interstitium nervorum longitud. 3 & 4 ornant: vel, si mavis,

sunt alæ fusco-brunneæ, fenestratæ maculis 3 magnis trigonis e congerie punctorum alborum constantibus, quarum 1:ma paullo pone medium costæ (e maculis 3 rotundis albis conflata), 2:da & 3:tia ad marginem interiorem, nempe 2:da ante, & 3:tia pone nervum transvers. ordin. sitæ; & præterea basis alæ sat late albo-hyalina, fere immaculata. Nervi: longitud. 3 & 4 paralleli; auxiliaris (longitudinalis 1:mus) breviter setulosus. Spinulæ costæ 2 l. 3 nigræ. Halteres pallidi. Pedes rufo-ferruginei.

Obs. Pictura alarum adcuratissime & fidelissime a *Meigen* l. c. descripta est.

30. *T. parietina:* flavo-cinerascens seu grisea, opaca, capite, scutelli apice pedibusque ferrugineo-flavis; proboscide palpisque exsertis; abdomine bifariam fusco-punctato; alis brunneo-variegatis, punctis numerosissimis albidis, horum majoribus e transverso bifariam dispositis, nervis transversis approximatis, spinula costæ parva; oviductu ♀ nigro. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. oviductu feminæ toto nigro; alarum fascia transversa ante apicem fenestrata in utroque sexu jam subcontinua, jam subinterrupta.

Fabr. Antl. 319. 13. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1863. Syst. Nat. 2. 996. 107. Schrank Austr. 468. 952? Fabr. Ent. Syst. 4. 350. 151. Ross. Fn. Etr. 477. 1525. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 331. 33. vera. T. 50. f. 7. (ala). — Löw Monogr. 366. 35. ♂♀. — *Ensina* Macq. Buff. 2. 473. 1. ♂♀. certe. T. 19. f. 22. ♀. — *Tephritis pantherina* Fall. Ort. 10. 14. ♂♀. certe.

Var. b. oviductu feminæ nigro, cingulo ante apicem rufo l. integro l. interrupto; alarum fascia transversa ante apicem fenestrata in utroque sexu jam subcontinua,

jam subinterrupta; forte specimina juvenilia, nuper e nympha declarata.

Trypeta flavipennis Löw Monogr. 368. 36?

Hab. utraque varietas promiscue in plantis variis per Scandinaviam meridionalem & mediam a medio mensis Junii — tota æstate — & feminæ sæpe usque ad medium Septemb., vulgaris, mihi in floribus Chrysanthemi leucanthemi & frondibus Pteridis aqvilinæ præsertim obvia; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Fogelsång, Björnstorp, Lomma, Lindholmen *(Möller)*, Tranås, Esperöd, &c., passim copiose; in Smolandiæ Calmaria ad Berga (in Pteride aqvilina) frequens; in Ölandia passim; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Rismarken *(Dahlbom)*, Omberg *(Boheman)*, Godegård, Gusum &c., non parce; in Westrogothia ad Sparresäter, & ad Gothoburgum (ut *Tr. flavipennis* Löw, teste *Wahlberg)*; in Helsingia ad catarrhactam Laforsen & diversorium Kårböle, minus frequens; in Norwegia ad Näs parce; in Dania rarius, D. *Stæger*. (Ex Aboa Finlandiæ a D. D. Prof. *Sahlberg* & Magist. *W. Nylander*, & e Gryphia a D. *Dahlbom* communicata. — Secundum D. *Schilling* in Entom. Beitr. Wratisl. 1829 p. 96 larvæ in caulibus Artemisiæ vulgaris frequentius repertæ, e quibus hæc species exclusa fuit).

♂♀. Per magnitudinem minorem, colorem corporis sordide flavescentem, antennas simplices, nec tuberculatas, oculos minores, subrotundos, epistomatis apicem reflexum, proboscidem palposque prominula, alarum brunneo-variegatarum fasciam intra apicem punctorum pellucidorum transversam plerumque integram, ut & oviductum ♀ fere totum nigrum, & a priori & ab aliis affinibus satis superque distincta. — Caput flavo-albidum, fronte latissima, fulvo-flava. Seta antennarum nudiuscu-

la. Palpi exserti, dilatati, flavi. Haustellum geniculatum, tenue, cum proboscide (labio) plus minus longe prominulum, flavum; proboscis vero sæpissime ultra palpos exserta, interdum longe pendula. Scutellum apice plerumque, interdum totum flavum. Abdomen ovatum, griseum, opacum, dorso duplici serie punctorum (interdum strigarum longitudinalium) fuscorum; pube pallide grisescente vestitum, ad latera versus apicem parum setulosum. Oviductus feminæ vix longitudine dimidii abdominis, planus, nitidus, basi latus, versus apicem paullo angustatus, apice ipso truncato; aut totus niger, aut in var. b. niger, ante apicem cingulo ferrugineo, jam integro, jam in medio interrupto, relicto utrinque puncto rufo. Alæ modice latæ, apice rotundatæ, totæ (ab ima basi usque ad summum apicem) fuseo-brunneæ, confertissime pallide punctatæ, punctis plerisque rotundis. Ex his vero puncta in fundo fusco pleraque parva flavida, quorum in ipso apice 2 minuta, unum supra & alterum infra apicem nervi longitudinalis 3:tii. Intra apicem alæ mox pone nervos transversos fascia transversa, quæ ex punctis majoribus orbiculatis albo-pellucidis conflata, normaliter constat e punctis undecim, quorum 2 ad costam; 1 in interstitio nervorum long. 2 & 3; 4 plerumque discreta in interstitio nervorum long. 3 & 4; & 4 sæpissime confluentia infra nervum longit. 4:tum. Præterea ad marginem interiorem (ab alula ad nervum transv. medium) macula magna gemina punctorum 12—13 albo-pellucidorum plerumque ita confluentium ut plagam magnam albo-hyalinam efficiant. Nervi: transversi approximati; longitudinales 3 & 4 subparalleli; omnes subinermes, nisi auxiliaris subpuberulus. Spinula costæ minuta. Halteres pallidi. Pedes rufo-flavi.

Obs. Individuum femineum varietatis b. sub nomine "*Tryp. flavipennis* Löw. e Wienna" etiam mihi misit D. *Stæger* simul testans specimen simile (at masculum) a D. Adjuncto *Jacobson* ad Hafniam captum fuisse.

Subd. 2:*da:* corpore cinereo l. cinerascente (in *T. arnicivora* n:o 37, & *conura* n:o 38 cor-

pore lutescenti cinereo) opaco. Alarum nervi: transversi approximati; longitudinales 3 & 4 versus apicem subparalleli. Spinula costæ adest.

α). alarum apice pellucido punctis 2 fuscis discretis (liberis) ad apicem nervorum longitudinalium 3 & 4.

31. *T. Hyoscyami:* cinerea, capite pedibusque rufo-flavis; alis albo-hyalinis, punctis disci paucioribus difformibus fuscis, maculis costalibus 2 magnis subquadratis subæque latis nigricantibus subtus erosis, harum singula ad costam punctum unicum albidum includente, nervo transverso ordinario infuscato fuscedine intus erosa, punctisque 2 apicalibus discretis trigonis fuscis; oviductu ♀ dimidium abdomen superante, nigro. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ortal. 9. 12. var. a. ♂♀. vera. — Zett. Ins. Lapp. 745. 5. var. a. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1873. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 337. 38. T. 50. f. 2. ♀ (fig. non contemnenda). — Löw Monogr. 392. 51. T. 2. f. 45. (ala; figura sat bona). — *Acinia* Macq. Buff. 2. 470. 1.

Hab. in Arctio, Carduo & aliis floribus Compositarum, imprimis per Scandinaviam meridionalem & mediam, Jun.—Sept., in copula sæpe deprehensa; in Svecia boreali rarissime; in Scania ubique frequentissima; in Smolandia D. *Boheman* (1835); in Ostrogothia minus frequens; in Bahusia ad Marstrand & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia raro; in Bottnia boreali ad Kengis rar.; in Norwegia ad Alstahaug & Levanger parce; in Dania copiose, D. *Stæger*. (Sub indicio: »*Tr.*

hyoscyami Meig. Löw.* exemplum femineum e Glogavia per eundum *Staeger* communicatum vidi).

♂♀. Alarum maculis 3 majoribus, nigricantibus (quarum 2 costalibus, subquadratis subæqualibus subtus erosis & ad costam punctum unicum albidum includentibus, & 3:tia nervum transv. ordin. cingente intus erosa), punctis apicalibus 2 trigonis punctisque disci rarioribus difformibus fuscis, ut & stylo ♀ elongato fere subulato nigro, a sequentibus præcipue dignota. — Caput flavo-albidum, fronte modice lata, intensius flava. Antennæ breves, flavæ, apice rotundatæ; seta nuda. Palpi & proboscis crassiuscula subexserta. Oculi mediocres, rotundati. Thorax & scutellum obscure cinerea, albido-pubescentia, setis ordinariis nigris. Metathorax canus. Abdomen ovatum, supra undique albido-pubescens, apice setis paucis nigris. Oviductus ♀ longitudine segmentorum trium ultimorum simul sumtorum, versus apicem sensim attenuatus, apice ipso subtruncato; totus planus, niger, nitidus. Alæ modice latæ, albo-hyalinæ, maculis 3 evidentioribus, nigro-brunneis. Ex his 2 in costa, subquadratæ, subtus erosæ, ad nervum longit. 4:tum extensæ (erositate adjecta), singula ad costam punctum solitarium pallidum includens; harum 1:ma ad apicem nervi auxiliaris, & altera nonnihil (sed minime duplo) major ad apicem nervi longitud. 2:di, sita. Maculam 3:tiam nervus transversus ordinarius transit, latere interiori in medio per lineolam fere circularem adjectam quasi erosam, at fuscedine latere exteriori integram. In apice alæ & in ipso apice nervorum longit. 3 & 4 maculæ parvæ l. puncta 2 fusca subtrigona, omnino separata & neque inter se, neque cum macula costali majori cohærentia. Nervus transv. medius plerumque plus minus infuscatus. Præterea in disco & ad margines alæ puncta pauciora, parva, difformia, fusca adsunt, quorum 1 ad costam inter maculas nigricantes medium, 2 l. 3 sub nervo longitudinali & ei fere adnexa, atque 3 pone nervum transversum ordinar., sæpissime magis perspicua, interdum satis obsoleta. Halteres & squamæ albida. Pedes ferrugineo-flavi.

Obs. Feminam hujus speciei cum mare *T. Bardanæ* in copula junctam ad Höör Scaniæ semel inveni.

32. *T. Bardanæ:* cinerea, capite pedibusque rufo-flavis; alis albo-hyalinis, punctis disci paucissimis difformibus fuscis, maculis costalibus 2 magnis subquadratis nigricantibus inferne erosis, harum 1:ma ad costam punctum unicum, 2:da fere duplo latiore puncta 2, albida includentibus, nervo transverso ordinario infuscato fuscedine utrinque erosa, punctisque 2 apicalibus discretis trigonis fuscis; oviductu ♀ dimidium abdomen non attingente, rufo-piceo aut nigricante. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Var. a. ♂♀ in copula: oviductu feminæ ferruginante aut rufo-piceo. *Trupanea* Schrank Fn. Boic. 3. 2521, *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 319. 59 (secund. *Schrank* transscripta). — Löw Monogr. 376. 41? T. 2. f. 37 (ala).

Var. b. ♂♀ in copula: oviductu feminæ nigricante aut nigro-piceo. *T. Hyoscyami* var. Fall. Ort. 9. 12. var. ♀. in description. — Zett. Ins. Lapp. 745. 5. var. b. ♀. — *Trypeta confusa* Meig. Dipt. 5. 337. 37. T. 50. f. 9 (ala). *Acinia* eadem Macq. Buff. 2. 470. 3.

Hab. in Arctio & Carduo, nec non in foliis Salicis viminalis & Qvercus Roboris, per Scandinaviam meridionalem & mediam, ab ineunte Junio usque ad Octobr., vulgatissima, præsertim var. a. copiose; in copula etiam sæpe deprehensa; var. a. & b. promiscue occurrunt; scilicet in Scania tota ubique abundans; in Smolandia ad Skärsjö &c.; in Ostrogothia ad Gusum & aliis locis; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* sed in provinciis magis borealibus rarissima; e Dania a D. *Stæger*, sub indicio: »*T. Leontodontis* Meig. Löw. *T. hyoscyami* Fall." individua var. a. in utroque sexu communicata.

♂♀. Priori affinis & valde similis, sed alarum maculis costalibus fuscis 1:ma longiori usque ad nervum long. 6:tum extensa, 2:da multo latiore & puncta 2 (nec 1) pallida includente, fuscedine lata, qua nervus transv. ordinarius cingitur in utroque latere, nec solum interiori, erosa, ut & stylo anali feminæ multo breviore, nempe vix longitudine segmentorum 2 ultimorum simul sumtorum, & plerumque rufescente, apice truncato nigro, constanter differt. Caput cum antennis & palpis ut in præcedente. Oculi paullo minores, quam in *T. Hyoscyami.* Thorax, abdomen & pedes ut in antecedente. Alæ etiam ut in illa, exceptis signaturis, ut nuper dictum majoribus & magis erosis. Macula costalis 1:ma in fasciam perpendicularem usque ad nervum longit. 6:tum producta, inferne punctis 4-6 minutis albis ornata & ad terminum varie erosa. Puncta hieroglyphica fusca hinc inde sparsa ut in priori. Etiam ad maculam 1:mam & basin alarum puncta 3-4 difformia fusca (quarum 2 in costa) in fundo albido observantur. Oviductus ♀ basi latiusculus.

Obs. Var. a. & b. ut ovum ovo simillimæ, præter colorem oviductus feminæ plerumque in a. rufus, qui tamen per gradus in rufo-piceum, piceum & tandem in b. nigrum (forte in senioribus) sensim abit. — Signaturæ fuscæ in alis parum ludunt. In exemplo vero masculo, in Gottlandia ad Gothem 17 Jul. 1841 a me capto, vulgaribus fere duplo minore, puncta fusca in disco & basi alæ paullo crebriora & una cum maculis costalibus magis dilutiora; forte distincta species, sed ex unico individuo, cui de cetero femina deest, novam fingere non audeo. *T. Bardanæ* proxime accedit. — Marem *T. Bardanæ* cum femina *T. Hyoscyami* in Scania semel in copula deprehendi. Hoc affinitas harum specierum affirmatur. — Sub nomine: "*Tryp. confusa* Meig." ex Hamburgo a D. v. *Winthem* specimen femineum obtinui nostræ *T. Bardanæ* quoad picturam alarum valde simile, sed magnitudine nonnihil majore, corpore flavido-cinereo, ut & oviductu longiori subulato toto rufo specifice recedere videtur. — Tandem nuperrime accepi sub nomine: "*T. Bardanæ*" duo exempla.

quorum unum e Gusum Ostrogothiæ a D. *Wahlberg* missum, masculum, quod a nostra *Bardanæ* corpore flavido, nec cinereo, alarum maculis costalibus subbrunnescentibus, nec fuscis, inferne (in medio alæ) subcohærentibus, nec discretis, differt, & alterum e Posnania per D. *Stæger* communicatum, femineum, masculo simillimum præter oviductum modice longum & latum piceo-ferrugineum; quæ duo specimina verisimiliter ad *Tryp. Bardanæ* Löw. genuinam, referenda, & a nostra *Bardanæ* separanda.

β). alarum apice aut pellucido radiis 2 fuscis, aut fusco punctis paucioribus l. pluribus pellucidis.

33. *T. Leontodontis:* cinerea, immaculata, capite pedibusque rufo-flavis; alis albo-hyalinis, disco parce reticulatis, apice fusco-radiatis, maculis costalibus 2 magnis subquadratis subdiscretis nigro-brunneis inferne albo-punctatis, harum 1:ma ad costam punctum unicum, 2:da fere duplo latiore puncta 2, albida includentibus, nervo transverso ordinario modice late infuscato, fuscedine intus albo-bipunctata, apice alæ maculis 2 radiantibus fuscis cum macula costali connexis; oviductu ♀ brevi rufo aut nigricante. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Ortal. 9. 13 var. a. ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 745. 6. ♂♀ var. a. & d. — *Musca* De Geer Ins. 6. 46. 17. (exclus. syn. Linn. *Musca Hyoscyami)*, T. 2. f. 18. ♀. — *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 335. 35. T. 50. f. 8 (ala). — Löw Monogr. 380. 45. T. 2. f. 39 (ala; figura bona). — *Acenia* Macq. Buff. 2. 469. 2. ♂♀. — *Musca stellata* Panz. Fn. Germ. 20. 23. ♂.

Hab. per totam Scandinaviam ab ineunte Majo usque ad finem Septembris vulgaris, in Svecia meridionali

præsertim abundans, mihi in foliis variarum plantarum & in floribus Cardui in primis obvia, in copula etiam pluries deprehensa; scilicet in Scania ubique vulgatissima; in Smolandia, Ostro- & Westrogothia quoque frequens; in Ölandia & Gottlandia (ex. gr. ad Garde &c.), passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Helsingia parce; in Dalecarlea; in Jemtlandia ex. gr. ad diversorium Lund juxta radicem alpis Åreskutan, rarius; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele sat frequens, Lulensi, D. *Andersson*, & Tornensi, D. *Frigelius*; in Norwegia ad Näs & Thynäs &c. passim; in Dania ad Dyrhaven & aliis locis haud rara, D. *Dahlbom*, sub nomine: »*T. fallax* Löw. *Leontodontis* Fall.« ♀ etiam a D. *Stæger* missa. — E pupis cylindricis, nudis nigris, in Scania in floribus Arnicæ montanæ captis exclusa, D. Prof. *Sundewall*. (Ex Helsingforsia Finlandiæ a D. Magist. *W. Nylander* communicata).

♂♀. Per corpus griseo-cinereum immaculatum, alarum discum parce reticulatum, macularum costalium duarum nigricantium 1:mam elongatam usque infra nervum longitudinalem 5:tum descendentem, 2:dam latiorem ad nervum longit. 4:tum productam, ambas inferne albo-punctatas, nervum transversum infuscatum intus bipunctatum, & maculas parvas fuscas in apice alæ subradiantes, ab affinibus dignota. A *T. Bardanæ*, cui quoque similis, alarum maculis costalibus nigris inferne albo-punctatis, nec simpliciter erosis, maculis in apice alæ (ad terminum nervorum long. 3 & 4) parvis fuscis elongatis cum macula costali 2:da cohærentibus furcam formantibus, nec discretis, statim discernitur. — Caput rufescens, fronte sæpe cinerascenti flava. Antennarum seta tota obscura. Oculi non magni, rotundati. Proboscis crassiuscula. Corpus obscure cinereum, pube pallida tenui tectum, setis ordinariis in thorace & scutello nigris. Thoracis dorsum in bene conservatis,

& præcipue in individuis masculis lineolis 5 ferrugineis obsoletis. Abdomen supra undique æqualiter & tenuiter albo-pubescens. Alæ albido-pellucidæ, basi usque ad maculam costalem 1:mam nigricantem fere immaculatæ præter strigulas disci paucas & puncta 2 ad costam fusca. Maculæ costales 2 distinctiores nigræ; harum prima ad costam punctum unicum (raro nullum), & inferne in interstitio nervorum long. puncta circiter 6, albida includit; secunda major qvadrata puncta ad costam 2 (raro unicum), & inferne ad nervum long. 4:tum etiam plerumque 2, minuta albida quoque includit. Hæ autem maculæ nigræ ad costam separantur per aream magnam quadratam albam interdum immaculatam plerumque vero in 4 areolas divisam, omnino ut in figura *Löwii*. E latere inferiore maculæ costalis 2:dæ descendunt 2 radii subparalleli (& sæpissime liberi) fusci ad marginem interiorem, & ex angulo externo ejusdem maculæ duo alii radii ad apicem alæ emittuntur, basi connexi, cruriformes l. lunati. Nervus transvers. ordin. modice infuscatus, fuscedine latere exteriori inæqvali, sed haud erosa, & interiori normaliter puncta 2 minuta albida includente, raro obsoleta relicta tantum hamulo in medio. Pedes flavo-rufi, femoribus anticis in ♂ externe raro fuscis. Oviductus ♂ brevis segmenta abdominis duo ultima simul sumta longitudine vix attingens.

Obs. Sub nomine: "*Tephr. flavicauda* Meig." specimina feminea stylo anali ferrugineo prædita in collectionibus Svecicis interdum occurrunt.

Obs. *T. conjuncta* (34) ut ♂, & *T. Leontodontis* ut ♀ in copula junctæ semel a me in Ostrogothia inventæ fuerunt. Individua, ubi punctulum albidum in alarum macula costali nigra 1:ma aut adfuit aut abfuit, promiscue in copula etiam deprehendi.

34. ***T. conjuncta:*** cinerea, immaculata, capite pedibusque rufo-flavis; femoribus in ♂ obscuris; alis in utroque sexu albo-hyalinis, basi & margine interiori subim-

maculatis, apice fusco-subradiatis, maculis costalibus 2 magnis subquadratis nigro-brunneis inferne late cohærentibus & albo-punctatis, harum 1:ma ad costam punctum nullum, & 2:da fere duplo latiore puncta 2, albida includentibus, nervo transverso ordinario late infuscato, fuscedine intus albo-bipunctata; apice alæ maculis 2 radiantibus fuscis cum macula costali connexis; oviductu ♀ brevi nigricante. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Trypeta Löw Monogr. 107. 69. T. 2. f. 59 (ala). *Tephritis Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. 745. 6. var. a. (ex parte).

Hab. in Svecia præsertim media & boreali, a medio mensis Junii usque ad medium Septemb. passim frequens; scilicet in Scania hinc inde ex. gr. ad Esperöd, Tranås, Limhamn &c, parce; in Smolandia ad Skärsjö, collectio D. *Ljunghii;* in Ostrogothia ad Lärketorp (in Pino silvestri, forte errabunda) &c.; in Gottlandia passim ut ad Stenkyrka, Fardhem &c.; in Westrogothia, D. *Boheman;* in Gestricia ad diversorium Hamrånge non rara; in Helsingia ad Stråtiära, Skog, Jerfsö & pluribus locis frequens; in Lapponia Umensi rarius.

♂♀. Priori valde similis, sed alarum maculis costalibus 2 magnis fuscis inferne late confluentibus (nec inferne subdiscretis) harum 1:ma punctum album ad costam nullum includente, præsertim dignota. Caput cum antennis & oculis ut in antecedente. Thorax & scutellum cinerea, immaculata, setis ordinariis nigris. Abdomen cinereum, immaculatum, tenuissime puberulum, pubescentia in segmentorum margine apicali paullo longiori cilias albidas formante; ad latera versus apicem setulis quibusdam nigris præditum. Oviductus ♀ brevis, vix longitudinem segmentorum 2 apicalium simul sumtorum attingens; planiusculus, niger, nitidus, modice latus, versus apicem sensim angustior, apice ipso truncato. Alæ albidæ ad basin sat

late, & ad marginem interiorem fere ad medium subimmaculatæ. Maculæ costales 2 magnæ nigro-brunneæ, inferne (ad interstitium nervorum longitud. 3 & 4) confluentes. Hæ duæ maculæ, ita cohærentes, pone medium alæ formant quasi maculam majorem fere lunatam, nigricantem, quæ ad costam in crure antico punctum nullum, in crure vero postico puncta 2, & inferne (in interstitio nervor. longit. 3 & 4) puncta 3—5 rotunda minuta (unicum mox pone nervum transv. medium & supra ordinarium situm plerumque majusculum), alba habet. Hæc macula magna porro extendit ad marginem interiorem & apicalem radios 7—8 minus regulares, fuscos, quorum 2—3 antici abbreviati, 2 vero apicales basi cum macula principali connexi, petiolati. Inter maculas sæpe nominatas magnas nigras puncta adsunt tria alba in triangulum disposita, quorum 2 costæ adjacent, & tertium in interstitio nervorum longit. 2 & 3. Pedes ferruginei, femoribus omnibus in ♂ late nigricantibus, femoribus anticis in ♀ extus interdum fuscis.

Obs. Sub *T. Leontodontis* Meig. & Fall. hæc species sine dubio etiam latet. — *Tryp. pulchra* Löw Monogr. 406. 67. T. 2. f. 57. & *Tryp. fallax* Löw Monogr. 383. 47. T. 2. f. 40. huic certe affines. A priori (*pulchra*), mihi ignota, alarum puncto discoidali tantum unico (nec duobus) albo præ ceteris conspicuo, differre videtur, & a *T. fallace* (36) abdominis segmentis albido-ciliatis, nec abdomine nipro-pubescente, ut & macula costali antica nigra immaculata, nec punctum album ad costam includente, discrepat.

35. *T. angustipennis:* cinerea, immaculata, capite pedibusque rufo-flavis; alis subangustatis albo-hyalinis, basi & margine interiori subimmaculatis, disco parcissime fusco-strigulosis, apice fusco subradiatis, maculis costalibus 2 majusculis sub-quadratis discretis nigro-brunneis, harum 1:ma impunctata, 2:da paullo majore ad costam puncta subbina albida includente, nervo transverso ordinario anguste infuscato; apice alæ maculis 2 radi-

antibus fuscis cum macula costali subconnexis; oviductu ♀ brevi nigro. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.).

Trypeta Löw Monogr. 382. 46. T. 2. f. 41. (ala). certe. — *Tephr. Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. 745. 6. var. a. (ex parte).

Hab. in Svecia meridionali frequens, septentrionali rarius, ab ineunte Junio usque ad medium Septemb. mihi obvia, in copula etiam multoties observata; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Abusa Silfåkra, Grönby, *(Kinberg)*, Tranås, Esperöd, &c., vulgaris; deinde per Sveiam mediam parce occurrit, & in Lapponia Umensi tantum rarissime visa. Mas etiam ex Hafnia sub nomine; *T. angustipennis* Löw. a D. *Stæger* missus.

♂♀. Duabus proxime præcedentibus valde affinis & similis, & cum illis a Collectoribus certe commixta; sed a *T. Leontodontis* (33) alarum disco haud reticulato, apice minus radiato, maculis illis costalibus 2 nigricantibus nonnihil minoribus, sed paullulum remotioribus & distinctioribus, harum 1:ma punctum nullum album includente, ut & oviductu ♀ semper nigro; a *T. conjuncta* (34) abdominis pubescentia albida supra undique æqualiter sparsa, nec cilias in segmentorum margine formante, alarum pictura fusca multo parciori, maculis costalibus 2 nigricantibus remotioribus & totis discretis, nec inferne confluentibus, & ab utraque magnitudine paullo minore, alis nonnihil angustioribus, pictura ut dictum parciori, & denique nervo transverso ordinario angustius & sæpe tantum inferne infuscato, uberrime differt. — Caput flavo-album, fronte flava. Oculi parvi, rotundi. Corpus cinerascens, immaculatum, pube tenui albida vestitum. Oviductus ♀ ut in priori. Alæ parum & tantum dilute fusco-pictæ. Maculæ 2 costales distinctiores nigræ remotiores, totæ separatæ & per maculas 4 albidas (in interstitiis 1:mo & 2:do a costa) sejunctæ. Exterior macularum nigrarum puncta albida jam 1 jam 2 prope

costam includit. Radii apicales 2 ordinarii plerumque per petiolum cum macula exteriori connexi, sed interdum per defectum petioli discreti. Pedes in ♀ plerumque toti rufo-flavi, in ♂ rufo-flavi, femoribus anterioribus extus, & posticis a basi & fere ad medium, plus minus obscuris.

36. *T. fallax:* cinerea, immaculata, capite pedibusque rufo-flavis; alis albo-hyalinis, basi subimmaculatis, disco reticulatis, apice fusco-radiatis, maculis costalibus 2 magnis subquadratis nigro-brunneis inferne subcohærentibus & albo-punctatis, harum 1:ma ad costam punctum unicum, & 2:da puncta 2, albida includentibus, nervo transverso ordinario modice late infuscato fuscedine intus albo-bipunctata; apice alæ maculis 2 radiantibus fuscis cum macula costali connexis; abdomine nigro-crinito, segmentorum margine apicali pallide setoso; oviductu ♀ brevi nigricante. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Trypeta Löw Monogr. 383. 47. T. 2. f. 40 (ala).

Hab. in Scandinavia, ut fertur, forte rarissime, mihi in Svecia numquam obvia.

Tribus proxime antecedentibus prope accedit & valde similis; sed a *T. Leontodontis:* alarum maculis costalibus 2 nigris inferne magis combinatis, nec inferne discretis, reticulatione fusca ad marginem interiorem paullo propius retracta, & oviductu feminæ semper nigro, quare etiam sub *Meigeni Tryp. Leontodontis:* "stylo ani nigro nitido" hæc fortasse latet; a *T. angustipenni:* magnitudine majore, alis latioribus, magis reticulatis, maculis costalibus nigris majoribus minus distantibus tantum per maculas tres (nempe 2 & 1) rotundatas albas, nec 4 (nempe 2 & 2) oblongas, ad costam sejunctis, & puncto in 1:ma macularum costalium nigrarum ad costam albo unico, nec nullo; a *T. conjuncta,* cui pictura alarum proxima: macula vero costali nigra 1:ma punctum album unicum, nec nullum, includente; & denique ab omnibus: abdominis

pubescentia nigra, ad marginem apicalem singuli segmenti, ultimo excepto, serie setarum albidarum, satis distincta videtur. — Femora præsertim antica plerumque late brunnea.

37. *T. arnicivora:* obscure lutescenti cinerea, immaculata, capite pedibusque rufo-flavis; palpis prominulis; antennarum articulo 2:do superne subtuberculato; alis undique fusco-reticulatis, basi, maculaque distinctiori in medio costæ, albo-pellucidis subimmaculatis, maculis tribus majoribus brunneo-nigricantibus cum reticulatione confluentibus, harum duabus costalibus puncta 1 & 2 alba includentibus & tertia nervum transversum ordinarium late ambiente; apice alæ albido, maculis 2 modice magnis basi subcohærentibus, fuscis; abdomine nigro-pubescente, segmentis anterioribus rigide albido-ciliatis, ultimo margine apicali ferrugineo, nigro-setoso; oviductu ♀ elongato, ochraceo. ♂♀. (Long. $1\frac{3}{4}$—2 lin.).

Trypeta arnicivora Löw Monogr. 381. 48. T. 1. f. 34 (ala), videtur. — *Trypet. flavicauda* Meig. Dipt. 5. 336. 36. *Tephrit. Leontodontis* var. *β.* Fall. Ortal. 9. 13. descript. — (An *Musca Arnicæ* Linn. Fn. Sv. 1872? ut voluit Professor *Löw* l. c.).

Hab. in Svecia meridionali & media, a mense Majo usque ad Sept., passim; e pupa cylindrica, mutica, brunneo-nigra, Julio feliciter egressam ante plures annos etiam sæpe obtinui, licet plantas, in quibus vixerunt larvæ, annotare neglexi; mihi obvia fuit: in Scania ad Lund, Silfåkra, Kjeflinge, Röstånga, Tranås, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Ljungh*, in cujus collectione sub nomine «*M. parietaria*» exstat; in Ostrogothia ad Lärketorp non parce; in Ölandia & Gottlandia rarius. — Sub in-

dicio: «*T. arnicivora* Löw. *flavicauda* Meig.» femina a D. *Stæger* e Dania quoque transmissa.

♂♀. Magnitudo (in hac subdivisione) majuscula, color corporis cinereus in sordide lutescentem subabiens, palpi subexserti, tuberculum supra antennarum articulum 2:dum parvum pilosulum, alæ, præter basin & maculam in medio costæ (e maculis 4 minoribus conflatam) albas parum maculatas, fere undique reticulatæ, maculæ 2 costales nigricantes insigniores, & præcipue abdomen supra breviter & tenuiter nigro-pubescens segmentis 4 anticis margine apicali rigide albido-ciliatis, ultimo vero margine ferrugineo & setis nigris ornato, tandemque stylus analis in ♀ longitudine fere segmentorum 3 ultimorum simul sumtorum, ochraceus, sunt notæ, quæ speciem a *T. Leontodontis* (33) & sequente (38), quibus proxime accedit, in primis distingvunt. — Oculi mediocres, rotundati. Antennarum articulus ultimus brevis, apice rotundatus, seta subnuda. Palpi dilatati. Proboscis crassa. Thorax supra tenuissime albo-puberulus, setis lateralibus nigris. Punctum humerale rufescens. Scutellum setis 4 ordinariis nigris. Margo apicalis in abdominis segmentis 1:mo semper (plus minus late), in reliquis raro ochraceus. Oviductus ♀ latiusculus planus versus apicem sensim angustior, apice ipso truncato, totus ferrugineo-ochraceus, tenuissime nigro-puberulus, nitidus, apice summo plerumque nigricante. Alæ in fundo albo-pellucidæ, sed fere undique fusco-reticulatæ. Basis alæ parce fusco-maculata. Maculæ costales 2 distinctiores nigricantes, quarum 1:ma punctum 1, & 2:da puncta 2, albida ad costam habent. Brunnedo, quæ nervum transv. ordinarium late cingit, maculam 3:tiam obscuram constituit. Hæ vero maculæ 3 insigniores plerumque & inter se connexæ & cum reticulatione fusca confluentes. Maculæ 2 apicales trigonæ fuscæ sat magnæ rarissime liberæ, sæpissime breviter petiolatæ cum macula exteriori nigra connexæ. Spinula costæ adest. Pedes flavo-ferruginei, femoribus anticis in ♂ interdum extus infuscatis.

38. *T. conura:* lutescenti cinerea, immaculata, capite pedibusque rufo-flavis; palpis subprominulis; antennarum articulo 2:do superne subtuberculato; alis undique fusco-reticulatis, basi, maculaque distinctiori in medio costæ, albo-pellucidis subimmaculatis, maculis tribus majoribus brunneo-nigricantibus cum reticulatione fusca confluentibus, harum duabus costalibus puncta 1 & 2 alba includentibus & tertia nervum transversum ordinarium late ambiente; apice alæ albido, maculis 2 modice magnis, basi cohærentibus, fuscis; abdomine toto albido-pubescente; oviductu ♀ elongato, ferrugineo. ♂♀. (Long. saltem 2 lin.).

Trypeta Löw Monogr. 378. 42? T. 1. f. 29 (ala). — *Tephritis flavicauda* Zett. Ins. Lapp. 745. 7. ♂♀ (exclus. forte synonymis).

Hab. in Norwegia, ubi in alpe insigni Dovre in copula a Prof. *Boheman* capta mecumque amice communicata. (E Kajana Finlandiæ, ubi in capitulis Cardui heterophylli pupæ cylindricæ læves brunneæ inventæ & d. 18 Aug. 1843 exclusæ, etiam a D. Mag. *W. Nylander* benevole missæ).

♂♀. Priori valde similis, sed alarum maculis illis tribus magnis nigricantibus in disco alæ nonnihil magis confluentibus, punctis albis rotundatis ad marginem interiorem nonnihil majoribus, & magis regularibus, maculis 2 apicalibus fuscis cum macula costali exteriori nigra semper connexis, ut & præsertim abdominis pubescentia alba & æqualiter sparsa, nec in seriem ad singulam incisuram disposita, tandemque segmento anali concolore, nec margine apicali ferrugineo, differt. Pedes in utroque sexu flavo-ferruginei. Oviductus ♀ longitudine segmentorum 3 ultimorum, ferrugineus, nec ochraceus, apice

summo nigro, ut in priori constructus & nitidus, sed vix nigro-puberulus. Cetera ut in præcedente.

39. *T. ruralis:* cinerea, immaculata, capite pedibusque rufo-flavis; palpis non prominulis; antennarum articulo 2:do superne subtuberculato; alis undique fusco-reticulatis, basi, maculaque distinctiori in medio costæ, albo-pellucidis parce fusco-maculatis, maculis tribus majoribus nigricantibus cum reticulatione fusca in medio confluentibus, harum duabus costalibus puncta 1 & 2 alba includentibus & tertia nervum transversum ordinarium late ambiente; apice alæ albido, maculis 2 modice magnis basi cohærentibus fuscis; abdominis segmentorum singulo antice nigro-pubescente postice albido-piloso; oviductu ♀ elongato, ochraceo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Trypeta Löw Monogr. 386. 49. T. 1. f. 35. -- (Ut varietas jam *Tephr. Leontodontis*, jam *flavicaudæ* in collectionibus Svecicis interdum occurrit).

Hab. in Svecia meridionali & media, a mense Majo usque ad Septemb., passim; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge &c.; in Smolandia, collectio *Ljunghii;* in Ostrogothia ad Lärketorp, parce; in Ölandia; in Gottlandia ad Wamlingbo, Öja, Sanda, Lärbro, Slitö, Furillen, Fårön, &c., mense Julio frequens; e Westrogothia ♀ a D. *Gyllenhal* missa; ad Holmiam, D. *Wahlberg.*

♂♀. Duabus proxime præcedentibus affinis & valde similis; sed a *T. arnicivora* abdomine cinereo immaculato, nec segmento ultimo margine ferrugineo, a *T. conura*, cui alarum pictura propius accedit, abdominis segmentis basi nigro-, apice albido-, pilosulis, nec abdomine toto albo-pubescente, stylo anali ♀ ochraceo, nec rufo, & ab utraque magnitudine paullo minore, colore corporis obscure cinereo, nec e luteo mixto, ut &

palpis haud prominulis, abunde dignoscitur. — Pedes rufi, femoribus præsertim anticis in ♂ interdum extus brunneis.

40. *T. tessellata:* cinerea, abdomine bifariam fusco-punctato aut subimmaculato; capite pedibusque rufo-flavis; haustello geniculato; femoribus basi late nigricantibus; alis albo-pellucidis, parce fusco-maculatis, maculis tribus majoribus nigricantibus in disco subcohærentibus, harum 1:ma mox ante medium costæ sita, modice lata punctum unicum album ad costam includente, 2:da nervos transversos late ambiente intus albo-subbipunctata, & 3:tia apicali maxima punctis 6—10 rotundis albis fovente; oviductu ♀ longiusculo, nigro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Trypeta Löw Monogr. 395. 59. T. 2. f. 49 (ala). — *Tephritis Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. 745. 6. var. c. ♂♀., & var. b. (ex parte) nempe specimina e Lycksele, Björkvik & Alten. — *Tephr. punctella* var. *β*. Fall. Ortal. 13. 21. (in descript.).

Hab. in foliis fruticum per Sveciam, Jun. — Aug., passim; in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Abusa, Lindholmen, Esperöd &c.; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Gottlandia ad Stenkyrka rarius; in Jemtlandia ex. gr. ad diversorium Åsarne & ad radicem alpis Åreskutan; in Lapponia Umensi ad Woimsjön & Lycksele, in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, rar., D. *Wahlberg*; in Nordlandia & Finmarkia Norwegica ex. gr. ad Björkvik & Alten; in Dania raro. (Ad Sedinum Germaniæ a D. *Dahlbom* quoque lecta).

♂♀. Abdomine fusco-maculato a præcedentibus dignota. Caput plerumque pallide rufo-flavum. Antennæ breves, flavæ, interdum fuscescentes, articulo ultimo angulo superno subacuto;

seta nuda obscura. Epistoma apice distincte producto, emarginato. Palpi dilatati flavi normaliter exserti. Haustellum geniculatum, fusco-testaceum, proboscide elongata prominula crassiuscula. Oculi non magni, rotundati. Thorax dilute sublutescenti cinereus, pallido-pubescens, setis lateralibus nigris. Scutelli summus apex sæpissime flavidus. Abdomen cinereum supra totum pallido-pubescens, punctis in singulo segmentorum 2, 3, 4 & 5 duobus rotundatis brunneis, dorso subapproximatis, plerumque perspicuis, interdum ob hirsutiem albidam minus manifestis. Oviductus ♀ longitudine vix segmentorum 3 ultimorum simul sumtorum, subplanus versus apicem angustatus; totus ater; nitidus. Alæ albo-pellucidæ, parce fusco-maculatæ, maculis rete abruptum & valde incompletum ad basin (fere immaculatam), in medio costæ & ad marginem interiorem pone nervum transversum ordinarium, formantibus. Præterea adsunt tres maculæ (vel si fasciam biarcuatam vocare placet) magnæ brunneo-nigræ, quarum 1:ma ad apicem nervi auxiliaris subquadrata punctum 1 minutum album ad costam continet, & versus basin alæ infra nervum auxiliarem paullo dilatata; 2:da cum 1:ma anguste cohærens nervos transversos transit & ad ordinarium latere interiori puncta 2 alba plerumque includit; 3:tia totum apicem implet, puncta 6—10 alba rotundata continens, quorum 4—5 interdum discreta interdum subconfluentia lineam transversam formant, & unicum solitarium in ipso apice alæ in interstitio nervorum 3 & 4. Spatium inter maculas magnas nigras costalem 1:mam & apicalem impletum est e maculis 6 magis regularibus in triangulum dispositis albis, nempe 3 ad costam subqvadratis, 2 infra has subrotundis, & 1 in interstitio nervorum 3 & 4, rotundata; omnibus normaliter sejunctis, raro subconfluentibus. Ad marginem interiorem pone nervum transv. ordin. etiam puncta 3 rotunda alba magis conspicua interdum subconfluentia. Spinula costæ vix ulla. Pedes flavi l. rufo-flavi, femoribus basi plus minus late nigricantibus. — Similis seqventi.

Obs. Sub nomine: "*Tephritis* Sp. ign. (an *T. Absinthii* var.?)

specimen hujus masculum e Dania a D. *Stæger* obtinui, punctulo albo in summo apice alæ deficiente.

41. *T. argyrocephala:* cinerea, abdomine subbifariam fusco-punctato; capite pedibusque rufo-flavis; haustello geniculato; femoribus late nigricantibus; alis albo-pellucidis, parce fusco-maculatis, maculis tribus majoribus nigricantibus in disco subcohærentibus, harum 1:ma mox ante medium costæ sita, latissima, puncta duo ad costam includente, 2:da nervos transversos late ambiente intus albo-subquadripunctata, & 3:tia apicali maxima punctis 8—12 albis fovente; oviductu ♀ breviusculo, nigro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Trypeta Löw Monogr. 372. 38. T. I. f. 30 (ala). — *T. Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. 745. 6. var. c. (ex parte, nempe specimen unicum Lyckselense).

Hab. in Svecia meridionali passim, boreali rarius, Jul. Aug. obvia; scilicet in Scania ad Lund, Räfler, Östra Ljungby, Esperöd, &c., non raro; in Helsingia ad Löfvik minus frequens; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia ad Faxelfven rarius; in Lapponia Umensi ad Lycksele semel.

♂♀. Simillima priori, a qua tamen magnitudine plerumque paullo majore, colore corporis cinereo parum grisescente, capite magis albicante, antennis sæpe subinfuscatis, alarum macula costali nigra 1:ma multo latiore puncta albida ad costam duo, nec unicum, includente, macula apicali nigra continente puncta alba plura, sed minora & magis sparsa, horum 2, nec 1, in summo apice sita, macula ad marginem interiorem, quæ nervum transversum ordinarium cingit, nigricante paullo latiore in latere interiori punctulis albis pluribus (3—5, nec 2) minutissimis ornata, maculis abdominis fuscis sæpissime majoribus & magis determinatis, atque etiam in 1:mo segmento

locatis, ut & denique oviductu feminæ paullo breviori, longitudine nempe vix segmentorum 2 ultimorum, satis superque distincta videtur. — A *T. parietina* (30), cui quoque valde propinqua & similis, corpore cinereo, nec flavescente, alarum signaturis magis fusco-nigricantibus, nec brunneis, alis ad basin late albidis, nec brunneo-maculatis, congerie punctorum alborum versus apicem alæ in duas maculas majores oppositas trigonas digesta, nec in seriem unicam subcontinuam disposita, punctis costalibus pone medium albis tribus, nec duobus, &c., facillime dignota. — Palpi vix exserti. Thorax in illæsis individuis dorso vestigio linearum ferruginearum. Abdomen revera quadrifariam fusco-punctatum, sed series punctorum lateralium minorum sub margine inflexo in exemplis saltem mortuis minus conspicienda.

42. *T. elongatula:* grisescenti cinerea, abdomine bifariam fusco-punctato; capite pedibusque rufo-flavis; ore porrecto; haustello geniculato; alis totis dilute fusco reticulatis, macula costali ad exitum nervi auxiliaris distinctiori nigricante pnctum unicum album includente, nervis transversis nigris, puncto in apice alæ albo; oviductu ♀ breviusculo, nigro. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Trypeta Löw Monogr. 397. 60. ♂♀. T. 2. f. 50 (ala), excluso synon. *Tephr. Leontodontis* Zett. Ins. Lapp. 745. 6. varr. b. & c., quæ ad *Tephritem tessellatam* & *argyrocephalam* pertinent.

Hab. in Svecia meridionali & media mense Jul. & Septemb. minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge (♀ 19 Sept.), Esperöd, &c., parce; in Smolandia semel; in Ostrogothia ad Wadstena rarissime, sed longius versus septentrionem procedens a me non observata. Ex Hafnia a D. *Staeger*, in utroque sexu cum hoc indice missa: "*Tryp. Absinthii* Meig. (non *Tephr. pun-*

ctella Fall.) in Daniæ plantis aqvaticis & præsertim Arundine Phragmites August. sat frequens.".

♂♀. Corpore parvo angustulo, ore protruso, abdomine bifariam fusco-punctato, alis longiusculis subangustatis, undique obsolete fusco-reticulatis, macula tantum costali unica stigmaticali punctum album continente magis determinata, species ab affinibus denotatur. Caput cum antennis flavum, orbitis oculorum albidis. Epistoma apice profunde emarginatum, lobis lateralibus distincte porrectis. Instrumenta cibaria haud exserta. Proboscis elongata. Oculi rotundi. Thorax grisescens. Abdomen subangustatum, cinereum, dorso punctis in singulo segmento 2 fuscis. Oviductus ♀ longitudine segmentorum 2 ultimorum, niger nitidus. Alæ albo-pellucidæ, totæ fusco-reticulatæ, sed obsolete præsertim versus marginem interiorem. In ipsa costa observantur: basis subimmaculata, deinde ad apicem nervi auxiliaris macula mediocris subquadrata nigricans inferne subevanida punctum proportione maculæ sat magnum albidum ad costam includens, porro maculæ 3 subquadratæ albæ, iterum macula subquadrata nigro-fusca impunctata ad apicem nervi longit. 2:di, pone hanc punctum rotundatum album, & tandem macula apicalis majuscula fusca obsoleta punctum album in summo apice alæ includens. Nervi transversi obscuri. Pedes rufo-flavi, femoribus anticis & posticis superne interdum brunnescentibus.

Obs. Cum nostra *Tephr. Leontodontis* Ins. Lapp. var. c., & *Tryp. elongatula* Löw l. c., identicæ non sunt, accusatio illa sat iniqua & præceps, quam afferre sibi convenire putavit Cel. Prof. *Löw* in Observatione 3:tia l. c., me nempe species longe diversas commiscuisse &c., quoque in irritum cadit. — "*Trypet. longipennis*," de qua Clar. Auctor deinde comparative cum *Tr. elongatula* loqvitur, in Monographia Ejus non existit (*); sed sine dubio *Tryp. angustipennem* spectat Vir Celeber.

*) *Tryp. longipennis* est species Americana; vide Wiedem. Aussereurop Zweifl. Ins. 2. p. 483. n:o 12.

43. *T. Absinthii:* cinerea, abdomine bifariam fusco-punctato; capite pedibusque rufo-flavis; haustello geniculato; femoribus nigricantibus; alis dilute fusco-reticulatis, basi subimmaculatis, macula costali ad exitum nervi auxiliaris distinctiori nigricante impunctata, nervis transversis infuscatis, puncto in apice alæ albo; oviductu ♀ breviusculo, nigro. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Fabr. Antl. 322. 30. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 340. 42. T. 50. f. 12 (ala; pictura nimis obscura). — Löw Monogr. 391. 57. T. 2. f. 17 (ala). — *Acinia* Macq. Buff. 2. 170. 6. ♂♀. *Tephritis punctella* var. *α.* Fall. Ortal. 13. 21. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media vulgaris, mihi in pratis & campis aridis, libenter in vicinitate maris, præsertim obvia, a medio mensis Junii usque ad finem Augusti florens, in copula multoties capta; scilicet in Scania ad Tranås, Raflunda (in litore maris), Esperöd, Stenshufvud, Widtsköfle (v. *Borck*), Beckaskog, &c., frequens; in Smolandia, collectio *Ljunghii;* in Ostrogothia ad Wadstena parce; in Westrogothia, D. *Gyllenhal;* in Gottlandia ad Wamlingbo, Stenkyrka, Fårön &c., sat copiose; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Norwegia ad Christianiam, D. *Moë*; e Dania sub indice: "*T. punctella* Fall. (non *T. Absinthii* Meig.) in campis arenosis mense Julio non raro", a Nobil. *Stæger* in utroque sexu communicata. (Circa Travemundiam 1 Jul. 1838, & ad Sedinum, ut & ad Zirkow in Rugia & ad Gryphiam jam initio mensis Junii, a Cel. *Dahlbom* frequenter lecta).

♂♀. Minutie corporis, femoribus obscuris, alarum rete langvido, macula tantum stigmaticali intensius nigra impunctata, &

puncto albo parvo in summo apice alæ, a prioribus hujus subdivisionis eximie dignota. A proxime antecedente, cui maxime propinqua, thorace cinereo, nec grisescente, ore minus porrecto, alis proportione paullulum brevioribus & latioribus macula costali ad apicem nervi auxiliaris impunctata, femoribus plerumque obscurioribus, &c., aperte differt. Caput flavum, orbitis oculorum albidis. Epistoma apice parum protrusum. Instrumenta oris haud exserta. Palpi subfiliformes. Proboscis longiuscula. Abdomen cinereum albido-pubescens, punctis fuscis in dorso biseriatis, plerumque perspicuis, raro obsoletis. Oviductus ♀ longitudine circiter segmentorum 2 ultimorum, latiusculus, planus, niger, nitidus. Alæ subæque & sæpius dilute reticulatæ, rete vix in maculas (excepta stigmaticali) nigras distinctiores confluente. Alæ basi late, usque ad maculam stigmaticalem, albo-pellucidæ, præter fasciolam transversam tenuem subabruptam & interruptam fuscam, qualis in figura *Löwii* bene repræsentatur. Apex alæ fuscus, sed in summo cacumine punctulum album. Nervi transversi, loco maculæ solitæ, modice late fuscedine cincti. Pedes flavi, femoribus præsertim in ♂ fere ad apicem infuscatis; in ♀ raro toti flavi. — Variat interdum rete alarum saturatius fusco. — Individuum unum alterumve alarum punctulo apicali albo deficiente. — Variat denique rarissime stigmate alarum puncto minutissimo pellucido.

44. *T. fenestrata:* cinerea, subimmaculata; capite pedibusque rufo-flavis, femoribus ultra medium nigricantibus; ore non porrecto; alis saturate fusco-reticulatis, basi subimmaculatis, apice late nigricantibus impunctatis ♂. (Long. 1 lin.).

Stæger in litt. 5 Aug. 1843.

Hab. in Dania rarissime, D. *Stæger*, qui specimen unicum pro descriptione mihi benevole communicavit.

♂. Parva. Similis priori, sed abdomine immaculato, alarum fuscedine intensiori, maculis rotundatis albis magis determinatis,

& apice late nigro impunctato, ab hac & aliis affinibus certe distincta. Caput pallide rufo-flavum, orbitis oculorum albidioribus. Epistoma apice non exsertum. Trophi (instrumenta cibaria) in specimine viso retracti. Oculi non magni, rotundati. Thorax cinereus. Abdomen subovatum, albido-pubescens, vix vestigio punctorum fuscorum. Alæ subangustatæ, basi albo-pellucidæ subimmaculatæ; ante medium puncta 5—6 sat magna rotundata alba fere in fasciam transversam irregularem disposita; in medio alæ fascia nigricans inæqualis obliqua in costa ad apicem nervi auxiliaris cum macula (stigmaticali) saturate nigra incipit & nervos transversos satis approximatos transit, ad summum marginem interiorem descendens; pone hanc fasciam nigricantem alia e punctis circiter 6 (quorum 2 ad costam) rotundatis albis subconfluentibus composita; deinde apex alæ late niger, puncto ordinario albo in summo apice omnino deficiente. Halteres pallidi. Pedes cum trochanteribus rufo-flavi, coxis totis & femoribus a basi & fere ad apicem nigricantibus. Femora autem intermedia apice sat late rufo-flava.

45. *T. irrorata:* cinerea, thorace abdomineque quadrifariam nigro-punctatis; scutello nigro-bipunctato; capite albescente, antennis fronteque flavis; pedibus rufo-flavis, femoribus obscuris; alis nigro-brunneis, punctis albis numerosissimis, marginalibus subquadratis, discoidalibus rotundis, horum in interstitio nervorum 3 & 4 longitudinalium saltem septem; oviductu ♀ mediocriter longo, nigro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Act. Holm. 1814. p. 170. 16. ♂♀. typica. Ortalid. 11. 15. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 340. 43. Löw Monogr. 402. 64. ♀. T. 2. f. 54 (ala). — *Acinia* Macq. Buff. 2. 471. 7. ♂♀.

Hab. in campis aridis Sveciæ meridionalis & mediæ Julio & Aug. minus frequens; scilicet in Scania: ad Gyl-

lebo & Raflunda, D. *Fallèn*, & ad Högestad, D. *Sundewall*; in Ostrogothia ad Lärketorp (in Vicia) 27 Jul. 1815, ipse; in Dania rarissime.

♂♀. Specimina 4 mascul & 6 feminea lustravi simillima. Caput albescens, fronte lata pallide flava, setis lateralibus albis, posticis (in vertice & puncto stemmatum) nigris. Orbitæ oculorum ovatorum albæ. Antennæ cum seta nuda flavidæ. Epistoma subdescendens, apice nonnihil reflexum, inferne albopilosum. Palpi subexserti, latiusculi, pallidi, albido-ciliati. Proboscis subexserta elongata, crassiuscula, sæpe fusca. Thorax glauco-cinereus, setis ordinariis validis nigris. In dorso puncta pro insertione setarum nigra quadrifariam disposita, quorum in singulis seriebus lateralibus tria, sed in mediis tantum duo (nec, ut *Meigen* & *Macqvart* attulerunt, in singula serie tria). Scutellum concolor, summo apice sæpe pallescente. In margine adsunt setæ 4 ordinariæ, quarum 2 laterales validæ nigræ e puncto ejusdem coloris surgentes, & 2 apicales minores pallidæ ad basin impunctatæ. Abdomen glauco-cinereum, albido-pubescens, postice ad latera setulis albidis, & segmento ultimo setis aliquot nigris instructum; in dorso series revera 4 punctorum fusco-nigrorum, sed horum lateralia parva sub margine inflexo (in exsiccatis) abscondita parum conspicua, media manifesta; segmentum 1:mum immaculatum. Oviductus ♀ longitudine fere segmentorum 3 ultimorum simul sumtorum, latiusculus planus niger nitidus. Alæ latiusculæ nigro-brunneæ, margine omni punctis (præsertim costalibus) subquadratis, & disco toto punctis numerosis majoribus minoribusque rotundis sat regularibus, albis. Ex his numerantur: in interstitio nervorum longit. 3 & 4 saltem 7 (sæpe usque ad 12), quorum 2 ante punctum apicis transversa; & in interstitio nervorum 4 & 5 pone transversum ordinarium plerumque 6. Alæ basi anguste, & margine interiori fere ad medium, albo-pellucidæ, punctis tantum paucissimis irregularibus fuscis ornatæ. Spinula costæ parva. Halteres & squamæ alba.

Pedes flavi, femoribus præsertim anticis posticisque fere ad apicem plerumque fusco-brunneis.

46. *T. guttata:* cinerea, immaculata, abdominis apice atro nitido; capite pedibusque totis rufo-flavis; alis nigro-brunneis, punctis albis, marginalibus subquadratis, discoidalibus paucioribus (7—10) rotundis, horum in interstitio nervorum 3 & 4 longitudinalium duobus; apice alæ albo pellucido, fusco-radiato; oviductu ♀ mediocriter longo, nigro. ♂♀. (Long. 1½ lin.).

Fall. Act. Holm. 1811. 170. 17. ♂♀. typica. Ortal. 11. 16. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 350. 61. (ex descriptione Falleni introducta). — Löw Monogr. 100. 62. T. 2. f. 52 (ala; figura bona). — *Trypeta gemmata* Meig. Dipt. 5. 339. 40. ♂.

Hab. in campis, mihi præsertim in Gnaphalio arenario obvia, per Sveciam in primis meridionalem, ab initio Julii ad finem Augusti, passim; scilicet in Scania: ad Kjeflinge frequens (D. *Dahlbom)*, Sjörup *(Möller)*, Silfåkra (in Gnaphalio arenario 28 Aug. 1838 copiose), Widtsköfle *(von Borck)*, Esperöd, Raflunda, Östra Torp, &c.; in Ostrogothia ad Lärketorp, semel; in Dania "in campis arenosis passim", D. *Stæger.*

♂♀. Corpore immaculato, abdomine postice nigro, nitido, pedibus totis flavis, alis fere per totum marginem fusco-radiatis, disco parce albo-punctato, ab aliis eximie dignota. Caput rufo-flavum, epistomate & orbita oculorum albo-micantibus. Antennarum angulus apicalis superne subacutus; seta subnuda. Oculi majusculi rotundati. Epistoma apice subreflexum. Palpi latiusculi, testacei, apice fusco-pilosi. Haustellum geniculatum? proboscide elongata, crassiuscula plerumque fusca. Thorax griseo-cinereus, setis ordinariis sat validis certo situ pal-

lescentibus, sed puncto nigro ad earum insertionem vix ullo l. minutissimo. Scutellum cinereum, subtus plerumque pallescens, setis 4 ordinariis flavidis, quarum 2 lateralibus validis, 2 apicalibus minoribus; puncto ad basin setarum nullo. Abdomen fusco-cinereum (in ♀ magis nigricans), incisuris tenuissime albidis & albido-ciliatis, segmento ultimo atro nitido. Stylus ♀ longitudine segmentorum 2 ultimorum, latus planus nitidus ater, sæpissime macula utrinque laterali ferruginea. Alæ ut in priori, sed radii apicis fusci paullo longiores magisque determinati, & puncta disci rotunda alba pauciora. In disco singulæ alæ nempe puncta alba plerumque tantum 7—10, quorum 4—5 majora, 3—4 minora. Ex his vero duo in interstitio nervorum 3 & 4 longitudinalium sita, scilicet 1 ante, & 1 post nervum transv. medium. Pone autem nervum transversum ordinarium puncta alba tantum 4 (nec ut in *T. irrorata* 6) inæqvalia. Ipsa basis alæ albo-pellucida, strigulis ad costam paucis fuscis. Spinula costæ gemina minuta. Halteres citrini. Pedes cum coxis toti rufo-flavi.

47. *T. pupillata:* cinerea, pilosula, thorace abdomineque quadrifariam nigro-punctatis; scutello anoque atris nitidis; capite albicante, antennis apice acutiusculis pedibusque rufo-flavis, femoribus annulo nigro; alis disco brunneis punctis parvis albis, horum in interstitio nervorum 3 & 4 longitudinalium subqvatuor, margine omni albo-pellucidis fusco-radiatis; oviductu ♀ brevi, atro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂: epistomate sub antennis impunctato, scutello anoque atris immaculatis, abdomine cinereo; ♀ epistomate sub antennis puncto nigro, scutello anoque atris immaculatis, abdomine cinereo.

Fall. Act. Holm. 1814. 171. 18. ♂♀. typica. — Ortal. 11. 17. ♂♀. (exclus. Syn. *Tephr. Absinthii* Fabr.) — Zett. Ins. Lapp. 745. 8. ♂♀. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 341.

45. *Acinia* Macq. Buff. 2. 171. 9. ♀. *Trupanea reticulata* Schrank Fn. Boica 3. 2522. testante Meigen. — *Trypeta reticulata* Löw Monogr. 101. 63. ♂♀. *Acinia lineata* Macq. Buff. 2. 472. 12. ♂. T. 19. f. 21 (male delineata & picta).

Var. b. ♂. epistomate sub antennis impunctato, scutello anoque atris, illo macula utrinque laterali, hoc vitta media flavis, abdomine rufo-cinereo, femorum annulo fusco abbreviato & obsoleto. (Vix specie distincta?).

Trypeta pardalina Meig. Dipt. 5. 342. 46. ♂. *Trypeta reticulata* var. Löw l. c.

Hab. in plantis & graminosis, mihi locis aridis & arenosis præsertim obvia, in Scandinavia, Jul. Aug., minus frequens; scilicet var. a. in Scania ad Abusa, Esperöd, Ausås (in Kullen), &.; in Ostrogothia ad Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ex. gr. ad Finkrog, rarissime; in Dania parce, D. *Stæger*; varietatem b. in Scania semel legi. — E variet. a. 5 mares & 7 feminas comparavi. (Specimen masculum varietatis a. ad Putbus in Rugia 31 Maj. 1842 invenit. D. *Dahlbom*).

♂♀. Corpore pilosulo, antennarum articulo ultimo subarcuatim reflexo, scutello atro nitido, femorum annulo obscuro, ut & alarum disco brunneo punctis parvis albis haud numerosis, limbo omni fusco-radiato radiis apicalibus elongatis subparallelis, ab omnibus facillime dignota. Caput pallide flavum albo-micans, vitta frontali intensius flava. Frontis setæ laterales albæ, posticæ nigricantes; ad insertionem setarum puncto minutissimo nigro. Inter antennas & oculos utrinque punctum minutum nigrum plerumque conspicuum in ♀, quæ etiam ejusmodi puncto in medio epistomatis sub antennis gaudet. Antennæ in utroque sexu subexsertæ, flavæ, articulo ultimo lon-

giusculo superne leniter arcuatim exciso, apice subreflexo-acuto; seta nudiuscula. Epistoma apice leniter reflexum. Palpi paullo exserti, latiusculi, flavi, nigro-pilosi. Oculi ovati. Thorax cinereus, pubescentia erecta albida (pilis aliquot nigris mixta) & setis ordinariis obscuris vestitus. In dorso puncta circiter 10 fusca, quadrifariam disposita, ita ut in singula serierum lateralium adsint puncta 3, & mediarum tantum 2. Præterea lineola media abbreviata brunnea in exemplis bene conservatis observatur. Scutellum atrum nitidum, plerumque (in nostris) immaculatum, interdum macula utrinque laterali parva & subtus, flavum. Metathorax ater nitidus. Abdomen ovatum cinereum rigide albo-pubescens, pilis aliquot nigris immixtis; supra punctis fuscis in 4 series dispositis, mediis distinctioribus, lateralibus plus minus conspicuis. Segmentum ultimum atrum nitidum, in ♂ varietatis b. vitta longitudinali flava. Stylus ♀ brevis, longitudine segmenti ultimi, ater nitidus. Alæ fere ut in priori, sed puncta discoidalia alba plura & multo minora, horum 3 l. 4 in interstitio nervorum longit. 3 & 4, atque circiter 10 in interstitio nervor. long. 2 & 3, quorum posteriora subconglomerata; margo quoque omnis præsertim costalis & terminalis distinctius fusco-radiatus, radiis in apice alæ longioribus & subparallelis, horum medio sæpissime fuscato. Sub apice nervi auxiliaris macula longitudinalis nigra. Squamæ albæ. Halteres sordide albi. Pedes flavi, femoribus annulo medio angusto nigricante, subtus in ♂ albido-pilosis. Abdomen in var. b. in fundo rufescenti cinereum, perspicue fusco-punctatum.

Obs. Observante D. Senatore *von Heyden* (teste D. Prof. *Löw*) larvæ hujus speciei e gallis Hieracii sylvatici exclusæ fuerint.

48. *T. guttularis:* obscure cinerea; abdomine nigricante, incisuris cinereis, apice scutelloque toto atris nitidis; capite pedibusque flavis, femoribus nigro-fuscis; alis nigro-brunneis, punctis numerosis albis, marginalibus subquadratis, discoidalibus rotundis horum in interstitio

nervorum longitudinalium 3 & 4 circiter sex; oviductu ♀ longo, atro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Trypeta Meig. Dipt. 5. Hammonæ 1826. 341. 11. Löw Monogr. 101. 66. ♂♀. T. 2. f. 56 (ala). — *Acinia* Macq. Buff. 2. 471. 8. ♂♀. *Tephritis capitata* Fall. Supplem. 2:dum Dipt. Svec. Dissertat. Respondente *A. G. Dahlbom* Lundæ 1826. p. 14. n:o 16—17. ♂.

Hab. in Scandinavia meridionali & media 21 Jun.— 15 Aug., minus frequens; scilicet in Scania: ad Esperöd in paroecia Tranås, Esperöd in paroecia Mellby (in litore maris), ad Östra Ljungby in Kullen, &c.; in Blekingia ad Asarum, beat. *Fallèn*; in Smolandia uterque sexus, collectio *Ljunghii*; in Ostrogothia ad Gusum, Prof. *Wahlberg*; in Dania circa Hafniam primum a D. *Dahlbom*, & alia vice (28 Jul. 1841) in Gnaphalio arenario a D. *Stæger*, inventa.

♂♀. Color corporis obscurus, scutellum & anus atra nitida, femora nigricantia, alarum brunnearum discus albo-punctatus, punctis in interstitio nervorum longit. 3 & 4 plerumque 6, quorum 2 ante apicalem transversis, & limbus omnis albo-fuscoque tessellatus, speciem præcipue designant. Tribus proxime antecedentibus affinis & similis, sed a *T. irrorata* scutello toto atro, nec cinereo punctis 2 nigris, corpore non quadrifariam nigro-punctato, alis fere ad imam basin brunnescentibus; a *T. guttata* corpore obscuro, nec cinereo, femoribus brunneis, nec flavis, alarum punctis discoidalibus albis paullo numerosioribus; & a *T. pupillata* abdominis punctis non quadrifariam dispositis, femoribus fere totis brunneis, nec solum annulo medio nigricante, alarum punctis albis discoidalibus paucioribus & majoribus, margine omni albo-punctato, sed vix radiato, radiis saltem apicalibus (si fuscedo tessellata ita denominaretur) neque elongatis neque parallelis, præter alias notas, primo obtutu dignoscitur. — Frons lata, flava,

setosa. Antennæ mediocres, flavæ, apice vix acutæ, seta subnuda, alba, basi fusca. Antennarum articulus 2:dus apice nigropilosulus. Epistoma albicans. Genæ albo-pilosulæ. Palpi subexserti, latiusculi flavi, apice nigro-pilosuli. Thorax obscure cinereus, maculis indeterminatis obscurioribus. Scutellum & metathorax atra, nitida. Abdomen brunneo-nigrum, linea media interdum, & incisuris angustissime semper, cinereis; vel, si mavis, cinerascens, maculis in singulo segmento 2 maximis brunneo-nigris. Præterea abdomen obscure pubescens, segmentorum margine apicali rigide pallido-ciliatis; in ♀ sæpe detritum, ciliis tenacius adhærentibus. Segmentum ultimum nigrum nitidum. Anus ♂ subinflexus niger, oviductus ♀ longitudine segmentorum 3 ultimorum, conicus, basi valde incrassatus, totus niger nitidus. Alæ latiusculæ, ut in diagnosi pictæ. Tessellæ costales pone basin & ad medium ceteris magis coarctatæ. Halteres albidi. Pedes flavi, coxis, femoribusque fere ad apicem, nigro-brunneis, trochanteribus pallidis.

Obs. Nomen specificum *T. capitata* Falleni rejici & in *T. guttularis* Meigeni mutari debere, putavi, non eam ob caussam, quam insinúare voluit Professor *Löwius*, quod scilicet pars 5:te Dipterorum Meigeni, (in qua hæc species descripta exstat) ante Supplementum Falleni (ubi eadem species occurrit) exibita fuisset, nam eodem præcise anno (1826) e prelo ambo prodierunt opera, unde hoc vel illud nomen nullam prioritatem habet; sed quoniam nomen *capitata* jam 1824 pro specie *Tephritis* ex India orientali designanda a Prof. *Wiedemann* in Analectis entom. p. 55. n:o 124 adhibitum fuit.

49. *T. Gnaphalii:* cinerea, immaculata, capite albicante, antennis pedibusque rufo-flavis; alis albo-pellucidis, plaga postica magna nigro-brunnea, undique radiata, radiis omnibus marginem attingentibus, puncto discoidali in interstitio nervorum longitudinalium 3 & 4 albo unico; oviductu ♀ longissimo, atro. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—1 lin.).

Trypeta Gnaphalii Löw Monogr. 415. 72. T. 2. f. 68 (ala). — *Tephritis discoidea* Fall. Act. Holm. 1814. 171. 19. ♂♀. & Ortal. 12. 18. ♂♀. — *Trypeta æstiva* Meig. Dipt. 5. 351. 62. (e descriptione *Tephr. discoideæ* Falleni transscripta).

Hab. in Gnaphalio arenario in campis aridis plerumque in vicinitate Pini sylvestris, per Sveciam meridionalem passim copiose, nec supra Scaniam hactenus observata; sed in Scania ex. gr. ad Gyllebo, Esperöd (*Wahlberg*), Raflunda, & ad prædium Silfåkra in paroecia ejusdem nominis certis annis in floribus Gnaphalii arenarii abundanter visa; ex Hafnia a D. *Stæger* missa.

♂♀. Minuta. Corpore cinereo immaculato, alarum macula postica nigra sat magna radios undique etiam ad apicem emittente, & oviductu ♀ longissimo conico atro, ab affinibus distincta. Caput albidum. Frons lata, subdepressa, plana, parum l. tenuiter tantum albido-pilosula. Epistoma parum infra oculos rotundos descendens, genis brevibus. Palpi subretracti: Haustellum geniculatum, proboscide, plerumque prominula, elongata, crassiuscula. Thorax, scutellum, metathorax & abdomen cinerea immaculata, omnium tenuissime albo-puberula. Oviductus ♀ longitudine abdominis, conico atro nitido. Alæ albo-pellucidæ. Pone basin, ubi cellulæ basales terminantur, fasciola transversa abbreviata fusca sæpe obsoleta. Deinde plaga discoidalis magna nigro-brunnea, quæ mox ante medium alæ incipiens, in summum usque marginem emittit radios circiter 10, quorum 1:mus (in costa) apicem nervi auxiliaris, 3:tius latus maculiformis apicem nervi longitudinalis secundi, 5:tus 6:tusque petiolato-furcati apicem nervorum longit. 3 & 4, & 9:nus nervum transversum ordinarium totum apicemque nervi longit. qvinti, transeunt; 10:mus sæpissime abbreviatus. Insuper adest in interstitio nervorum long. 3 & 4 mox pone nervum transversum medium punctum solitarium majusculum

rotundum album. Halteres albi. Pedes toti flavi. — Variat puncto adhuc uno alarum subdiscoidali albo (in interstitio nervorum longit. 4 & 5 mox ante nervum transv. ordinarium) aut libero ut in figura Löwii, aut cum pelluciditate marginis confluente.

Obs. Nomina *discoidea* & *æstiva* pro duabus aliis hujus generis speciebus jam a *Fabricio* usitata sunt; ergo neutrum eorum pro hac tolerandum. Victus vero insecti mutationem nominis Falleniani & Meigeniani in *Gnaphalii*, a *Löwio* factam, omnino justificat. — Forte *Trypet. terminata* Meig. Dipt. 5. 343. 47. T. 50. f. 10. ut varietas huic subjicienda? Sin minus illa mihi plane ignota.

50. *T. Cometa:* cinerea, immaculata, capite albicante, fronte, antennis pedibusque rufo-flavis; alis albo-pellucidis, plaga postica modice magna nigro-brunnea, undique radiata, radiis omnibus marginem attingentibus, interne connexa cum fasciola costali media obliqua dilute fusca; oviductu ♀ breviusculo rufo, apice nigro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Trypeta cometa Löw Ent. Zeit. 1840. p. 157. 2. Monogr. 408. 70. ♂♀. T. 2. f. 60 (ala). — *Tephritis radiata* Fall. Ortal. 12. 19. ♂♀. certissime (exclus. synon. Fabr. & Panz.)

Hab. in Carduo (Serratula) arvensi & aliis plantis, per Sveciam meridionalem & mediam, Aug. Septemb., rarius; nempe in Scania ad Abusa & Silfåkra parce; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad Wadstena (14 Sept.) rarissime, ipse; in Uplandia in horto botanico Upsaliensi, D. *Haeffner* affirmante D. *Fallèn;* in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Corpus griseo-cinereum immaculatum, alarum plaga postica nigricans mediocris radios integros undique emittens & cum macula costali media obliqua subobsoleta inferne conjuncta, nec non oviductus ♀ breviusculus rufescens, speciem denotant. Caput latum cum orbitis oculorum flavo-album, fronte flava. Antennæ, & palpi mediocres, flava. Epistoma haud descendens. Oculi majusculi, rotundati. Corpus tenuiter pallide pubescens, in exemplis detritis, qualia descripsit *Fallén*, "abdomen nigricans". Oviductus ♀ longitudinem segmenti ultimi paullo excedens, rufescens, apice nigro, nigredine in medio acumen emittente. Alæ albo-pellucidæ. Pone medium alæ juxta costam plaga mediocriter magna nigro-brunnea, circiter 10-radiata, radiis inæqualibus, horum quatuor costales, nempe 1:mus tenuis, 2:dus & 3:tius breves lati, 4:tus brevis angustus, duo (nempe 5:tus & 6:tus) apicales furcam petiolatam formantes, & qvatuor reliqui ad marginem interiorem tendentes, nempe 7:mus & 8:vus elongati integri, 9:nus longissimus etiam integer nervum transversum ordinarium & apicem nervi longit. 5:ti transit, 10:mus incompletus vix ad nervum long. 5:tum extensus, interdum deficiens. In margine interiore hujus plagæ nigræ plerumque includuntur puncta 1 vel 2 minuta alba & 3:tium in angulo interiori (mox ante nervum transv. medium) majusculum rotundatum album interdum apertum. Fere in medio costæ ex apice nervi auxiliaris exit fasciola obliqua plus minus dilute fusca, quæ ad costam modice lata sensim attenuatur & tandem cum plaga nigricante juxta nervum transversum medium fere coit. Intra nervum long. 5:tum versus ejus medium puncta 2 strigiformia remota fusca sæpe valde obsoleta adsunt. Halteres albidi. Pedes rufo-flavi.

Obs. 1. *Trypeta terminata* Meig. Dipt. 5. 343. 47. T. 50. f. 10 (ala) est forma, quæ mihi valde anceps videtur; saltem huc certe non pertinet, neque ad sequentem.

Obs. 2. Cum opera, Meigenianum pretiosum, & Löwianum figuris quoad delineationem alarum plerumque exactissimis commodum, ad quæ semper amandavi, sibi comparare & consulere paucis tantum Entomologis datur, alarum signaturas, e quarum diversi-

tate notæ specificæ in hoc genere in primis eliguntur, ipse sæpe fusius, quam optaverim, describere coactus fui, ne formæ, quas propositas & intellectas volui, cum aliis similibus in posterum confundentur.

51. *T. radiata:* læte cinerea, immaculata, capite albicante, antennis pedibusque lutescentibus; alis albo-pellucidis, plaga postica modice magna nigro-brunnea punctum album ad costam includente, inferne tantum radiata, radiis apicalibus deficientibus, nervis transversis infuscatis; oviductu ♀ mediocriter longo, nigro. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Fabr. Antl. 319. 16. Panz. Fn. Germ. 103. f. 21. ♀. — *Musca* Fabr. Ent. Syst. Suppl. 565. 157. *Trupanea* Schrank Fn. Boic. 3. 2525. *Trypeta* Meig. Dipt. 5. 343. 48. T. 50. f. 3. ♂. — *Acinia* Macq. Buff. 2. 472. 11. ♂♀. — *Musca stellata* Fuessl. Verz. 1125 (teste Löwio). Sulzer Ins. p. 216. T. 28. f. 12 (teste Panzero). — *Trypeta stellata* Löw Monogr. 411. 71. T. 2. f. 62 & 63. (alæ). — *Tephritis terminata* Fall. Ortal. 13. 20. ♂♀. certissime.

Hab. in campis aridis libenter litoralibus, sed etiam interioribus, Jul. Aug., per Sveciam meridionalem vulgaris, mediam rarius; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge *(Dahlbom)*, Silfåkra, Tygelsjö, Esperöd, Raflunda, Sandhammar &c., sæpe copiose; in Smolandia, Collect. *Ljunghii;* in Westrogothia, D. *Boheman*, 1835; in Gottlandia ad Hoburg, Wamlingbo, Ahlskog, Furillen &c. non parce; in Dania, D. *Stæger.* (E S:t Sever Galliæ exempla utriusque sexus sub nomine: "*Trypet. radiata* Meig.", a nobil. D. *Leon Dufour* etiam obtinui).

♂♀. Magnitudine plerumque parva, colore corporis glaucescenti cinereo, alis subangustatis albidis præter maculam posticam subcostalem nigricantem subimmaculatis, macula vero hac punctum solitarium album ad costam includente, radios tres tantum ad marginem interiorem emittente (radiis versus apicem nullis), nervo transverso medio anguste infuscato, ut & oviductu ♀ modice longo nigro, species designatur. — Caput album. Frons modice lata subplana tenuiter albo-setulosa. Antennæ l. flavæ, l. luteæ, vel fuscæ. Epistoma infra oculos rotundatos parum descendens. Instrumenta oris haud exserta. Proboscis longiuscula crassa. Thorax, scutellum & abdomen subglaucescenti cinerea, immaculata, tenuiter albido-pubescentia. Oviductus ♀ longitudine circiter segmentorum 3 ultimorum simul sumtorum, planiusculus, modice latus versus apicem angustatus, apice ipso truncato; totus ater nitidus. Alæ angustatæ albæ, ultra medium immaculatæ. Ante apicem macula costalis subquadrata nigro-brunnea, margine nonnihil varians, sed constanter punctum unicum album ad costam ad apicem nervi longit. 2:di includens, & tres saltem radios inferne versus marginem interiorem, sed omnino nullos versus apicem alæ, emittens. Inter hos tres radios angustos ille, qui nervum transversum ordinarium transit ad marginem interiorem non extensus, etiam numeratur. Nervus transv. medius infuscatus. E latere interiori maculæ nigræ plerumque quoque emittuntur 2 radii, alter ad costam, alter ad nervum longitudinalem 5:tum tendens, unde 2 oriuntur maculæ rotundatæ albæ, quarum altera ad costam, altera ad angulum interiorem maculæ nigræ (supra nervum transv. ordinarium) subincluduntur. Nervus auxiliaris elongatus fere pone medium costæ extensus. Halteres albidi. Pedes flavi, femoribus interdum plus minus infuscatis.

E multis varietatibus mihi in Svecia occurrentibus, magnitudine corporis, colore antennarum pedumque, ut & pictura alarum plus minus aberrantibus, tantum sequentes insigniores indicare volui:

Var. a. ♂♀. alis præter maculam posticam costalem nigricantem inferne tri- l. quadri-radiatam nervumque transversum medium infuscatum, omnino immaculatis; antennis pedibusque totis flavis, aut antennarum articulo ultimo femoribusque præsertim anticis fusco-brunneis. (Long. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ lin.); frequens.

Fabr. Fall. Panz. Meig. Löw var. 2 & 3 (e parte).

Var. b. ♂♀. magnitudine, antennis, pedibus & alis ut in variet. a., sed puncto etiam minuto fusco in medio nervi longitudinalis 5:ti & alio ejusdem coloris quoque minuto ad apicem nervi longitud. 3:tii; frequens.

Var. c. ♂♀. similis var. b., sed præterea alarum macula non lata in medio costæ (intra apicem nervi auxiliaris) fusca, plerumque brevi, ad nervum long. 2:dum tantum extensa, raro longiori fasciformi fere ad nervum longit. 3:tium descendente. — In Scania & Gottlandia passim.

Löw l. c. var. 1.

Var. d. ♂♀. similis var. a., sed e medio lateris posterioris maculæ alarum majoris nigricantis exeunt maulæ 2 parvæ fuscæ divergentes radios apicales inchoantes. Harum macularum parvarum una l. ambo sæpe interruptæ relictis tantum punctis 2 fuscis, uno in angulo apicali nervi longitudinalis 3:tii, & altero intra apicem alæ juxta nervum longitud. 4:tum. In campis sterilibus arenosis juxta litus maris ad Raflunda Scaniæ rarius.

Sectio secunda: alis immaculatis aut subimmaculatis.

52. *T. Serratulæ:* flavescens, tota pallide pubescens, antennis, palpis exsertis, pedibusque, pure flavis; thoracis dorso plaga discoidali postice biloba, metathorace nitido, abdominisque punctis quadrifariam dispositis, nigricantibus; pleuris dilute brunneo-vittatis; alis hyalinis immaculatis, stigmate pallido, nervis transversis modice remotis, medio perpendiculari, ordinario lenissime obli-

quo; oviductu ♀ longitudine segmentorum 3 ultimorum, ferrugineo. ♂♀. (Long. 1½ vix 2 lin. oviductu excepto).

Fall. Ortal. 11. 22. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. p. 460. n:o 1871. *Dacus* Fabr. Antl. 278. 27. *Trypeta* Löw Monogr. 119. 75. ♂♀. T. 2. f. 70 (ala). — *Tephritis pallens* Wiedem. Anal. ent. 51. 120. ♂. *Trypeta pallens* Meig. Dipt. 5. 347. 51. T. 50. f. 5. ♀.

Hab. in floribus plantarum variarum, mihi in Carduo lanceolato & palustri, Chrysanthemo leucanthemo & Cynoglosso officinali præprimis obvia, a medio Junii ad medium Augusti vigens, per Scandinaviam meridionalem & mediam vulgaris, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd, Kivik &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö & alibi non parce, beat. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., minime rara; in Westrogothia, beat. *Dalman*; in Ölandia passim; in Gottlandia ad Hoburg, Burgsvik, Boxarfwe, Kyllej, Stora Carlsön, Nähr, Storungs, Kapellshamn, &c., sat vulgaris; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg*; in Dania hinc inde, D. *Stæger*. (Ex Helsingforsia Finlandiæ a D. *W. Nylander* missa. E Posnania per D. *Stæger* communicata).

♂♀. Flavescens l. (viva) sæpe subvirescenti flavida, opaca. Caput latiusculum, albo-flavum, fronte saturatiori, orbitis oculorum albidis. Frontis setæ subpallescentes. Antennæ breviusculæ flavæ, articulo ultimo apice rotundato, toto aurantiaco, seta nuda, fusca, basi pallescente. Epistoma perpendiculare, breve, infra oculos haud descendens, apice non reflexum; genis breviter nigro-ciliatis. Palpi exserti, lati, aurantiaci, fusco-pilosuli. Proboscis retracta crassa testacea. Oculi majusculi, rotundati, in viva aureo-virides, linea media transversa aureo-fulgida. Thorax pallide flavus, disco dorsali toto nigricante,

nigredine postice in medio sat profunde fissa, limbo laterali & macula ante scutellum subulata albido-flavis; supra totus breviter pallide pubescens, setis ordinariis obscurioribus. Pleuræ pallide flavæ (in viva sæpe virescentes), horizontaliter ferrugineo-l. dilute brunneo-vittatæ, macula sterni nigricante. Scutellum flavo-subpellucidum. Metathorax ater nitidus. Abdomen (in viva subvirescenti-) flavum, pallide pubescens, segmentis posticis margine apicali & laterali parce nigro-setosis. Segmenta tria ultima singulum in basi punctis 4 nigris, lateralibus sæpe obsoletis. Præterea segmentum ultimum in ♂ longiusculum subconvexum apice utrinque (in margine inflexo) puncto nigro; in ♀ idem segmentum 4:to tantum paullo longius, planum. Oviductus ♀ longiusculus, latus, planus, versus apicem paullo angustior, apice ipso truncato, e quo vagina articulata subulata sæpe erumpit; totus ferrugineus nitidus, basi sæpissime maculis 2, & apice semper, nigris. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ, nervis basi flavidis. Stigma (interstitium inter apices nervorum auxiliaris & secundarii) pallescens. Nervus auxiliaris ad medium costæ extensus; spinula costæ omnino nulla. Nervi transversi: modice remoti, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti tertium sive ultimum secundo tantum duplo longius evadat; medius perpendicularis & apice nervi auxiliaris oppositus, ordinarius lenissime obliquus. Halteres pallidi. Pedes flavi, immaculati, nudi, femoribus anticis extus parce pilosulis.

53. *T. Wenigeri:* ferruginea, antennis, palpisque exsertis, aurantiacis; thoracis dorso plaga discoidali postice subquadridentata, nigra, pallide pubescente; metathorace nitido atro; abdomine fusco-brunneo, nigro-pubescente; pleuris non vittatis; alis hyalinis immaculatis, stigmate pallidissimo, nervis transversis modice remotis, medio perpendiculari, ordinario leniter obliquo; oviductu ♀ longitudine fere abdominis, ferrugineo. ♀. (Long. fere 2 lin. absque oviductu).

Trypeta Meig. Dipt. 5. 345. 51. T. 50. f. 4. ♀. — *Tryp. longicauda* Meig. Dipt. 7. 356. 80? ♀. — *Trypet. nigricoma* Löw Monogr. 122. 77. T. 2. f. 69 (ala.).

Hab. in Gottlandia rarissime, in prato ad Stenkyrka d. 30 Jul. 1841 specimen descriptum inveni.

♀. Priori valde similis & affinis, sed differt: colore corporis sordide ferrugineo, thoracis plaga dorsali nigricante postice subquadridentata punctis ante scutellum minutis nigris, nec profunde biloba, pleuris testaceis l. sordide ferrugineis immaculatis, nec vittatis, abdomine fusco-brunneo maculis distinctioribus nullis, supra toto nigro-pubescente, nec pallide pubescente, oviductu longiori, ut & alarum nervo transverso ordinario ni fallor paullulum magis obliquo. — Palpi non longe exserti. Abdomen obscure brunneum forte e maculis valde dilatatis & confluentibus brunneis, relictis tantum segmentis 1:mo & ultimo incisurisque omnibus tenuiter, nonnihil dilutioribus. Plagæ nigræ in thoracis postico dentes laterales longiores, at duo medii abbreviati minus conspicui, infra quos ante scutellum puncta 2 minuta nigra. Cetera ut in priori.

Obs. *Mas:* abdominis dorso maculis magnis nigricantibus in segmentis 2, 3 & 4, a *Meigen* l. c. describitur, mihi ignotus.

54. *T. dispar:* fusco-grisea, capite, antennis, palpis, scutello pedibusque rufo-flavis, femoribus anticis (in ♀) superne nigro-vittatis; alis hyalinis, aut maculis costalibus 2 fuscis (♂), aut subimmaculatis (♀); nervis transversis in utroque sexu modice remotis; oviductu ♀ ferrugineo. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Wahlberg in litt. — An *Tryp. Colon* Meig. Dipt. 5. 346. 52. est ♀ hujus?

Hab. in Gottlandia rarius, D. *Wahlberg*; in Centaurea scabiosa ad Nygårds paroeciæ Westerheide, & ad Fardume paroeciæ Ruthe uterque sexus inventus.

Mas: T. *Serratulæ* affinis, sed obscurior. Caput thorace fere latius, ferrugineum. Antennæ aurantiacæ, seta nuda fusca, basi pallida. Oculi in viva virides. Palpi tenues flavi, apice nigro-pilosi. Proboscis obscura. Thorax supra fusco-griseus opacus, breviter cinereo-puberulus, lateribus & subtus sordide albo-flavidus, nitidus. Macula sterni nigra. Scutellum flavum, basi fuscum. Metathorax niger, nitidus. Abdomen fusco-brunneum, subnitidum, tenuiter nigro-puberulum, ano nigro-setuloso. Alæ cinereo-hyalinæ, maculis 2 costalibus fuscis, quarum antica ad exitum nervi auxiliaris diluta fere pallescente, postica versus apicem alæ duplo l. triplo majore oblonga, infra nervum 3:tium longitudinalem paullo descendente, tota saturatius fusca puncta 2 alba ad costam includente. Nervi ut in priori directi, transversus ordinarius inferne puncto fusco notatus. Squamæ albæ. Halteres flavi. Pedes rufo-flavi, femoribus anticis superne vitta nigricante.

Fem. Alæ hyalinæ l. punctis in costa minutis notatæ. Oviductus rufus. A me non visa. A præcedente haud multum discedere videtur.

55. T. *Sonchi:* cinerea, opaca, tenuissime albido-puberula; capite, thoracis linea laterali, scutello pedibusque flavis; epistomatis apice exserto; haustello elongato geniculato; proboscide tenui; abdomine obscuro, incisuris flavis; alis albo-pellucidis aut immaculatis aut puncto costali strigulisque paucissimis fuscis, nervis transversis modice approximatis; oviductu ♀ breviusculo, nigro. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ fere 1 lin.).

Var. a. ♂♀. alarum strigulis l. punctis aliquot posticis langvide fuscis, macula punctiformi fusca in medio costæ ante apicem nervi auxiliaris plerumque perspicuiori.

Fall. Act. Holm. 1814. 174. 23. ♂♀. Ortal. 14. 23. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 746. 10. ♂♀. *Musca* Linn. Syst. Nat. 998. 121. ♀. *Ensina* Macq. Buff. 2. 474. 4. ♂♀.

Trypeta Meig. 5. 315. 50. & Ejusdem *Trypeta obsoleta* 5. 319. 60? ♂♀.

Var. b. ♂♀. alis immaculatis tantum in medio costæ dilute fuscis.

Hab. utraque varietas promiscue in floribus Sonchi & aliarum Compositarum, ab ineunte Julio usque ad finem Septembr., per totam Scandinaviam, alpibus tantum exceptis, vulgaris; in copula pluries capta; scilicet in Scania ubique frequens; in Smolandia passim; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena & aliis locis non parce; in Gottlandia ad Gothem, Garde &c., minime rara; in Helsingia ad Arbrå; in Norwegia ad Alstahaug & Oestre-Ness usque ad Suulstuen (in jugo alpino situm) adscendens; in Daniæ pratis & agris non raro, D. *Stæger.* (Ad Elisenheine & Eldena prope Gryphiam Sept. 1812 & 1814 a Cel. *Dahlbom* copiose collecta mihique communicata. — E Glogavia ut "in Apargia autumnali" capta a D. *Zeller* in utroque sexu etiam missa. — E Finlandia ex Aboa a D. Prof. *Sahlberg*, & ex Uleåborg a D. *Nylander* quoque obtinui.)

♂♀. Parva. Epistomate apice distincte porrecto, haustello longo geniculato, proboscide longa tenui, abdomine supra obscuro, incisuris pallidis, alarum saltem puncto costali fusco & oviductu ♀ non longo, nigro, ab aliis hujus Sectionis facile dignota. Caput albidum, fronte subdepressa, & antennis breviusculis, flavis. Epistoma breve, infra oculos transverse subovatos haud descendens, apice protrusum. Palpi latiusculi albi. Haustellum longitudine capitis dupla, sæpe pendulum, geniculatum, flavum, proboscide tenui flava. Oculi in viva aureo-virides. Thorax cinereus albo-pubescens lateribus albido-flavus. Pleuræ interdum testaceæ. Scutellum pallide flavum, interdum basi grisescens. Metathorax nigricans. Abdomen subnudum, ni-

gricans, incisuris & summo apice flavum, ventre pallescente. Oviductus ♀ longitudine segmentorum 2 ultimorum, niger. Alæ albo-pellucidæ, raro omnino immaculatæ, sæpissime macula parva rotundata plus minus fusca in costa mox ante apicem nervi auxiliaris; plerumque præter hanc maculam signaturis minutis valde langvidis, nempe puncto in angulo ad apicem nervi longitudinalis 2:di, strigula perpendiculari (nervo transverso ordinario opposita) in eodem nervo, & strigulis 1 vel 2 (sæpe deficientibus) in interstitio nervorum longit. 3 & 4 pone nervum transversum ordinarium, alæ ornantur. Nervi transversi subperpendiculares, interdum lenissime infuscati, ita distantes, ut segmentum nervi longit. 4:ti ultimum antecedente saltem duplo longius evadat. Halteres pallidi. Pedes flavi, interdum ferruginei. — Variat abdomine nigricante segmento tantum ultimo apice flavo.

56. *T. Stigma:* nigra nitida, capite, thoracis obscure cinerascentis linea laterali, scutello pedibusque flavis; epistomatis apice non exserto; haustello elongato geniculato; proboscide longa tenui; alis albo-pellucidis, macula parva stigmaticali nigra, nervis transversis modice remotis; tarsis apice nigris; oviductu ♀ brevi, nigro. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Löw Ent. Zeit. 1840. p. 156. 1. Ejusdem Monogr. 428. 80. ♂♀. T. 2. f. 72 (ala.).

Hab. in Svecia certe rarissime, in Ostrogothia ad Häradshammar in Lathyro pratensi & Trifolio pratensi, a D. Doct. *Stenhammar* inventa, mecumque in utroque sexu benevole communicata. (Mihi ex Aboa Finlandiæ ante plures annos a D. Prof. *Sahlberg* etiam missa.)

♂♀. Corpore nigro nitido, macula stigmaticali distinctiori, tarsis apice nigris &c., ab antecedentibus hujus Sectionis statim dignoscitur. Priori paullo robustior, & ab illa præter colorem

corporis tarsorumque apicis nigrum differt etiam alarum nervis transversis magis distantibus. Caput albicans, fronte & antennis flavis. Epistoma perpendiculare, infra oculos rotundatos parum descendens, neque apice reflexum. Palpi haud exserti. Haustellum geniculatum & proboscis elongata, tenuis, flava. Thorax niger, dorso leviter cinerascens, linea laterali pallide flava, & mox ante radicem alæ juxta lineam lateralem utrinque puncto minuto ejusdem coloris. Scutellum pallide flavum, basi puncto utrinqne nigricante. Abdomen totum subænescenti nigrum, immaculatum, nitidum; nigro-pubescens. Oviductus ♀ brevis, incrassatus, conicus, niger nitidus. Alæ albido-hyalinæ, immaculatæ præter punctum majusculum maculiforme nigrum in angulo apicis nervi auxiliaris & costæ. Apex alæ quoque langvide fuscus. Nervi ad basin alæ dilute flavi. Spinula costæ nulla. Nervi transversi ita remoti ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti ultimum antecedente tantum dimidio longius evadat. Squamæ minutæ & halteres albida. Pedes flavi, coxis posticis & tarsorum omnium articulis 2 ultimis nigris.

---

155. PSAIROPTERA Wahlb.

Corpus minoris magnitudinis, elongatum, subcylindricum, aut saltem angustatum, duriusculum, punctulatum, tenuissime puberulum, setis verticis, thoracis scutellique paucissimis. Caput latiusculum. Frons lata depressa subplana, margine antico breviter prominens. Antennæ sub frontis margine prominulo insertæ, deflexæ, breves, remotæ, articulo ultimo compresso, apice rotundato, basi seta dorsali capillari nuda. Epistoma subperpendiculare, breve, infra oculos vix l. parum descendens, latum, nudum, margine antico semicirculari, non reflexo. Apertura oris ampla. Organa cibaria parum exserta. Palpi subclavati & proboscis pilosula. Genæ breves. Oculi in utroque sexu late distantes, majusculi, subrotundati l. transverse sub-

ovati, nudi. Thorax subcylindricus, absque sutura transversa, parum nitidus. Scutellum margine 4-setosum, setis 2 apicalibus majoribus. Abdomen cylindrico-conicum l. sublanceolatum, sessile, segmentis 5, subæque longis; nudiusculum, nitidulum. Alæ longitudine abdominis l. illo nonnihil longiores, irisantes, nervis fere ut in *Ortali* directis; horizontaliter vibrantes, in quiete incumbentes. Nervi longitudinales recti, auxiliaris saltem ad medium costæ l. ultra productus; 3:tius in apice alæ excurrens & 4:tus versus apicem alæ paralleli; 6:tus fere usque ad marginem interiorem extensus; transversi subperpendiculares, recti, modice remoti: medius apici auxiliaris suboppositus, ordinarius paullo ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longit. 4:ti ultimum antecedente duplo longius evadat. Areolæ 2 mediæ ad basin alæ æque longæ. Spinula costæ nulla. Alula parva. Squamæ minutæ. Halteres nudi, clava majuscula. Pedes breviusculi, validi l. mediocres, subnudi inermes, coxis mediocribus, tibiis posticis leniter curvis. *Color* niger. Pictura nulla. *Motus:* alæ insecto currente ut crura forcipis horizontaliter motitantur (hinc nomen generis) nec erectæ vibrantur. *Habitatio* in pratis & sylvis; imagines truncis arborum sæpe insidentes vel supra illos sursum & deorsum currentes, alas sub hoc cursu perpetuo motitantes. Volatum, periculo instante, brevem & determinatum ægre tentant. Larvæ sub cortice Pini aut Populi Tremulæ degunt metamorphosinque subeunt. Pupæ (pupis *Piophilæ casei* similes) cylindricæ, 10-annulatæ, nudæ, brunneæ, subnitidæ. *Differentia sexus; mas:* apice abdominis obtuso, truncato; femina: stylo anali breviusculo, oviductu articulato, subulato, in viva plerumque retracto, in mortua sæpe longe erumpente. Habitus *Sepsis. Typus* generis: *Ps. albitarsis.* Species Scandinaviæ hactenus 4 inventæ, omnes in copula captæ fuerunt, sed semper similis tantum cum simili, nec promiscue.

1. *Ps. albitarsis:* oblonga punctata nigra, epistomate halteribusque albis; antennis rotundatis fuscis; fronte latissima antice rufo-flava; metatarsis rufis; alis hyalinis,

stigmate nigro maculisque costalibus 2 fuscis, 1:ma substigmaticali plerumque valde langvida, 2:da terminali subtrigona ad apicem alæ, sed non infra nervum longitudinalem 3:tium, extensa. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Homalocephala albitarsis Zett. Ins. Lapp. 1837. p. 719. 1. ♂♀. *Psairoptera biumbrata* Wahlb. Act. Holm. 1838. n:o 2. ♂♀.

Hab. in Scandinavia media & boreali, a medio mensis Junii usque ad Septemb., passim; pupæ sub cortice Pini putrescenti, etiam sub foliis putrescentibus pluries inventæ; sequentibus paullo frequentior; occurrit in Ostrogothia ad Gusum, D. Prof. *Wahlberg*; in Westrogothia, D. Doct. *P. Edgren* (teste *Wahlberg*); in Uplandia ad Holmiam, idem *Wahlberg*; in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven & ad Villam Säther juxta Krokumselfven prope urbem Östersund Aug. non raro, ipse; in eadem provincia altera vice quoque a D. *Boheman* deprehensa; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi pupæ sub cortice Pini gregatim captæ & declaratæ. (Ex Uleåborg Finlandiæ specimen masculum a D. Mag. *W. Nylander* etiam missum.)

♂♀. Epistomate pure, halteribusque, albis, antennis rotundatis fuscis, fronte latissima antice indeterminate fulvescente, corpore evidenter punctulato, tarsorum articulo 1:mo rufescente, ut & alarum maculis binis fuscis, quarum una sub stigmate atro valde obsoleta & altera terminali usque ad apicem alæ producta, sed non infra nervum 3:tium longitudinalem descendente, a sequentibus facile distingvitur. *Piophilæ casei* habitu similis, sed fere paullo major. Frons plana opaca, macula antica fulva. Vertex nitidus, occiput & genæ, nigra. Epistoma brevissimum, infra oculos anguste descendens, semicirculare, niveum. Palpi picei. Proboscis obscura. Thorax subopacus.

Abdomen nitens. Oviductus ♀ in mortua erumpens, longitudine fere abdominis, subulatus, niger. Alarum maculæ costales 2 fuscæ, antica sub linea stigmaticali atra plerumque tantum in umbra langvida observanda, infra nervum long. 4:tum haud descendens, nervum transv. medium includens; posterior magis perspicua præsertim ad exitum nervi long. 2:di saturata, ad summum apicem alæ ita dilatata, ut totum interstitium terminalem nervorum long. 2 & 3 impleat, sed infra nervum 3:tium non descendat; hinc apex alæ supra nervum long. 3:tium fuscus, infra vero hyalinus. Præterea alarum ima basis albida. Pedes breviusculi validi nigri, coxis anticis saltem apice, trochanteribus anticis, geniculis summis metatarsisque omnibus rufo-flavis.

Var. b. ♂♀. corpore nigro-piceo, antennis pedibusque rufo-piceis, tarsis dilutioribus, alis immaculatis, stigmate tantum obscuro & vestigio maculæ apicalis in apice nervi long. 2:di. — Juvenilis, nuper e nympha declarata. Talia fuerunt exempla ad Juckasjervi Lapponiæ collecta. Cfr. Ins. Lapp.

2. *Ps. bimaculata:* oblonga punctata nigra, epistomate halteribusque albis; antennis rotundatis, genis pedibusque rufescentibus; fronte latissima antice rufo-flava; alis hyalinis, stigmate nigro maculisque costalibus 2 subquadratis fuscis saturatis, 1:ma substigmaticali, 2:da terminali non ad summum apicem alæ, sed paullo infra nervum longitudinalem 4:tum, extensa. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Wahlb. Act. Holm. 1838. n:o 1. ♀.

Hab. in truncis cæsis Populi tremulæ per Sveciam mediam & borealem Jun.—Aug. minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, qui specimina typica utriusque sexus & ex hac & e reliqvis pro sua solita liberalitate mecum amicissime communicavit; in

Jemtlandia ad Säther & Faxelfven invenimus D. *Dahlbom* & ipse.

♂♀. Alis distincte nigro-bimaculatis, nec non genis pedibusque rufescentibus, ab omnibus dignota. His notis ut & macularum in alis forma & intensitate a præcedente, cui de cetero simillima, vere differt. Maculæ nempe alarum majores, subquadratæ, magis determinatæ, nigricantes; harum 1:ma cum nigredine stigmatis confluit, fere ad nervum longit. 4:tum dilatatur & angulo suo inferiori postico juxta nervulum transversum medium terminatur; 2:da mox ante apicem alæ sita, paullo infra nervum longitudinalem 3:tium quadratim extenditur, relicto ipso apice alæ hyalino immaculato. Pedes breviusculi, validi, toti cum coxis rufescentes.

3. *Ps. apicalis:* anguste oblonga subtiliter punctulata nigra, epistomate albo; antennis oblongiusculis subporrectis halteribusque nigro-fuscis; margine antico frontali summo metatarsisque sordide albido-rufis; alis hyalinis, lineola maculiformi ad basin costæ, stigmate, maculaque terminali in summum apicem alæ extensa, determinatis nigris. ♂♀. (Long. ♂ 1—$1\frac{1}{4}$, ♀ $1\frac{1}{4}$ vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Wahlb. Act. Holm. 1838. n:o 3. ♂♀.

Hab. cum prioribus passim; nempe in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.* (Ex Uleåborg Finlandiæ individuum femineum a D. *Nylander* 1845 etiam obtinui.)

♂♀. Corpus subtilius punctulatum, halteres nigri, nec albi, alarum macula basalis ad costam fusca, stigma atrum sine umbra substrata, & macula terminalis in ipso apice alæ determinata nigricans, speciem veram designant. Præter has notas differt etiam a prioribus: fronte lata, sed non latissima, tota nigra margine summo tantum rufo-flavo, nec macula magna ante antennas fulva, antennis nonnihil magis oblongis & magis

porrectis, ut & palpis proboscideque nigris. A proxime præcedente pedibus totis nigris, tarsorum articulo primo tantum flavo-rufescente, simul dignoscitur. Nervus auxiliaris e confluente nervo secundario ad basin alæ incrassatus ater, fuscedine ad costam adjacente. Stigma determinatum atrum absque vestigio maculæ fuscæ subtus. Macula apicalis subtrigona parva, sed determinata nigro-fusca, ipsum apicem alæ tangit, nervos longitudinales 2 & 3 paullulum excedens.

4. *Ps. angustata:* sublinearis subtiliter punctulata nigra, epistomate sordide albido; antennis oblongis deflexis fuscis; fronte modice lata æneseenti nigra; alis hyalinis, stigmate nigro & macula terminali totum apicem alæ cingente indeterminata fusca; halteribus albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Wahlb. Act. Holm. 1838. n:o 4. ♀.

Hab. in Ostrogothia ad insigne illud Gusum, parce, D. Prof. *Wahlberg.*

♂♀. Per staturam corporis magis angustam & subcylindricam *Sepsem putrem* mentientem, frontem modice tantum latam inæqualem subænescentem, antennas suboblongas, epistoma sordide albidum, nec niveum, genas longiusculas, pedes immaculatos, & denique alarum maculam terminalem dilute fuscam totum fere apicem alæ occupantem, a prioribus satis superque distincta. Hujus ut videtur generis. Frons foveola antica lata, sed parum profunda, striata; tota ænescenti nigra nitida, summo margine antico vix testaceo. Epistoma breve, forte tamen paullo longius quam in prioribus, apice antico leniter elevato, sed vix reflexo. Genæ majusculæ nigræ. Palpi & proboscis nigra. Oculi rotundi. Thorax & abdomen subnitida. Alæ cinereo-hyalinæ, irisantes, stigmate lineari nigro sine vestigio umbræ infernæ. Macula apicalis fusca diluta, in costa paullo ante exitum nervi longitudinalis 2:di incipit, totum apicem alæ sublunatim cingit & ad exitum nervi longitudinalis 4:ti termina-

tur. Pedes mediocres, paullulum longiores quam in prioribus, toti cum coxis brevibus nigri.

---

156. PALLOPTERA Fall.

Corpus minoris magnitudinis, oblongo-ovatum, molliculum, læve, tenuiter puberulum, setis paucis in vertice, thoracis lateribus, scutelli margine & abdominis apice. Caput rotundatum. Frons in utroque sexu lata; non prominens. Antennæ deflexæ, breves, compressæ, apice rotundatæ, basi seta dorsali nuda aut breviter puberula, raro breviter subplumata. Epistoma perpendiculare, breve, infra oculos parum descendens, nec apice nisi lenissime reflexum, subimpressum; totum nudum. Haustellum geniculatum crassum. Proboscis crassa carnosa. Palpi subcylindrici. Genæ non longæ. Oculi rotundi, late remoti, nudi. Thorax absque sutura transversa. Scutelli setæ marginales 4, æque longæ, sat fortes. Abdomen 5-annulatum, segmentis subæque longis, 1:mo tamen ceteris paullo majori, & ultimo nonnihil minori; ano ♂ non clavato. Stylus ♀ longe erumpens. Alæ abdomine nonnihil longiores, erectæ vibrantes; in quiete incumbentes. Nervi longitudinales: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus; 3:tius in ipso apice alæ excurrens & 4:tus pone transv. ordinarium paralleli; nervi transversi remotiusculi, subperpendiculares, recti, medius apici auxiliaris fere oppositus, ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Areolæ ad basin alæ geminæ æque longæ. Alulæ parvæ. Spinula costæ nulla. Squamæ parvæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, simplices, inermes (tibiis intermediis apice subunicalcaratis), parce pilosuli. *Color* cinereus aut flavus. Alæ sæpe pictæ. *Motus:* alis vibrantibus serpit; tarde volat. *Habitatio* in floribus & foliis plantarum. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* oviductu erumpente longitudine circiter segmentorum 3 l. 4 ultimorum simul sumtorum, articulato subu-

lato. *Typus* generis: *P. Umbellatarum. Palloptera* generi *Sapromyzæ* (infra 159) valde similis, sed pedibus semper simplicibus, alis vibrantibus & oviductu ♀ longe erumpente, dignota.

*. Thorax cinereus. Proboscis retracta.

1. *P. Umbellatarum:* cæsia opaca, capite albicante; antennis testaceis; pedibus flavis; alis albo-hyalinis, nervis transversis late, costa anguste, apiceque, fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere $2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 750. 1. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 354. 171 (exclus. syn. Linn. *Musca Hyoscyami).* — Rossi Fn. Etr. 481. 1534. *Dacus* Fabr. Antl. 277. 20. *Trupanea* Schrank Fn. Boic. 3. 2521. *Sapromyza* Meig. Dipt. 5. 269. 26. ♂♀. Macq. Buff. 2. 402. 27. *Musca gangrænosa* Panz. Fn. Germ. 59. f. 22. ♂. *Palloptera* eadem Fall. Ortal. 24. 1. ♂♀. An *Musca Germinationis* Linn. Fn. Sv. 1874?

Hab. in foliis fruticum, floribus Umbellatarum, Arctii Lappæ &c., per hortos & prata fere totius Scandinaviæ, excepta forte Lapponia propria, ab ineunte Julio usque ad medium Septembris, vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh*, in cujus collectione sub nomine. "*Musca germinationis* Linn. vera" asservatur; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena &c., non parce; in Gottlandia ad Lummelund, Gothem, Thorsborg, Malms, Kyllej, Furillen, Rhone &c., frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Wermelandia ad Årås; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Gestricia ad Hamrånge rarius; in Norwegia ad Christianiam, D. D. *Dahlbom & Moë,*

ad Thynäs rarius, ipse; in Dania frequens, D. *Stæger.* (Ex Helsingforsia ut rara Finlandiæ incola a D. *Nylander* missa).

♂♀. Corpore glauco-cinereo, ut & alarum nervis transversis late, costa saltem ex parte, apiceque toto, fuscis, a sequentibus facillime dignoscenda. Opaca. Frons antice flava, postice cinerea, albo-micans. Antennæ testaceæ l. fulvescentes. Epistoma albicans. Palpi & proboscis testacea, haud exserta. Oculi ferruginei, æneomicantes. Thorax cæsius, ad latera saltem sat fortiter setosa, setis ad basin puncto minutissimo atro. Scutellum cinereum, apice raro testaceum. Metathorax cinereus. Abdomen cinereum, ano plerumque testaceo. Segmenta præsertim antica margine apicali interdum etiam pallescunt. Venter pallescens. Stylus ♀ analis basi crassior, apice subulatus. Alæ albo-hyalinæ, signaturis fuscis ut in diagnosi. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem leniter divergentes. Nervi transversi perpendiculares, horum medius apici auxiliaris oppositus, ordinarius ante medium areæ ultimæ ita insertus, ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti ultimum antecedente fere $1\frac{1}{2}$ longius evadat. Halteres albi. Pedes toti cum coxis flavi. Femora antica setulosa.

Alæ signaturis fuscis valde ludunt. Sequentes præcipuas hoc respectu varietates observavi:

Var. a. ♂♀. Puncta fusca paullo pone basin alæ duo, unum parvum in medio, alterum (interdum obsoletum) paullo majus non longe a margine interiori; macula majuscula indeterminata ad exitum nervi auxiliaris; costa fere tota plus minus anguste l. late fusca; apex totus sat late lunatim fuscus; nervi transversi late fuscedine cincti. — Vulgaris.

Var. b. ♂♀. alarum signaturis fuscis ut in var. a., sed loco maculæ apicis lunatæ puncta tria majuscula apices nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 cingentia. Gottlandia, Gestricia, Norwegia, passim.

Var. c. ♂♀. alis ut in var. a. vel b. pictis, sed nervi transversi singuli (& in primis medius) punctis 2 (unum scilicet ad utrumque apicem) majusculis fuscis, nec toti fuscedine cincti. Lund Scaniæ, Lärketorp Ostrogoth., Thorsborg Gottl., passim.

Var. d. ♂♀. alis fere totis albo-hyalinis, signaturis fuscis plerisque nempe aut fere deficientibus aut parvis & langvidis, nervis transversis duobus semper, & apicibus nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 sæpius, fuscedine valde angusta cinctis. Scania, Smolandia, Ostrogothia, Finlandia, non rara.

Obs. Synonyma *Fabricii, Panzeri, Falleni, Meigeni* & *Macqvarti* indubia. An quoque *Musca Germinationis* Linnæi eadem? Descriptio in Fauna Svecica non repugnat, frequentia speciei affirmat. Nam insectum per totam Sveciam divulgatum Viro valde circumspecto vix fugere potuit. Nec cum alio in Fn. Svecica Linn. introducto quadrat nostra *Palloptera Umbellatarum.* Cfr. *Opomyza Germinationis* genus 168. 1., hujus Operis infra. *Musca* vero *Germinationis* Schrank Ins. Austr. 473. 961: "thorace ferrugineo, abdomine nigro, pectore pallido"; & *Musca* eadem Rossi Fn. Etr. 482. 1536: "corpore nitente, pedibus nigris", huc certe non referri possunt, licet Linnæi Systema Naturæ & Fauna Svecica & a *Schrank* & a *Rossi* citata fuerint.

2. *P. usta:* cinerea opaca, capite albicante; fronte antice determinate, antennisque fulvescentibus; scutello subtestaceo; abdomine obscuro nitido; pedibus flavis; alis albo-hyalinis, nervo transverso ordinario late, macula stigmaticali apiceque fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 750. 2. ♂♀. *Sapromyza* Meig. Dipt. 5. 270. 28. An *Sapromyza scutellata* Macq. Buff. 2. 403. 30? ♀.

Hab. in foliis fruticum Sveciæ & Lapponiæ, 2 Jul. —4 Octobr., passim; feminæ in fenestris & truncis Pini sylvestris & Abietis versus autumnum mihi quoque in-

terdum obviæ; capta est in Scania ad Lund, Fogelsång, Abusa &c., non raro; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Omberg & Wadstena minus frequens; in Westrogothia ad Sparresäter, D. Mag. *Kinberg;* in Ångermannia ad Hernösand; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Lycksele passim; in Lapponia Tornensi rarissime; in Norwegia ad Thynäs parce.

♂♀. Simillima priori, sed plerumque paullo minor & præcipue nervo transverso tantum ordinario (nec simul medio) late infuscato, statim dignota. Frons cæsia, albo-micans, antice ad medium determinate fulva. Antennæ fulvescentes. Epistoma albidum. Organa oris non exserta. Occiput in illæsis cinereum. Thorax cinereus (nec glaucus), opacus. Scutellum plerumque testaceum, in senioribus ex cinereo micans. Abdomen fusconigricans, nitidum, ano sæpissime testaceo. Alæ albo-hyalinæ, basi puncto minuto nigro. Paullo ante medium costæ, ad exitum nervorum auxiliaris & secundarii, macula majuscula nigro-fusca. Paullo pone medium costæ incipit macula terminalis fusca, quæ totum apicem alæ cingit & ad apicem nervi long. 4:ti continuatur. Nervi transversi late distantes, horum medius paullo ante apicem nervi auxiliaris insertus, omnino immaculatus, at ordinarius late fuscedine cinctus. Hæ signaturæ rarius & in nuper tantum exclusis langvidæ. Halteres albidi. Pedes flavi, tarsis summo apice fuscescentibus.

Variat ♂♀ callo humerali subtestaceo.

3. *P. ustulata:* cæsia opaca, capite albicante; antennis flavis; scutello, abdomine pedibusque, pallidis; alis cinereo-hyalinis, ad apicem langvide fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ortal. 24. 2. ♂♀. *Sapromyza* Meig. Dipt. 5. 268. 25. Macq. Buff. 2. 400. 17. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis roridis Sambuci nigræ, Betulæ albæ &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam a fine Mensis Maji usque ad finem Septembris mihi obvia, in copula aliquoties etiam capta; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Tranås, Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Kjellunge rarius; in Dania parce, D. *Stæger*. In provinciis Scandinaviæ septentrionalibus hæc species nondum observata fuit.

♂♀. Prioribus iterum similis, sed scutello, abdomine pedibusque pallide flavis, ut & alis immaculatis, excepto apice leniter fusco, abunde diversa. Frons flavo-alba, vertice canescente. Antennæ flavæ, seta microscopice puberula. Epistoma albidum. Palpi & proboscis pallida. Oculi majusculi, in viva rufo-ferruginei, æneo-micantes, unicolores. Thorax cæsius, callis humeralibus pallidis. Scutellum pallidum. Metathorax cinereus. Abdomen pallide flavum, subnitidum, dorso præsertim maris in medio sæpe leniter & indeterminate cinereo-maculato. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ, basi pallescentes. Nervi longitudinales 2 & 3 ad apicem fuscedine cincti, in apice nervi 3:tii in primis diluta. Nervi præterea ut in *P. usta* directi. Halteres albidi. Pedes toti pallide flavi.

Variat uterque sexus juvenilis alis totis etiam apice omnino immaculatis, qualem in Gottlandia in paroecia Hall ad villam Westö &c. aliquoties invenerim.

Obs. Individuum femineum parvum certe hujus ut "*Scatophaga signata* ♀" in Museo Falleniano exstat. — Femina vero vera *Scatophagæ (Psilæ) signatæ* adhuc latet.

**. Thorax flavo-ferrugineus. Proboscis subexserta.

4. *P. arcuata:* ferrugineo-flava, immaculata, opaca; alis albido-hyalinis, macula stigmaticali, nervo transverso ordinario late, apiceque arcuatim, fuscis; nervis transversis longe remotis, horum medio mox ante apicem auxiliaris inserto; seta antennarum distincte pubescente. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Fall. Ortal. 25. 3. ♂♀. certe. — *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 353. 170? *Dacus arcuatus* Fabr. Antl. 277. 19? (*) *Sapromyza arcuata* Meig. Dipt. 5. 269. 27. ♂♀. Macq. Buff. 2. 421. 22.

Hab. in foliis fruticum & floribus Umbellatarum per hortos & prata sylvatica, ab initio Julii usque ad medium Septembris, mihi præsertim in Scandinavia meridionali ibidem vero sat vulgariter obvia; nempe in Scania ad Abusa prope Lund, Tranås, Esperöd, Ausås (in Kullen), &c., frequens; in Ostrogothia *(Wahlberg)*; in Dalecarlia, D. *Boheman*, qui specimina communicavit; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, teste D. *Wahlberg*; in Dania ad Hafniam in Chærophyllo non parce, D. D. *Stæger* & *Dahlbom.*

♂♀. Pubescentiam in antennarum seta, picturam alarum & nervorum transversorum distantiam longam probe observes, ut speciem a seqventibus bene distingves. Tota ferrugineo-flava, immaculata, opaca. Frons saturate flava, puncto ocellorum nigro. Antennæ breves, oblongiusculæ, fulvescenti flavæ, seta distincte pubescente l. breviter subplumulata, fusca. Epistoma perpendiculare, albo-micans. Thorax setis ordinariis nigris. Scutellum convexum pallide flavum, setis 4 nigris. Abdomen

---

*) Conferantur synonyma *Tephritis Arnicæ* hujus Operis pag. 2214 & 2216. n:o 28.

parcissime nigro-pubescens. Oviductus ♀ erumpens longitudine abdominis, basi crassiusculus, apice subulatus, totus fusco-testaceus. Alæ albo-hyalinæ. Ad apicem nervorum auxiliaris & secundarii macula majuscula, indeterminata, fusca, quæ ad costam saturata, infra vero dilutior evadat, & ad nervum longitudinalem in vicinitate nervi transversi medii descendit. Ipse tamen nervus transv. medius vix l. lenissime tantum infuscatus. Macula terminalis arcuata distincta fusca sat longe ante apicem nervi longit. 2:di in costa incipit, totum apicem alæ sequitur & ad nervum long. 4:tum cessat. Nervus transv. ordinarius, qui late, præsertim inferne, fuscedine cinctus, maculam 3:tiam fuscam efficit. Nervi transversi late distant, horum ordinarius mox ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longit. 4:ti ultimum antecedente longitudine parum, saltem non dimidio, excedat. Halteres & pedes toti pallide flava, tarsis non infuscatis. Femora antica extus paree pilosula.

5. *P. trimaculata:* ferrugineo-flava, immaculata, opaca; alis albido-hyalinis, macula stigmaticali, nervis transversis, apiceque arcuatim, fuscis; nervis transversis modice remotis, horum medio apici auxiliaris opposito; tarsis apice fuscis; seta antennarum nuda. ♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Sapromyza trimaculata Meig, Dipt. 5. 267. 22.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; duo tantum exempla lustravi, alterum in Scania ad Lund ante plures annos inveni, alterum ut Daniæ incolam a D. *Stæger* sub nomine descripto 5 Aug. 1843 obtinui.

♀. Priori valde similis, sed antennis magis rotundatis, seta nuda, nec pubescente, alarum macula costali (stigmaticali) minore, inferius multo minus dilatata, nervis transversis non tam late remotis, ambobus (etiam medio) infuscatis, medio paullo magis a costa distante apicique nervi auxiliaris præcise oppo-

sito, nec ante illius apicem ducto, vere & essentialiter differt. Antennæ breves, rotundæ, fulvescentes, seta nuda fusca. Oculi minusculi rotundi. Proboscis testacea. Scutellum pallide flavum, subconvexum. Oviductus ♀ in medio nigricans. Alarum macula costalis fusca ad exitum nervorum auxiliaris & secundarii minuscula, intra apices horum nervorum manens, nec ad nervum longitud. 3:tium descendens. Nervi transversi modice late remoti, horum medius fuscedine dilutiore (tamen perspicua) cinctus, a macula costali opposita aperte longius quam in priori distans; ordinarius fuscedine latiore, utrinque æquali & saturatiore cinctus. Macula apicalis nigro-fusca ut in præcedente locata & extensa, sed intus inæqualis h. e. apices nervorum long. 2, 3 & 4 distinctius obumbrans. Pedes flavi, tarsorum articulis 3 ultimis in individuo Scanico dilute fuscis (an e vetustate?), in Danico nigricantibus. Reliqua omnia ut in antecedente.

Obs. Clar. *Meigen* l. c. utrumque sexum vidit & descripsit. Mihi vero ♂ ignotus. De identitate nostra & Meigeniana specie nullus dubito, licet Cl. Auctor pedes totos flavos ("die Beine ganz gelb") descripserit.

6. *P. ambusta:* ferrugineo-flava nitida, thoracis vittis dorsalibus subqvatuor abdominisque medio brunneo-nigris; alis albido-hyalinis, lineola stigmaticali, nervo transverso ordinario, apiceque arcuatim, fuscis; nervis transversis modice remotis, horum medio mox pone apicem auxiliaris inserto; seta antennarum subnuda. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 750. 3. ♀. *Sapromyza* Meig. Dipt. 5. 268. 23. ♂♀.

Hab. in Scandinavia valde rara; femina in alpe Dowre mense Jul. a D. *Boheman* inventa.

♀. A duabus proxime præcedentibus, quibus affinis & similis, per thoracis abdominisque picturam, ut & nervum transversum

medium omnino immaculatum, aperte recedit. Nitida. Frons flava, orbitis oculorum albis, puncto ocellorum nigro. Antennæ breves, rotundatæ, flavæ. Epistoma brevissimum, albo-micans. Proboscis & palpi subexserta, flava. Oculi rotundi. Sinciput nigricans. Thorax ferrugineo-flavus, parce nigro-setosus, dorso lineolis 4 nigris, quarum 2 mediis postice tantum abbreviatis, & 2 externe juxta positis abbreviatis & interruptis singula e puncto antico & lineola postica constante. Punctum sterni utrinque nigrum. Scutellum pallide flavum, subconvexum, nigro-4-setosum. Metathorax flavus, vittis 2 latiusculis nigris. Abdomen nigrum, segmentis 1:mo & ultimo flavis. Oviductus abdomine paullo brevior, ferrugineus. Alarum stigma anguste nigricans. Nervi transversi sat late distantes, ordinarius late infuscatus, medius fere pone apicem 1. sub apice nervi auxiliaris insertus, immaculatus. Fuscedo apicis arcuata incipit in costa ubi nervus transv. ordinarius opponitur, totum apicem cingit & ad nervum long. 4:tum terminatur. Halteres & pedes pallide flavi immaculati.

Obs. Ambo sexus ut similes a *Meigen* l. c. describuntur. *Mas* a me non visus. — Epistoma nudum attente observes, ne hanc speciem cum *Heteromyza pallopterina* n. sp. thorace abdomineque omnino similiter coloratis & pictis, sed epistomate seta utrinque mystacina instructo, confundes.

7. *P. unicolor:* ferrugineo-flava, capite pedibusque pallidioribus; alis flavo-hyalinis, costa anguste maculaque apicis fusca; nervis transversis sat late remotis, immaculatis. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Var. a. ♂♀. capite, thorace abdomineque totis flavis l. ferrugineis.

Musca Fabr. Antl. 307. 120. *Sapromyza* Meig. Dipt. 5. 268. 21. ♂♀. Macq. Buff. 2. 400. 18. *Palloptera marginella*, Fall. Ortal. 25. 4. ♂♀. *Musca saltuum* Linn. Fn. Sv. 1866.

Var. b. ♀. thorace abdomineque rufo-ferrugineis, illius dorso aut fere toto nigricante, aut late nigro-vittato.

Fall. l. c. var.

Var. c. ♀. capite postice, thorace abdomineque totis brunneo-nigris nitidis, scutello plerumque rufo-ferrugineis.

Hab. in floribus Umbellatarum, uti Heraclei, Chærophylli, Pastinacæ &c., etiam in Rheo, Carduis, Arctio &c., libenter locis umbrosis, per hortos & prata sylvatica Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, ab initio Junii usque ad finem Augusti sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Tranås, Esperöd &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö frequens, D. *Ljungh*, in cujus collectione ut *Musca saltuum* Linn. exstat; in Ostrogothia raro; in Westrogoth. ad Gothoburgum, D. *Wahlberg;* in Ölandia ex. gr. ad Galltorp; in Gottlandia ad Garde & aliis locis; in Jemtlandia boreali ad Ristansfors in paroecia Undersåker non parce; in Norwegia ad Garnæs Værdaliæ, &c., D. *Dahlbom;* in Dania passim, D. *Stæger*.

Varietates allatæ simul habitantes observatæ; var. c. vero plerumque in Svecia superiore ut ad Ristansfors obvia.

♂♀. Corpore angustiore Sepsiformi nitido, alis saltem basi pallide flavis, nec albo-hyalinis, & præter costam tenuissime apicisque maculam parvam nigricantes impictis, a prioribus hujus seriei facillime dignoscenda. Flava nitida, setis verticis, thoracis scutellique ordinariis etiam flavis; in varietatibus obscuris fuscis. Antennarum articulus ultimus oblongo-rotundatus, seta microscopice puberula. Epistoma pallidum. Palpi & proboscis subexserta testacea. Oculi rotundati, in viva ferruginei, æneo-

l. viridimicantes, unicolores. Metathorax jam flavus, jam nigro-punctatus, jam niger. Oviductus ♀ dimidio abdomine fere longior, ferrugineus, basi apiceque sæpe niger. Alæ pallescentes, costa ab apice nervorum auxiliaris & secundarii usque ad apicem alæ anguste nigra. In ipso apice alæ punctum magnum l. macula minuscula nigra apices nervorum longit. 2 & 3 tegens. Nervi transversi sat late distantes, ordinarius fere in medio areæ ultimæ insertus. Costa breviter puberula. Halteres pallidi. Pedes flavi, immaculati.

Obs. Macula alarum apicalis fusca sæpe geminata, intus (ad nervos longit. 2 & 3) breviter bicuspidata. Specimina alis ita pictis descripsit *Fabricius* l. c.

---

157. SEPSIS Fall.

Corpus parvum, cylindricum, nitidum, impunctatum, duriusculum, glabrum, setis in vertice & thoracis lateribus paucis, in apice scutelli 2. Capùt globosum. Frons in utroque sexu lata, haud prominens. Antennæ incumbentes breves, articulo ultimo rotundato aut breviter oblongo, compresso, obtuso, seta nuda. Epistoma breve, infra oculos parum descendens, perpendiculare, planum, nudum, oris margine laterali breviter pilosulo, sed setis mystacinis distinctis nullis. Organa cibaria plerumque retracta. Haustellum geniculatum, crassum. Proboscis crassa carnosa, pubescens. Palpi, ubi adsunt, subcylindrici, parum clavati, pilosuli. Oculi majusculi, rotundi, nudi, obscure ferruginei, parum æneo-micantes, unicolores. Thorax absque sutura transversa perspicua. Abdomen cylindricum, subpetiolatum, basi saltem coarctatum; segmentis 4 perspicuis (*), 1:mo

*) segmenta abdominis revera saltem 5, sed ultimum minutissimum, retractum.

longiori, reliquis sensim brevioribus. Alæ circiter longitudine abdominis, nervis fere ut in *Ortale* directis. Nervi: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus; longitudinalis 3:tius in summo apice alæ excurrens; longitudinalis 6:tus determinate abbreviatus non ad marginem interiorem extensus; transversi plus minus approximati, horum medius apici nervi auxiliaris fere oppositus, ordinarius ante medium areæ ultimæ insertus. Costa omnino nuda. Spinula nulla. Squamæ rudimentariæ. Pedes longiusculi, non validi, glabri, & (præter armaturam femorum in ♂ interdum præsentem & calcar in apice tibiarum intermediarum utriusque sexus) inermes. Coxæ anticæ majores. *Color* niger, metallice sæpe nitens. Punctum in pectore supra coxas intermedias cinereum (in *S. ciliata* n:o 9, & *Leachi* n:o 10, nullum). *Motu* agilis: alis vibrantibus currit; volatus brevis. Odorem sæpe spirat citrinum. *Habitatio:* larvarum in colluviariis & in aqua stagnante putridaque, ubi victitant; imaginum in graminosis, fimetis & putridis; sæpe gregatim. *Differentia sexus;* mas: genitale exserto inflexo articulato, & cornibus 2 incurvis hamosis appendiculato. Præterea penicilli 2 laterales e segmento anali in certis speciebus erumpunt. Abdominis segmentum 1:mum apice tumidiusculum. Femora antica subtus sæpe excisa, aut spinulosa, aut dentata. *Femina:* abdomine magis oblongo, apice acutiori, vagina brevi articulata recondita, femoribus semper simplicibus. — A *Psairoptera* (genere n:o 155), cui similis, corpore læviori, nec punctulato, glabro, nec leniter puberulo, antennis in frontis plano antico, nec sub prominentia marginis frontalis insertis, basi magis approximatis, peristomii lateribus breviter subciliatis, nec nudis, scutello apice bisetoso (setis lateralibus minutissimis l. nullis), nec 4-setoso, abdomine basi magis coarctato, 4-annulato, nec perspicue 5-annulato, segmentis a basi sensim longitudine decrescentibus, nec subæque longis, nervo auxiliari plerumque paullo breviori, nervo longitudinali 6:to magis determinate abbreviato, pedibus longioribus & minus validis, coxis anticis longioribus, differentia sexus, motu, habitatione &c., abunde recedit *Sepsis*. *Piophilæ* (gen. 179) quoque

habitu accedit, sed alis vibrantibus, defectu setæ mystacinæ &c. mox dignota. Typi generis: *S. cynipsea* (1), *putris* (8) & *cylindrica* (17). Monographiam hujus generis eximie eloboratam, in Kröyers Naturhistorisk Tidskrift. Hafniæ 1844. 1. 1. p. 22 —36 dedit Consiliar. Justit. D. *Staeger.*

A. Alæ puncto nigro in apice nervi longitudinalis 2:di notatæ. Nervi transversi approximati. Palpi spurii. — *Mas:* abdomine absque penicillis caudalibus, sed ano inflexo; femoribus anticis incrassatis, subtus setulosis & denticulatis; tibiis anticis pro armatura femorum excisis.. *Sepsis* Macq.

1 *cynipsea* Linn. (var. a. *S. cynipsea* Auctor. — var. b. *S. fulgens* Meig. — var. c. *S. hilaris* Meig. — var. d. *S. ruficornis* Meig.) ♂♀. 2 *cornuta* Meig. ♀. 3 *nigripes* Meig. ♂♀. 4 *atripes* Macq. ♂♀. 5 *flavimana* Meig. ♂♀. 6 *Punctum* Fabr. ♂♀. 7 *violacea* Meig. (*S. punctum* var. Fall.) ♂♀.

B. Alæ immaculatæ. Femora antica in mare aut modice, aut non incrassata. *Nemopoda* Meig. Dipt. (Part. 7).

1. Pedes intermedii in utroque sexu simplices.

α) palpis minutis, filiformibus aut cylindricis. Pedes antici in mare: femoribus subtus in medio excisis & denticulo instructis, tibiis in medio ante excavationem femorum unituberculatis.

† maris abdominis segmento anali utrinque penicillo incurvo prædito. *Cheligaster* Macq.

8 *putris* Linn. ♂♀. 9 *ciliata* Stæg. ♂♀. 10 *Leachi* Meig. (*S. Coxarum* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 11 *pusilla* Zett. (*S. putris* var. b. Ins. Lapp.) ♂.

†† maris abdominis segmento anali absque penicillis lateralibus. *Nemopodæ* species Macq.

12 *Falleni* Stæg. (*S. cylindrica* Fall. non Fabr. — *S. Leachi* Zett. Ins. Lapp. non Meig.) ♂♀. 13 *albitarsis* Zett. n. sp. ♀. 14 *stercoraria* Macq. (*S. lutaria* Mus. Fall. sub *S. cylindrica*) ♂♀. 15 *lucida* Stæg. (var. a. & b.) ♂♀. 16 *gracilis* n. sp. Zett. ♂♀.

β) palpis spuriis. Pedes antici in mare: femoribus subtus inermibus & non incisis, setulis tantum brevibus & gracilibus munitis; tibiis non tuberculatis. Anus maris inflexus absque penicillis lateralibus. *Nemopoda* Macq.

17 *cylindrica* Fabr. (*S. nitidula* Fall.) ♂♀. 18 *varipes* Meig. ♂♀.

2. Pedes intermedii maris: tarsorum articulis apice incrassatis; antici: femoribus subtus in medio spinulosis, tibiis sinuatis. Cauda in mare distincte inflexa, utrinque breviter penicillata. *Enicopus* Walker. Macq. Suppl.

19 *annulipes* Meig. ♂♀.

Sepsis.

A. Alæ puncto nigro in apice notatæ. Nervi transversi approximati. Palpi rudimentarii. *Mas:* abdomine non penicillato, sed ano inflexo; femoribus anticis incrassatis, subtus setulosis denticulatis; tibiis anticis pro armatura femorum excisis. *Sepsis* Macq.

1. *S. cynipsea:* æneseenti nigra, capite concolore, antennis fuscis; abdomine basi obscure violaceo; pedibus nigris, coxis tibiisque anticis, geniculis omnibus & summis, femorumque posticorum basi sæpe, flavidis; alarum nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem leniter appropinqvantibus, transversis approximatis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Ortal. 23. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 287. 1. Macq. Buff. 2. 477. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 749. 7. ♂♀. Stæg. Monogr. Sepsis p. 27. 3. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1868. ♂. — De Geer Ins. 6. 33. 12. Schrank Austr. 470. 956. Fabr. Ent. Syst. 4. 351. 160. Rossi Fn. Etr. 480. 1532. *Tephritis* Fabr. Antl. 324. 41. *Micropeza* Latr. Gen. 4. 355.

Hab. in floribus præcipue Umbellatarum, graminosis, foliis fruticum, etiam ligno Pini recenter secato, sub tota æstate & per totam Scandinaviam, alpibus lapponicis tantum exceptis, ubique vulgatissima, in copula frequenter visa; feminæ etiam supra stercus recens sæpe observantur, & pupæ in stercore bovino haud raro inventæ. — Species odorem spargit citrinum. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* communicata).

♂♀. Parva. Caput nigrum, epistomate obscure testaceo. Antennæ fuscæ, articulo ultimo rotundato-oblongo, seta nigra. Thorax æneo-niger. Scutellum parvum. Metathorax ater. Abdomen æneo-nigrum valde lucidum, plerumque fasciis violaceo-nitentibus. Alæ ima basi infuscatæ. Punctum in apice nervi longit. 2:di rotundato-quadratum, nigro-brunneum. Nervus costalis in apice nervi long. 4:ti (pone apicem alæ) desinit. Nervi: longitudinales 3 & 4 non exacte paralleli, sed versus apicem leviter subapproximati; transversi approximati, horum ordinarius longe ante medium areæ ultimæ insertus & ita ductus ut segmentum nervi longitud. 4:ti ultimum (3:tium) antecedens (2:dum)

longitudine triplo & ultra superet. Halteres flavo-albi. Pedes ut in diagnosi.

Color epistomatis & pedum secundum ætatem insecti paullo variat; ut:

Var. a. ♂♀. provectior: capite nigricante, epistomate parum dilutiore, antennis nigro-fuscis, pedibus nigris, coxis tibiisque anticis totis, femoribusque posticis basi interdum, non semper, flavis. — *Musca* seu *Sepsis cynipsea* Auctorum. — Scania, Blekingia, Smolandia, Lapponia (ad Wittangi), Dania, vulgaris. (Etiam ad Neuenkirchen in Mecklenburg Strelitz, jam 15—20 Maj 1842 a D. *Dahlbom* lecta).

Var. b. ♂♀. similis var. a., epistomate tantum magis rufescente. *Sepsis fulgens*. Meig. Dipt. 5. 287. 2. Macq. Buff. 2. 477. 2. ♂♀. In Scania, Gottlandia (ad Stenkyrka), Lapponia (ad Lycksele), Norwegia (ad Suulstuen in jugo alpino), mihi frequenter obvia; etiam in Dania freq.

Var. c. ♂♀. similis var. b. tarsis omnibus etiam rufo-flavis. *Sepsis hilaris* Meig. Dipt. 5. 288. 3. ♀. Macq. Buff. 2. 477. 3. ♂♀. In Scania, Smolandia, Ostrogothia, Uplandia, Lapponia (ad Åsele), Norwegia (ad Thynäs) & Dania, passim copiose. (Sub nomine: "*Seps. hilaris* Macq." etiam e S:t Sever Galliæ uterque sexus hujus a D. *Leon Dufour* missus).

Var. d. ♂♀. similis iterum var. b., sed antennis quoque rufis. Juvenilis. *Sepsis ruficornis* Meig. Dipt. 5. 288. 5. ♂♀. Macq. Buff. 2. 477. 4. ♂♀. In Scania, Ostrogothia, Jemtlandia ad Skalstugan, Lapponia (ad Lycksele) & Dania, minime rara.

Hæ varietates in copula junctæ interdum promiscue deprehenduntur.

Obs. Individuum femineum varietatis a. fronte antice vesicula parva in formam corniculi protuberante, in Scania 28 Aug. semel captum, a seqvente forte alienum.

2. *S. cornuta:* nigra, capite, antennis pedibusque concoloribus, coxis anticis fusco-testaceis; fronte antice in corniculum porrecta. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.)

Meig. Dipt. 5. 288. 6. ♀. T. 47. f. 9 (sed punctum alarum apicale nigrum deficit). — Macq. Buff. 2. 479. 12. ♀. Zett. Ins. Lapp. 749. 8. ♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; a me in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad diversorium Björkvik juxta Ofodenfjord d. 14 Jul. 1821 in unico exemplo inventa.

♀. Similis priori & ejus varietati a. in primis conveniens, sed corpore partibusque nigrioribus, & corniculo frontali rotundo porrecto, antennis paullo breviori, fusco, recedere videtur. Tota nigra nitida, abdomine vix æneo-nitente, neque ex violaceo splendente. Frons substriata. Halteres testacei. Pedes inermes nudi nigri, coxis tantum anticis obscure testaceis.

3. *S. nigripes:* nigra, epistomate antennisque obscure rufescentibus; pedibus atris, coxis anticis ferrugineo-flavis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 289. 7? ♂. — Macq. Buff. 2. 478. 5? ♂♀. — Stæg. Monogr. Seps. p. 28. 5. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ graminosis minus frequens, mihi versus autumnum (Jul. Aug. Sept.) præsertim obvia; nempe in Scania ad Lund (in Paradislyckan, Helenæbacken &c.), Sjörup (D. *Möller*), Abusa &c.; in Svecia media hactenus non observata; sed in Jemtlandia boreali ad Skalstugan feminæ parce lectæ; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Affinis *S. cynipseæ* (1), & imprimis ejus varietati b. similis, sed pedibus totis atris, coxis anticis tantum fulvis, sine dubio distincta. Frons nigra. Antennarum articulus ultimus nigro-piceus l. nigro-rufescens. Epistoma obscure rufescens,

peristomio subalbido-micante. Thorax levissime subænescenti nitens. Abdomen lucidum, basi apiceque leniter æneo-nitens, in medio e violaceo resplendens. Alæ ut in *S. cynipsea*. Halteres albidi. Pedes atri, coxis anticis fulvis, in individuis junioribus tarsi basi interdum fusco-testacei.

4. *S. atripes:* nigra tota, leniter e violaceo resplendens. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Macq. Buff. 2. 478. 6? Meig. Dipt. 7. 349. 13. Stæg. Monogr. Seps. p. 29. 6. ♀.

Hab. in Scandinavia Maj.—Jul. rarius, in Scania ad Lund, Björnstorp & Abusa pauca specimina ex utroque sexu capta; ♀ in unico exemplo a D. *Stæger* missa. (Marem etiam ad Jungfern-Heide & Moabite prope Berolinum 7—12 Jul. 1842 legit D. *Dahlbom*).

♂♀. Priori iterum simillima, sed tota nigra, immaculata. Antennæ nigræ. Peristomium vix vel parum albido-micans. Thorax lenissime ænescenti nitens. Abdomen e violaceo subresplendens. Stigma alarum magnum, oblongum. Halteres albi. Pedes nigri, coxis anticis obscure fuscis. Tarsi basi interdum etiam fuscescunt. — An a *S. cynipsea* vere distincta?

5. *S. flavimana:* nigra, epistomate obscure rufescente; pedibus anticis totis, excepto apice tarsorum nigro, femoribusque posterioribus basi, flavis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Meig. Dipt. 5. 288. 4. ♀. Stæger Monogr. Seps. p. 27. 4. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; mihi in Svecia non obvia, sed in Daniæ silvis haud rara fuerit, teste D. *Stæger*, qui specimina ex utroque sexu benigne misit.

♂♀. *S. cynipseæ* var. b. valde similis, sed pedibus anticis fere totis flavis dignota. Frons & antennæ nigræ. Epistoma obscure rufescens. Thorax parum ænescenti niger. Abdomen leniter e violaceo resplendens. Halteres albi. Pedes nigri; antici: coxis, femoribus tibiisque totis, & tarsis ima basi, flavis; posteriores: femoribus basi anguste flavis, tarsis basi fuscis.

Obs. Exemplaria tantum Danica a D. *Stæger* communicata ante oculos habui describens hanc speciem, quam valde ancipitem existimo.

6. *S. Punctum:* nigra, epistomate obscure ferrugineo; abdomine viridi-aureo; pedibus ferrugineo-flavis, tarsis apice fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere 2 lin.).

Fall. Ortal. 22. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 289. 10. Macq. Buff. 2. 478. 8. ♂♀. T. 20. f. 1 (figura mala). — Zett. Ins. Lapp. 749. 5. ♂♀. Wiegmann & Ruthe Handb. der Zool. 1843 p. 497. — Stæg. Monogr. Seps. p. 25. 1. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 351. 159. ♂. *Tephritis* Fabr. Antl. 324. 40. *Micropeza* Latr. Gen. 4. 355. *Musca Stigma* Panz. Fn. Germ. 60. f. 21. ♂.

Hab. in graminosis plerumque locis umbrosis & paludosis, per Scandinaviam meridionalem & mediam, a mense Majo usque ad Septembrem, sat vulgaris, in copula etiam capta; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Abusa Widtsköfle *(von Borck)*, Tranås, Esperöd, &c., frequens; in Blekingia; in Smolandia circa Skärsjö sat copiose, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Gottlandia ad Öja; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* sed supra hanc provinciam versus septentrionem non nisi rarissime obvia, & in Norwegia hactenus non observata; in Dania passim, D. *Stæger.* (Ex Hamburgo a D. *Dahl-*

bom, & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* quoque communicata).

♂♀. Frons nigra nitida. Antennæ nigro-fuscæ. Epistoma obscure rufescens, leniter albo-micans. Ad os utrinque setulæ breves nigræ, sed mystaces distinctæ nullæ. Oculi obscure brunnei, æneo-micantes. Thorax niger, nitidus, dorso leniter ænescens, subopacus. Abdomen nitidissimum aureo-viride, lateribus parce nigro-setulosum; segmento 1:mo in ♂ sæpissime flavo-luteo. Alæ ut in prioribus. Nervus auxiliaris & secundarius basi confluentes, nigri. Halteres pallide flavi. Pedes cum coxis toti fulvo-flavi, tarsorum saltem articulo ultimo nigricante. Pedes feminæ inermes, subnudi; femoribus in ♂ subtus breviter spinulosis & tibiis posterioribus versus apicem setulis aliquot nigris armatis.

7. S. *violacea:* nigra, epistomate antennisque obscure rufescentibus; abdomine e violaceo splendente; pedibus ferrugineo-flavis, tibiis posticis totis, femoribus omnibus linea superna, tarsisque apice, nigricantibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 289. 9. Macq. Buff. 2. 478. 7. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 749. 6. ♂♀. Stæg. Monogr. Seps. p. 26. 2. ♂♀. (Sub S. *Punctum* Fall. Ortal. 22. 4. etiam latet).

Hab. cum priori, sed adhuc frequentior & latius divulgata sæpiusque in copula deprehensa; scilicet in Scania præsertim circa Lund & in hortis abundans; in Smolandia copiose, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena frequens; in Gottlandia ad Slitö; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Åsele & Wilhelmina non parce; in Norwegia ad Björkvik Nordlandiæ & Talvig Finmarkiæ, &c.; in Dania haud vulgaris, D. *Stæger.* (In hortis Gryphicis

non raro a D. *Dahlbom* lecta. E Finlandia a D. *Sahlberg*, & ex Helvetia per D. *Konewka* mihi quoque communicata).

♂♀. Similis *S. cynipseæ* (1) & *S. Punctum* (6), sed a priori magnitudine plerumque paullo majore & pedibus copiosius rufo-flavis; a posteriori magnitudine sæpius nonnihil minore, abdomine violaceo, nec aureo-viridi, & ab utraque femoribus superne obscuris, certe differt. Frons nigra. Antennæ fusco-rufescentes. Epistoma rufescens. Proboscis testacea. Thorax dorso parum nitidus, leniter subænescens. Abdomen lucidum, aut æneo-viride fasciis violaceis, aut totum violaceum. Alarum punctum apicale fuscum plerumque paullo minus quam in prioribus. Pedes ferrugineo-flavi, coxis anticis concoloribus. Coxæ posteriores ferrugineæ. Femora omnia, præcipue posteriora superne linea plus minus abbreviata brunnea l. nigro-brunnea. Tibiæ posticæ nigræ l. brunneæ, apice sæpe indeterminate ferrugineæ. Tibiæ intermediæ sæpe etiam basi nigrescunt. Tarsi apice obscuri.

B. Alæ immaculatæ. Femora antica in ♂ aut modice aut non incrassata. *Nemopoda* Meig. Dipt. (P. 7).

1. Pedes intermedii in utroque sexu simplices.

α) palpis minutis, filiformibus aut cylindricis. Pedes antici in mare: femoribus subtus in medio excisis & denticulo instructis, tibiis in medio ante excavationem femorum unituberculatis.

† maris abdominis segmento anali utrinque penicillo incurvo prædito. *Cheligaster* Macq.

8. *S. putris:* tota nigra, epistomate albo-micante, halteribus albis, macula pectorali supra coxas intermedias cinerea; alis longitudine abdominis, cinereo-hyalinis,

nervis transversis modice remotis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdominis subcylindrici apex utrinque fasciculo pilorum incurvatorum nigrorum; anus inflexus; pedes antici: femoribus subtus in medio sinuatis, dente mox ante medium solitario, recto, tibiis ante medium uni-tuberculatis; tarsi intermedii: articulis 3 ultimis sensim nonnihil latioribus;

Fem.: anus & pedes omnes simplices, femoribus anticis subtus breviter setulosis, ano subtus tantum paucissime pilosulo; abdomen paullo latius; in copula.

Fall. Ortal. 21. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 292. 15. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 718. 1. ♂♀. Wiegm. Zoolog. Handb. p. 497. — Stæg. Monogr. Seps. 29. 7. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1850. var. *α. fimeti.* — Fabr. Ent. Syst. 4. 331. 92. *Tephritis* Fabr. Antl. 323. 31. *Cheligaster* Macq. Buff. 2. 479. 1. T. 20. f. 2. ♂.

Hab. in graminosis, libenter locis uliginosis; in femetis & colluviariis, etiam in floribus Umbellatarum &c., per totam Scandinaviam, alpibus Lapponicis tantum exceptis, a primo vere usque ad autumnum, omnium vulgatissima, in copula frequenter observata; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Bahusia & Uplandia ubique copiose; in Gottlandia passim ex. gr. ad Nähr, Gothem &c.; in provinciis septentrionalibus passim occurrit, sed in Norwegia ad Thynæs haud parce lecta; in Dania valde frequens. *Pupa* cylindrico-lanceolata, 10-annulata (capite excepto), antice depressiuscula, tota nuda, inermis, brunnea, $1\frac{1}{2}$ linea longa, capite parvo, transverso, depresso, antice leniter emarginato, loco antennarum stylo utrinque brevi filiformi nigro, ano corniculis 4, quorum 2 superioribus brevibus cylindricis su-

perne in medio denticulo minuto instructis, & 2 inferioribus brevissimis conicis; in aqva aut terra uliginosa locis sordidis sæpe inventa & feliciter exclusa. E parte pupæ antica depressa per duas valvulas hiante imago egreditur. (E Gryphia, Trawemünde, Hamburgo, Neuenkirchen &c., Germaniæ, a D. *Dahlbom*, & e S:t Sever Galliæ (sub nomine *Cheligaster putris* Macq.) a D. *Leon Dufour* plura exempla utriusque sexus etiam obtinui).

♂♀. In hoc genere major, tota atra immaculata, præter epistoma albo-nitens, maculam normalem utrinque in pectore supra coxas intermedias cineream, alas cinereo-hyalinas, & squamas halteresque alba. Os ad latera breviter pilosulum, sed non mystacinum. Thorax supra subænescenti niger. Alarum nervi: auxiliaris totus & costalis (ab exitu auxiliaris & ad apicem alæ) atri. Nervus transversus ordinarius lenissime obliquus & ita ante medium areæ ultimæ insertus ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio seu ultimo duplo brevius evadat. Halterum clava alba, petiolus saltem basi niger. Tibiæ & tarsi præsertim postica & in primis in ♂ brevissime puberula. Tarsorum intermediorum articuli ultimi in ♂ leniter subdilatati. Oculi in utroque sexu obscure ferruginei, levissime æneo-micantes. Abdominis primum segmentum in ♂ simplex, nec tumidum.

Obs. *Seps. putris* ♂ in copula cum *S. Falleni* (12) ♀ semel a me deprehensus.

9. *S. ciliata:* tota nigra, epistomate antennisque concoloribus; halteribus albis; macula pectorali cinerea nulla; alis longitudine abdominis subdepressi, hyalinis, nervis transversis modice remotis, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Mas: abdominis subdepressi postice dilatati apex truncatus utrinque fasciculo setarum elongatarum incurvatarum nigrarum;

pedes antici; femoribus curvatis, subtus dente gemino valido armatis, tibiis excisis, bilobis; femora intermedia subtus apice, postica latere interiori, ciliata;

Fem: abdomen oblongum; anus & pedes omnes simplices, femoribus anticis subtus in medio parce & breviter setulosis.

Stæger Monogr. Seps. p. 30. 8. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ meridionalis locis humidis primo vere rarius; D. *Stæger* specimina in utroque sexu ex Hafnia communicavit.

♂♀. Magnitudine duplo minore, epistomate nigro, nec albido-micante, pleuris immaculatis, & in mare abdominis apice latiore, truncato, setis incurvatis validioribus, ut & armatura pedum paullo diversa, a priore facile dignoscitur. Nigra nitidissima. Orbitæ oculorum tenuissime albo-micant. Antennæ nigræ. Epistoma infra oculos parum descendit, apice antico leniter prominulo. Alæ hyalinæ, nervis transversis forte nonnihil magis approximatis, quam in *S. putri*. Halteres albi. Pedes toti nigri.

10. *S. Leachi:* nigra, epistomate obscure rufescente; antennis nigro-fuscis; macula pectorali cinerea nulla; alis abdomine brevioribus pallescenti cinereo hyalinis, nervis transversis subapproximatis, longitudinalibus 3 & 4 subparallelis; coxis anticis totis femoribusque omnibus basi flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdominis apex subtus utrinque fasciculo pilorum incurvatorum nigrorum; anus inflexus; pedes antici: femoribus incrassatis ante apicem coarctatis, subtus ad basin setula incurva nigra & pone medium dente acuto basi valido; tibiis basi (ad medium) angustatis flavis, tuberculo minuto, postice (a medio ad apicem) latioribus nigris intus serrulatis; tarsi intermedii flavi, articulo ultimo fusco:

Fem: anus imberbis & pedes omnes simplices & nudi; tibiæ anticæ totæ nigræ; tarsi intermedii nigro-fusci; in copula.

Meig. Dipt. 5. 291. 14. ♂. & Ejusdem 6. p. 381. ♀. Bouchè Naturg. der Ins. p. 96. n:o 86 ubi larvæ & pupæ describuntur (forte hujus?) — Stæg. Monogr. p. 31. 9. ♂♀. *Cheligaster* Macq. Buff. 2. 480. 3. ♂. *Nemopoda* Meig. Dipt. 7. 350. 1. ♂♀. *Sepsis Coxarum* Zett. Ins. Lapp. 748. 4. ♀ (excluso ♂, per errorem allato).

Hab. in graminosis mensib. Jun. Jul. per Scandinaviam meridionalem rarius, borealem passim frequentius, in copula etiam observata; scilicet in Scania ad Lund rarissime; in Smolandia, collect. *Ljunghii;* in Gottlandia ad Nähr ♀ semel a me lecta; in Jemtlandia boreali ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen ut & ad Skalstugan Jun. Jul. 1840 in utroque sexu copiose legi; in bottnia occidentali ad lacum Hornafvan ad Arjeploug juxta sedem Sacerdotis in Caltha palustri uterque sexus abunde, D. Prof. *Wahlberg;* in Lapponia Lulensi ad Qvickjock parcius, Idem; in Lapponia Tornensi ♀ parce, ipse; in jugo alpino Norwegiæ ad diversorium Suulstuen Værdaliæ anno nuper nominato non rara; in Hafnia Danorum in fenestra cubiculi uterque sexus in copula junctus a Nobil. *Stæger* semel captus mihique pro comparatione communicatus. (Ad Neuenkirchen in Mecklenburg Strelitz quoque a Doct. *Dahlbom* 15—20 Maj 1842 inventa).

♂♀. Armatura pedum anoque penicillato in ♂, & in utroque sexu alis brevibus sordide flavido-hyalinis, nervis transversis subapproximatis, macula pectorali cinerea deficiente, nec non pedum nigrorum colore flavo vivace in coxis anticis & basi femorum omnium, species facillime ab affinibus dignoscitur.

Sepsi putri (8) paullo minor, gracilior. Frons nigra. Antennæ nigricantes, sæpe fuscæ. Epistoma infra oculos minime descendens, obscure rufescens. Thorax niger, dorso subopaco, pleuris nitidis absque macula ordinaria cinerea supra coxas intermedias. Abdomen nigrum, nitidum, nudum, e violaceo certo situ leviter resplendens. Penicilli caudales maris ut in *S. putri*, sed fasciculorum pili e corporibus humectatis, supra quæ currit animalculum vel quæ cauda verrit, sæpe tam conglutinati, ut utrinque quasi tantum seta unica valida adesset. Alæ longitudine solummodo apicem segmenti abdominis 3:tii attingunt, angustatæ, basi pallescentes, versus apicem leviter fumatæ. Nervi transversi ita approximati ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum ultimo $2\frac{1}{2}$ brevius evadat. Nervi longitudinales 3 & 4 fere paralleli. Squamæ rudimentariæ l. vix ullæ. Halteres albi. Pedes nigri, coxis anticis vivide flavis, posterioribus & trochanteribus omnibus ferrugineo-flavis. Femora antica ima basi, posteriora basi anguste, flava, geniculis omnibus & summis ferrugineis. Maris tibiæ anticæ basi late, & tarsi intermedii fere toti, flava.

Obs. Alis abbreviatis ægre vel vix volat; sed illis auxiliantibus sublevantur insecti inter plantas saltus, quos interdum facit. Ova oblonga nivea feminam parientem vidi.

11. *S. pusilla:* tota atra, halteribus albis, macula pectorali supra coxas intermedias cinerea; alis longitudine abdominis, limpidis, nervis transversis subappropinquantibus, longitudinalibus 3 & 4 parallelis; ano maris penicillato. ♂. (Long. fere 1 lin.).

Sepsis putris var. b. ♂. Zett. Ins. Lapp. 748. 1.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in graminosis ad ripam fluminis Ångermanniæ ad Almsele & Åsele 21—26 Jul. 1832 a D. *Dahlbom* in 2 exemplis detecta.

♂. *Sepsi putri* (8) valde similis & affinis, sed duplo l. triplo minor, & epistomate parum albo-micante, alis purius hyalinis.

ut & nervis transversis forte paullo magis approximatis, recedit. Atra, nitida. Femora antica subtus in medio denticulo ordinario & setulis aliquot brevibus nigris. Cauda penicillata & reliqua ut in *S. putri.* — Cum *S. lucida* (15) ano maris non penicillato prædita non confundenda.

Obs. *Sepsis albitarsis* ♀ n:o 13 an hujus vel sequentis seriei?

†† maris abdominis segmento anali absque penicillis lateralibus. *Nemopoda* Macq.

12. *S. Falleni:* nigra, antennarum basi epistomateque obscure rufis; pedibus obscure brunneis, anticorum coxis tibiisque, posteriorumque femoribus basi geniculisque, flavis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis modice remotis, longitudinalibus 3 & 4 subparallelis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: femoribus anticis subtus in medio denticulis seu setulis brevibus 2—3 parvis, abdomine subcylindrico, lineari, ano inflexo;

Fem.: femoribus anticis inermibus, subtus tantum setulis 2—3 brevissimis exiguis, abdomine lanceolato, ano non inflexo; in copula.

Stæg. Monogr. Seps. p. 32. 10. ♂♀. *Seps. cylindrica* Fall. Ortal. 22. 3. ♂♀. (exclus. syn. *Colobata cylindrica* Fabr., quæ n:o 17 competit). — *Seps. Leachi* Zett. Ins. Lapp. 748. 2. ♂♀. (exclus. syn. Meig., quod ad n:rum 10 nob. pertinet).

Hab. in graminosis, truncis arborum, colluviariis & locis urina humectatis, ad fimeta, interdum etiam in fenestris errabunda, per Scandinaviam, ab initio Aprilis usque ad finem Septembris, vulgaris, in copula sæpe observata; scilicet in Scania ubique frequentissima; in Smolandia non rara; in Ostrogothia, Gottlandia & Uplandia,

parce; deinde rarissime obvia; in Norwegia ad Björkvik Nordlandiæ semel lecta; in Dania passim copiose, D. *Staeger.* (In hortis Gryphicis etiam a D. *Dahlbom* visa).

♂♀. Inter majores. Frons nigra. Antennæ rotundatæ nigræ, basi lutescentes. Epistoma infra oculos paullulum subdescendens, rufescens. Thorax dorso subopacus. Macula pectoralis cinerea. Abdomen nigrum, leniter æneo-micans, nitidum. Alæ longitudine saltem abdominis, cinereo-hyalinæ. Nervi longitudinales 3 & 4 non exactissime paralleli, sed versus apicem lenissime convergentes. Halteres albi. Pedes nigro-picei l. plus minus obscure brunnei; antici: coxis tibiisque ferrugineo-flavis; posteriores: femoribus basi plus minus anguste geniculisque summis flavo-ferrugineis.

Obs. Seps. putrem (8) ut marem, & *S. Falleni* ut feminam in copula junctas in Scania semel inveni.

13. *S. albitarsis:* nigra, epistomate obscure rufescente; pedibus atris, coxis anticis fulvis, femoribus posterioribus basi ferrugineo-flavis, tarsis anticis articulis 2 intermediis albissimis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subappropinqvantibus, longitudinalibus 3 & 4 subparallelis ♀. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Norwegia media rarissime; ad diversorium Thynæs in paroecia Skogn juxta litus maris d. 4 Jul. 1840 in unico individuo detegere mihi contigit.

♀. Pedibus atris, coxis anticis fulvis, femoribus posterioribus basi anguste flavis, ut & præcipue tarsorum anticorum articulis duobus intermediis pure albis, ab omnibus vere diversa. — *S. Leachi* (10) proxima videtur, sed major robustior, alis plene evolutis & tarsorum pictura, abunde dignota. Frons nigra, subnitida. Antennæ rotundatæ, piceo-nigræ. Epistoma infra oculos breviter descendens, obscure rufescens. Genæ & proboscis nigricantes. Thorax niger, nitidus, supra subopacus,

macula pectorali ordinaria obscure cinerea. Abdomen lanceolatum, nitidum, nudum, nigrum, segmentis intermediis basi e violaceo splendentibus. Alæ longitudine abdominis, cinereo-hyalinis, basi nervis pallescentibus. Nervi longitudinales 3 & 4 non exacte paralleli, sed versus apicem leniter subconvergentes; transversi subapproximati, horum ordinarius ita ductus ut segmentum nervi long. 4:ti secundum ultimo saltem $2\frac{1}{2}$ brevius evadat. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes toti nudi, atri; antici: coxis trochanteribusque fulvo-flavis, tarsorum articulis 2 & 3 albis; posteriores: trochanteribus & femoribus basi anguste (ad 6:tam partem) rufo-flavis.

Obs. An hæc species huic vel antecedenti seriei inserenda fuerit, mare mihi deficiente & ignoto, pro certo dicere non possum.

14. *S. stercoraria:* nigra, leniter metallice nitens, antennarum basi epistomateque obscure rufescentibus; pedibus flavis, posteriorum femoribus apice late tibiisque fere totis brunneis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis subappropinquantibus, longitudinalibus 3 & 4 subparallelis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Mas: femoribus anticis subtus in medio setulis 2—3 brevibus, ano obtuso, simplici;

Fem.: femoribus anticis nudis & inermibus, ano acutiusculo; in copula.

Nemopoda stercoraria Macq. Buff. 2. 482. 7. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 351. 12. (e descriptione Macquarti transscripta). — *Sepsis lutaria* Mus. Falleni (sub *Sepse cylindrica*).

Hab. in Scania circa urbem Lund, ubi mens. Jun.—Septemb. 5 mares, 3 feminas & duo paria in copula juncta, inveni. (E S:t Sever Galliæ utrumque sexum sub nomine: "*Nemopoda stercoraria* Macq." a D. *Leon Du-*

four, & ex Italia marem per D. *Konewka* etiam obtinui).

♂♀. Per magnitudinem parvam, pedes anticos totos & posteriores ex parte flavos, nec non simplicitatem ani in ♂, ab affinibus in primis distincta. Frons nigra. Antennæ nigricantes, basi & subtus plerumque lutescentes. Epistoma infra oculos non descendens, rufescens. Thorax subænescenti niger, supra subopacus, infra nitidus, puncto ordinario supra coxas medias cinerascenti. Abdomen in utroque sexu angustum, lineare, nudum, nitidum ex æneo & violaceo leniter resplendens. Alæ longitudine saltem abdominis, undique cinereo-hyalinæ (apice non fusciores), nervis transversis subapproximatis, longitudinalibus 3 & 4 versus apicem lenissime convergentibus. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes cum coxis flavi, antici immaculati, postici: femoribus a medio ad apicem & tibiis a basi & fere ad apicem plus minus saturate brunneis.

15. *S. lucida:* parva, tota nigra, halteribus albis, macula pectorali cinerea; alis hyalinis, nervis transversis subappropinquantibus, longitudinalibus 3 & 4 exacte parallelis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Mas: femoribus anticis subtus in medio denticulis 2 non longe remotis valde minutis, horum antico (versus apicem femoris) in primis exiguo, tibiis anticis in medio tuberculatis, abdomine subcylindrico, ano rotundato subinflexo;

Fem.: femoribus anticis subtus in medio setulis 2 l. 3 minutissimis, brevissimis, tibiis anticis non tuberculatis, abdomine lanceolato, apice acutiusculo.

Var. a. ♂♀. longitudine 1 lin.

Stæg. Monogr. Seps. p. 32. 11. var. a. ♂♀.

Var. b. ♂ fere duplo minor longitudine circiter ½ lin.

Stæg. l. c. var. b. ♂.

Hab. in Scandinavia præsertim meridionali minus frequens; in insula Amager Daniæ, ad aqvas, in vicinitate litoris marini detecta & pluries lecta a D. *Stæger*, qui specimina typica utriusque sexus benevole communicavit; in Scania ad Lund & Abusa tantum 2 mares & 1 feminam ipse inveni; at plures feminas in magna palude ad Glomersträsk in Lapponia Pitensi inter Carices 25 Aug. collegit Prof. *Wahlberg;* e varietate b. non nisi unicum masculum pro comparatione a D. *Stæger* obtinui.

♂♀. Pusilla, tota nigra nitida parum æneo-splendens. Antennæ rotundatæ, atræ. Epistoma breve, albo-micans. Alæ longitudine saltem abdominis, hyalinis, nervo costali ab apice auxiliaris ad apicem alæ atro. Nervi: longitudinales 3 & 4 pone ordinarium exacte paralleli; transversi modice approximati, inde segmentum nervi longit. 4:ti secundum ultimo fere $2\frac{1}{2}$ brevius. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes cum coxis toti atri. Macula pectoralis cinerea ordinaria supra coxas medias adest.

16. *S. gracilis:* angusta nigra, epistomate subrufescente; halteribus albis; puncto pectorali cinereo; coxis anticis totis, femoribusque posterioribus basi anguste, ferrugineo-flavis; alis hyalinis, nervis transversis subappropinquantibus, longitudinalibus 3 & 4 parallelis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Mas: femoribus tibiisque anticis ut in mare præcedentis armatis; abdomine lineari, ano distincte inflexo;

Fem.: femoribus, tibiis abdomineque ut in femina præcedentis.

Hab. in Svecia boreali Jemtlandia rarissime; in graminosis ad diversorium Skalstugan, ad radicem jugi alpini situm, in societate cum *S. Leachi*, d. 16 Jul. 1840 unicum marem unicamque feminam inveni.

♂♀. Similis priori, sed fere gracilior, & epistomate subrufescente, coxis anticis femoribusque posterioribus basi flavidis, nervo costali fusco l. saltem non determinate nigro, ut & nervis longitudinalibus 3 & 4 quidem parallelis, non vero tam exacte ut in *S. lucida*, sed versus apicem omnium lenissime subconvergentibus (quod tamen vix nisi per comparationem utriusque speciei observatur), dignoscitur. Antennæ nigræ, basi obscure rufescentes. Epistoma obscure rufescens, albo-micans. Thorax niger, nitidus, macula pectorali ordinaria cinerea; supra subænescenti niger, minus nitidus. Abdomen atrum nitidissimum, certo situ lenissime metallice nitens præsertim in ♂. Cauda maris inflexa. Alæ longitudine saltem abdominis, hyalinæ, nervis ut in diagnosi directis. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes nigri, coxis anticis flavis. Femora posteriora basi anguste fusco-flavida. Tibiæ anticæ fuscescentes. Tarsi omnes etiam basi fusci.

β) palpis spuriis. Pedes antici in mare: femoribus subtus inermibus & non incisis, setulis tantum brevibus & gracilibus munitis; tibiis non tuberculatis. Anus maris inflexus absque penicillis lateralibus. *Nemopoda* Macq.

17. S. *cylindrica;* nigra, fronte antice, antennis, epistomate maculaque subhumerali ferrugineis; pedibus flavis, posteriorum femoribus in medio, tibiisque basi late, dilute brunneis; alis cinereo-hyalinis, nubecula costali ad apicem langvide fumata, nervis transversis subapproximatis, longitudinalibus 3 & 4 non exacte parallelis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 290. 12. ♂♀. Bouchè Naturg. der Ins. p. 95. 85. T. 6. f. 8 larva, f. 9 pupa. — Zett. Ins. Lapp. 748. 3. ♂♀. Stæg. Monogr. Seps. p. 33. 12. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 336. 101 (volente Meigen). — *Calobata* Fabr. Antl. 263. 11. *Nemopoda* Macq. Buff. 2.

480. 1. ♂♀. T. 20. f. 3. Meig. Dipt. 7. 350. 4. *Sepsis nitidula* Fall. Ortal. 21. 2. ♂♀.

Hab. in graminosis & locis sordidis per totam Scandinaviam, alpibus lapponicis tantum exceptis, a primo vere usque ad serum autumnum, vulgatissima, in copula multoties capta; scilicet in Scania ubique longe frequentissima; in Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Nericia & Uplandia etiam passim abundans; in Gottlandia ad Öja, Fardhem, Nähr, Gothem &c., sat frequens; in Helsingia ad Arbrå; in Jemtlandia usque ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen non parce; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina, Lulensi ad Qvickjock (Prof. *Wahlberg)*, & Tornensi ad Kengis &c., haud raro; in Norwegia superiori a me non nisi ad Björkvik Nordlandiæ parce observata; in Dania ubique communis, D. *Stæger*. (Ad Gryphiam, Trawemünde, Hamburgum, Putbus in Rugia, & Neuenkirchen in Megalopoli a D. *Dahlbom* quoque copiose lecta mecumque communicata. Etiam e S:t Sever Galliæ sub nomine descripto a Nobil. D. *Leon Dufour* in utroque sexu missa). — Larvæ in stercore præsertim humano secundum *Bouchè* vivunt. Qvoque in fungis terrestribus putridis a me observatæ.

♂♀. Magnitudo major, macula humeralis ferruginea, pedes e maxima parte flavi, & umbra langvida ad apicem alarum, speciem ab affinibus denotant. — Frons nigra, anterius plerumque indeterminate ferruginea. Antennæ subovales, ferrugineæ l. flavæ. Epistoma rufescens, albo-micans, sæpe detritum, albedine in area media plerumque manente. Latera oris breviter setulosa. Proboscis rufa l. testacea. Oculi in viva ferruginei l. rufo-brunnei, æneo-micantes. Thorax supra ænescenti niger, subnitens; infra niger nitidus, macula antica utrinque sub humeris magna ferruginea nitida, & plerumque etiam a-

lia sub alis obliqua ejusdem coloris. Macula transversa supra coxas intermedias albo-cinerea quoque distincta. Abdomen nitidum nigrum, æneo-micans, segmento primo in mare margine apicali tumidiusculo. Alæ longitudine saltem abdominis l. in ♂ fere paullulum breviores, in utroque sexu cinereo-hyalinæ, regione circa apicem nervi longit. 2:di umbra fusca semper obsoleta & numquam tam saturata quam in figura Macquarti. Squamæ rudimentariæ; halteres albi. Pedes simplices cum coxis flavi, posteriorum femoribus (saltem superne) in medio late, & tibiis fere ad apicem, plus minus dilute aut saturate brunneis. Tarsi omnes imprimis versus apicem fuscescentes.

Obs. In Fabricii Entomologia Systematica l. c. in descriptione *Muscæ cylindricæ* "thorax ater, immaculatus" dicitur, quæ nota in nostram non qvadrat. — Forte hæc species, cum alia quadam in Linnæi Fauna Svecica commixta fuit, nam sane mirum est si insectum per totam Sveciam vulgatissimum Linnæi oculo fugere potuisset. Sub nomine "*Musca corrigiolata* Linn. Syst. Nat." individuum masculum hujus in Collectione beati *Ljungh* adservatur.

Obs. Qvando insecta acu affiguntur, vesicam aëriferam ante antennas sæpe protrudi notissimum est. Hoc vero phenomenon in individuis hujus generis frequentius observatur, unde caput deformatur, & frons antice quasi corniculo instructa apparet. E sola specie *S. cylindrica* 5 exempla ita defigurata jam inter multa collecta video.

18. *S. varipes:* nigra; pedibus rufo-flavis, femoribus in medio late, tibiis fere totis tarsisque apice brunneis; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis, longitudinalibus 3 & 4 subparallelis. ♂. (Long. 1⅓ lin.).

Stæg. Monogr. Seps. p. 34. 13. ♂. (exclus. syn. *S. Coxarum* Zett., quæ ad *S. Leachi* n:o 10 pertinet).

Nemopoda Meig. Dipt. 7. 351. 7.

Hab. in sylvaticis Daniæ minus frequens; mihi in Svecia & Norwegia non obvia, sed in specimine masculo a D. *Stæger* communicata.

♂. Priori paullo minor. Frons nigra, nitens. Antennæ obscuræ. Epistoma infra oculos minime descendens, albo-micans. Proboscis testacea. Thorax subtus niger, nitidus, macula supra coxas medias cinerea; supra æneo-niger, subopacus. Abdomen nitidum, e violaceo resplendens. Alæ longitudine abdominis nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem lenissime subconvergentibus. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes cum coxis rufo-flavi. Femora in medio late & sat saturate brunnea. Tibiæ fuscæ, apice testaceæ. Tarsi testacei, apice fusci. — In altero individuo nuper a D. *Stæger* misso femora antica fere tota rufo-flava.

2. Pedes in mare intermedii: tarsorum articulis apice incrassatis; antici: femoribus subtus in medio spinulosis, tibiis sinuatis. Cauda maris distincte inflexa, utrinque breviter penicillata. *Enicopus* Walker. Macq. Suppl.

19. S. *annulipes:* nigra, epistomate rufescente; pedibus atris, coxis totis, & femorum tibiarumque basi flavis; alis hyalinis, nervis transversis subapproximatis, longitudinalibus 3 & 4 subparallelis. ♂♀. (Long. 1—1$\frac{1}{3}$ lin.).

Mas: abdomen lineare, ano inflexo piloso, penicillo utrinque brevi nigro, plerumque recondito; femora antica subtus setulosa; tarsi intermedii albi subtus brevissime nigro-pilosuli, tarsis apice, articulis primo angustissime, ceteris latissime atris; alis abdomine paullo brevioribus;

Fem.: abdomen lanceolatum, subacutum; pedes antici simplices, inermes; tarsi intermedii simplices, articulo primo rufo, apice ceterisque totis nigro-fuscis; alis longitudine abdominis; in copula.

Meig. Dipt. 5. 292. 16. *Nemopoda* Macq. Buff. 2. 482. 8. Meig. Dipt. 7. 350. 6. ♂. Stæg. Monogr. Seps. p. 35. 14. ♂♀. *Enicopus* Macq. Buff. 2. Suppl. p. 664. 1. ♂♀.

Hab. in graminosis ad aquas præsertim Scandinaviæ meridionalis Maj—Septemb. passim minus frequens, etiam in copula a me deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c., rarius; in Smolandia, collectio *Ljunghii*; in Dania passim, sed in Amager sæpe copiose, teste D. *Stæger*.

♂♀. Per tarsorum intermediorum structuram & picturam mas ab omnibus aliis statim dignoscitur, femina vero cum *S. stercoraria* (14) facile confundi potest, nisi ad colorem pedum anticorum in *S. annulipede* paullo obscuriore, probe attendas. — Nigra, nitida. Antennæ rotundatæ, nigræ, interdum obscure rufescentes, saltem basi. Epistoma infra oculos minime descendens, obscure rufescens, albo submicans. Proboscis obscura. Macula pectoralis supra coxas intermedias cinerea. Abdomen subincurvum, convexum, nudum, metallice nitens. Penicilli maris ad latera segmenti ultimi sine dubio semper adsunt, sed sæpe sub cauda inflexa occulti. Alæ feminæ longitudine abdominis, maris illo fere paullo breviores, in utroque sexu hyalinæ, ad costam & præcipue in regione apicis nervi longitudinalis 2:di lenissime & langvide fuscanæ. Nervi transversi ita approximati, ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti ultimum secundo triplo longius evadat. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli l. parum ad apicem convergentes. Squamæ vix ullæ. Halteres albi. Pedes nigri, l. nigro-brunnei, coxis, trochanteribus, femorumque basi anguste, rufo-flavis. Genicula antica in utroque sexu & tibiarum anticarum apex in ♂, sæpe etiam rufescunt. *Mas:* tarsorum intermediorum articulo 1:mo elongato albo, apice incrassato atro, 2:do incrassato atro, basi anguste albo, 3, 4 incrassatis & 5 totis atris. *Femi-*

na: tarsis intermediis simplicibus nigris, articulo 1:mo ferrugineo.

---

158. LISSA Meig.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, angustum, subcylindricum, subtiliter punctulatum, duriusculum, setis in vertice & thoracis postico paucissimis, in apice scutelli 2; de cetero non pilosum. Caput globosum. Frons in utroque sexu modice lata, in medio longitudinaliter foveolata, antice nonnihil protuberans. Antennæ protuberantiæ frontis insertæ, oblique porrectæ, non magnæ, rotundato-ovales, compressæ, seta elongata, breviter subpubescente. Epistoma infra oculos minime descendens, subreclinatum, subcarinatum, apice emarginatum, totum nudum. Instrumenta cibaria parum prominula. Oculi magni, tota capitis latera implentes, oblongi, in fronte in utroque sexu modice remoti, paralleli, nudi, obscure brunnei. Abdomen longum, tenue, 6-annulatum (segmento anali computato). Alæ abdomine paullo breviores, subincumbentes, non vibrantes. Nervi ut in *Sepse* directi, sed transversi nonnihil remotiores & 6:tus longitudinalis fere ad marginem interiorem alæ extensus. Nervus auxiliaris ad medium costæ extensus a secundario separatus. Squamæ rudimentariæ. Pedes puberuli, inermes, femoribus validis; postici elongati, femoribus subtus breviter rigide ciliatis l. serrulatis, tibiis leniter arcuatis. Tarsi omnes articulo 1:mo fere longitudine reliquorum simul sumtorum. Pedes antici a posterioribus remoti. *Color* niger. *Motu* haud agilis; volatus brevis. *Habitatio* in herbis. *Metamorphosis* ignota. *Discrimen sexus; mas:* abdomen subfiliforme, cauda crassa, longiuscula, sub apice abdominis inflexa ventrique arcte applicata; segmentum 4:tum ventrale apice elevatum; epistoma sub antennis valde angustum ex orbitis oculorum fere totum exceptum; *femina:* abdomen angustum ver-

sus apicem sensim paullo crassius, apice subacuto; epistoma modice angustum, medio carinatum.

1. *L. loxocerina:* nigra, nitida, antennis testaceis, seta albida; abdominis maculis lateralibus niveis; pedibus rufo-flavis, tarsis anticis nigris; alis cinereo-hyalinis, immaculatis. ♂♀. (Long. ♂ $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$, ♀ 3—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 370. 1. ♂♀. T. 52. f. 3. ♂. f. 4. ♀. — Macq. Buff. 2. 377. 1. ♂♀. T. 18. f. 3. ♂. (capite in figura nimis deformi). — *Chyliza* eadem Fall. Opomyzid. 6. 1. ♂♀. — *Ocyptera dolium* Fabr. Antl. 315. 12.

Hab. in Scandinavia meridionali & media valde rara, mihi in foliis Arctii Lappæ rore humectatis in vicinitate silvæ Ulmi a medio Julii ad medium Augusti obvia, in copula etiam aliquoties capta; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby 6 mares & 3 feminas ipse inveni, ad prædium Gylleboda, *Fallèn;* in Ostrogothia ad Gusum (in ligno Populi Tremulæ cæso), D. Prof. *Wahlberg;* in Dania rarissime, D. *Stæger.*

♂♀. Habitus *Loxoceræ ichneumoneæ*, sed capitis antennarumque structura &c. longe diversa. Frons tota atra, nuda. Vertex 4-setosus. Antennæ luteæ, superne dilute brunneæ, seta elongata, albida. Epistoma inferne modice latum, superne angustum, totum obscure rufescens albo-micans, in medio longitudinaliter carinatum, orbitis oculorum albis. Proboscis crassiuscula nigra, interdum subexserta. Palpi breves, subcylindrici, apice saltem obscuri. Thorax oblongus, subtiliter punctulatus, niger, subtus nitidus, supra tenuissime puberulus, ad latera ante alas canaliculatus. Abdomen atrum, nigro-puberulum, segmentis margine apicali ad latera tenuiter albis. Alæ breviusculæ, cinereo-hyalinæ. Nervi longitudinales 3 & 4 subparalleli, transversi perpendiculares, horum ordinarius fere in medio areæ ultimæ situs. Halteres albi. Pedes omnes cum

coxis anticis rufo-flavi, coxis posticis nigro-piceis. Tarsi antici nigri, postici fusci. Tibiæ anticæ & posticæ sæpe etiam fuscescunt. Femora antica ad apicem in utroque sexu, atque etiam postica ante medium in ♂, annulo fusco, interdum obsoleto. — Affinis generi *Cordyluræ*.

---

159. SAPROMYZA Fall.

Corpus minoris magnitudinis, interdum parvum, oblongo-ovatum l. ovatum, obtusum, molliculum, pubescens & parce setosum. Scutellum 4-setosum. Caput rotundatum l. subhemisphæricum. Frons in utroque sexu lata, leniter prominula, vix puberula, sed posterius utrinque sat fortiter setosa. Antennæ breviusculæ, longitudine circiter dimidii epistomatis, oblique deflexæ rotundatæ aut oblongæ, compressæ, apice obtusæ, seta normaliter nuda (interdum pubescente, & in *S. plumicorni* (24) & *rivosa* (26) plumata). Epistoma perpendiculare, modice breve, non impressum, nec apice reflexum, totum nudum. Organa oris retracta. Palpi subfiliformes. Proboscis crassa. Oculi sæpissime rotundi, semper nudi, in viva ferruginei aut aureo-virides. Thorax setosus, absque sutura transversa. Scutellum distinctum. Abdomen 5-annulatum, setulosum, oviductu ♀ parum erumpente. Alæ incumbentes, non vibrantes, abdomine nonnihil longiores, latiusculæ. Nervi: longitudinales recti, 1:mus seu auxiliaris non ad medium costæ extensus, a secundario sæpius remotus, 3:tius (in apice alæ excurrens) & 4:tus subparalleli, 6:tus brevissimus, longe ante marginem interiorem cessans; transversi plerumque modice remoti, subperpendiculares, horum medius apici nervi auxiliaris oppositus. Areæ basales breves, æque longæ. Alula minuta. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ rudimentariæ, ciliatæ. Pedes mediocres, simplices (in masculis femora interdum incrassata), inermes, nudi, tibiis intermediis apice bicalcaratis & femoribus anticis extus pilosu-

lis. Tarsi ut in *Lissa*. *Color* flavus (in *S. pallidiventri* n:o 25 & *rivosa* n:o 26 cinereus). *Motu* sat tarda. *Habitatio* in foliis & succo plantarum. *Metamorphosis* latet. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso, femoribus interdum incrassatis; *femina:* ano acuto, oviductu parum exserto, vagina articulata, femoribus simplicibus. Affinis generi *Pallopteræ*. *Typi* generis: *S. 10-punctata* (2), *rorida* (7) & *flava* (27).

Sect. Prima. Alarum nervi transversi remoti. Pedes in utroque sexu simplices.

Subd. 1:ma. Corpus totum flavum vel ferrugineum; abdomine raro fuscescente aut interdum apice nigropunctato.

A. Alæ maculatæ. (Alæ punctis pluribus l. paucioribus notatæ, interdum tantum summo apice lenissime & langvide fuscæ).

1 *multipunctata* Fall. ♂♀. 2 *decempunctata* Fall. ♂♀. 3 *notata* Fall. (*S. 12-punctata* Macq.) ♂♀. 4 *sexnotata* Stæg. (*S. notata* Macq. non Fall.) ♂♀. 5 *præusta* Fall. ♂♀. 6 *affinis* Zett. (*S. præusta* Fall. ex parte; Zett. Ins. Lapp.) ♂♀.

B. Alæ immaculatæ.

a) seta antennarum pubescente vel nuda.

† abdomine toto aut fusco aut flavo aut brunnescente.

*. Antennæ totæ flavæ.

7 *rorida* Fall. (var. a. b. An var. b. est *S. brunnitarsis* Macq. & Meig.?) ♂♀. 8 *læta* Zett. (var. a. b.) ♂♀. 9 *hilarella* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 10 *obesa* Zett. n. sp. ♂. 11 *tibia-*

lis Macq. ♂. 12 *spinitarsis* Zett. n. sp. ♂. 13 *melanogaster* Zett. Ins. Lapp. ♂♀.

**. Antennæ apice nigræ.

14 *obsoleta* Fall. (Vix *Musca flava* Fabr. *Sylvia apicalis* Rob. Desv.) ♂♀. 15 *tarsella* Zett. n. sp. (*S. obsoleta* Fall. var. in observ.) ♂. 16 *setiventris* Zett. ♂♀. 17 *chloropthalma* Zett. Ins. Lapp. ♂. 18 *subfasciata* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 19 *pallida* Fall. (non Meig.) ♂♀.

†† abdomine flavo, nigro-punctato. Antennæ flavæ, immaculatæ.

20 4-*punctata* Linn. ♂♀. 21 6-*punctata* Meig. 22 4-*notata* Zett. n. sp. ♂♀. 23 *melanura* Zett. n. sp. ♀.

b) seta antennarum plumata.

24 *plumicornis* Fall. ♂♀.

Subd. 2:*da*. Thorax cinereus. *Minettia* Rob. Desv.

25 *pallidiventris* Fall. ♂♀. 26 *rivosa* Meig. (*Lauxania fasciata* Fall. Suppl.) ♂♀.

Sect. Secunda. Alarum nervi transversi approximati. Nervi: auxiliaris & secundarius plerumque parum separati. Pedes in mare femoribus sæpe incrassatis. Antennæ parvæ, rotundatæ. — Species minutæ, pallide flavæ, *Opomyzæ* affines, forte proprii generis, cui nomen *Thyrimyza* (a θυζις, fenestra) proponerem, quia in fenestris imagines plerumque versantur. *Lyciæ* species Rob. Desv.

Tribus 1:*ma*. Antennæ totæ flavæ.

α) abdomine flavo immaculato.

27 *flava* Linn. (var. a. b.) ♂♀. 28 *femorella* Fall. ♂♀. 29 *albiceps* Fall. (*S. albifrons* Macq.) ♂♀. 30 *interstincta* Fall. (var. a. b.) ♂♀. 31 *consobrina* Zett. n. sp. ♂♀.

Obs. Saprom. ungvicella Zett. Ins. Lapp. 753. 12. ore seta utrinque mystacina parva prædito, a *Sapromyzis* removeri debet, *Geomyzidibus* introducenda & *Geomyza ungvicella* vocanda.

β) abdomine flavo, postice punctis minutis nigris notato.

32 *bipunctella* Zett. n. sp. (var. a. b. An *S. bipunctata* Meig.??) ♀ (an quoque ♂?).

Tribus 2:da. Antennæ aut apice aut basi nigræ.

33 *lutea* Fall. (var. a. b.) ♂♀. 34 *chrysophthalma* Zett. n. sp. (*Musca flava* Fabr.? minime Linn. — *Sapr. puncticornis* Hagenb. forte) ♂♀. 35 *basalis* Stæg. ♂♀.

Sapromyza.

Sect. Prima. Alarum nervi transversi remoti. Pedes in utroque sexu simplices.

Subdiv. 1:ma. Corpus totum flavum l. ferrugineum; abdomine raro fuscescente, aut apice nigro-punctato.

A. Alæ maculatæ. (Alæ punctis pluribus l. paucioribus fuscis notatæ, interdum tantum summo apice leniter fuscæ).

1. *S. multipunctata:* flava, alis pallescentibus, maculis costali ad basin unica, apicalibus tribus, nervis transversis, punctisque tribus in nervo longitudinali tertio, fuscis; interstitio nervorum langvide nebuloso. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Ortalid. 30. 2. ♀. Meig. Dipt. 5. 271. 31. Macq. Buff. 2. 401. 24.

Hab. in herbis & fruticetis Scandinaviæ meridionalis Aug. Sept. rarius; scilicet in Scania ad Lund, D. D. *Dahlbom & von Borck;* in Urtica dioica ad villam molarem Kjellby prope Lund 6—12 Sept. 1838 in utroque sexu copiose inveni, eam vero ibi nec antea nec postea observavi; in Daniæ hortis & sepimentis rarius capta. (Ad Sedinum Germaniæ 8 Jun. 1842 a D. *Dahlbom* deprehensa).

♂♀. Alæ nebulosæ & pluripunctatæ speciem designant. — Frons latissima, flava, setis nigris. Antennæ longitudine dimidii epistomatis, ovales, deflexæ, flavæ, seta breviter plumata, nigra, basi flava. Epistoma infra oculos parum descendens, albo-micans. Instrumenta cibaria retracta. Proboscis flava. Palpi flavi, summo apice puncto nigro. Oculi mediocres, subrotundi, in viva rufo-ferruginei, æneo-micantes, unicolores. Thorax subopacus, supra rufo-flavus, nigro-setosus, vestigio striarum ferruginearum; infra albo-flavus, setis paucis. Scutellum flavum, nigro-puberulum & parce nigro-setosum. Alæ cinereo-flavidæ, maculis seu nubeculis in interstitiis nervorum præsertim ad marginem interiorem valde langvidis. Sed in costa ad apicem nervi auxiliaris macula unica, & ad apicem alæ (in ipso apice nervorum longitudinalium 2, 3 & 4) maculæ tres distinctiores, fuscæ. Nervi transversi præcipue ad apices fuscedine cincti. Præterea in nervo longit. 3:tio inter transversum medium & apicem puncta 3 fere æqvali spatio remota, fusca. Halteres & pedes simplices toti pallide flavi, femoribus anti-

cis parce nigro-pilosis. — Variat rarius alarum punctis apicalibus fuscis subconfluentibus.

2. S. *decempunctata:* flava, alis pallescentibus, maculis apicalibus tribus nervisque transversis fuscis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Fall. Ortal. 30. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 270. 29. T. 46. f. 12. Macq. Buff. 2. 401. 20. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 751. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, floribus Umbellatarum &c., per hortos & prata Scandinaviæ meridionalis & mediæ vulgatissima, borealis rarius, sub tota æstate vigens, in copula etiam sæpe deprehensa; scilicet in Scania & Blekingia ubique vulgaris; in Smolandia ad Skärsjö &c., frequens; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp &c., non parce; in Ölandia; in Gottlandia ex. gr. ad Östergarn; in Uplandia ad Holmian, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia usque ad radicem alpis Åreskutan rarius; in Dania passim.

♂♀. Priori affinis & valde similis, sed maculis in singula ala tantum 5, vere distincta. Caput cum antennis, thorax, scutellum, abdomen & pedes omnino ut in præcedente. Alæ flavidæ, nervis transversis & apice nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 fuscis. Macula vero costalis ad apicem nervi auxiliaris, puncta tria in nervo longitudinali 3:tio & nebulæ interstitiorum omnino deficiunt. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem lenissime divergunt, transversus ordinarius mox ante medium areæ ultimæ insertus. — Variat antennis apice leniter fuscis. — Var. ♂ abdomine basi nigricante. — Variat denique uterque sexus junior toto corpore pallidiore at alarum punctis fuscis obsoletis.

3. S. *notata:* ferrugineo-flava, alis cinereo-hyalinis, maculis apicalibus tribus, nervis transversis totis, pun-

ctisque duobus in nervo longitudinali tertio, fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ortal. 30. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 271. 30. Zett. Ins. Lapp. 751. 2. ♂♀. *Sapr.* 12-*punctata* Macq. Buff. 2. 402. 29.

Hab. in fruticibus plerumque locis paludosis & sæpe in vicinitate maris, per Scandinaviam meridionalem & Lapponiam, Jun.—Aug., passim rarius, in copula capta; scilicet in Scania ad Esperöd *(Fallèn)*, Näsbyholm *(Dahlbom)*, & Sandhammar (in Alnetis in littore maris 14 Aug. 1838 uterque sexus sat frequens, ipse); in Lapponia Umensi ad pagum Wilhelmina unicum par in copula junctum inveni, sed in Svecia media hactenus non observata, quantum noverim, nisi in Ostrogothia ad Gusum ut mihi nuperrime asseveravit D. *Wahlberg;* in Dania ad Hafniam parce, D. *Stæger.*

♂♀. *S. multipunctatæ* (1) proxime accedit, sed paullo minor, & macula costali fusca ad exitum nervi auxiliaris omnino deficiente, punctis in nervo longit. 3:tio plerumque tantum binis, raro tribus, ut & nubeculis in interstitiis nervorum omnino nullis, aperte recedit. Caput, thorax, scutellum, abdomen & pedes exacte ut in *S. multipunctata.* Maculæ in singula ala plerumque 7, nempe puncta 2 (abnormiter 3) libera in nervo longitudinali tertio, maculæ 3 in apice nervorum longitudinalium 2, 3 & 4, quarum 1:ma seu costalis major sæpe cum puncto infra posito confluens, & denique nervi transversi infuscati. — Cum *Opomyza punctella* infra confundi non debet.

4. *S. sexnotata:* flava, alis pallescentibus, maculis apicalibus tribus, nervis transversis totis, punctoque uni-

co in nervo longitudinali 4:to, fuscis. ♂♀. (Long. 1⅓ lin.).

Stæg. in litteris 11 Aug. 1841. *Sapr. notata* Macq. Buff. 2. 401. 23. ♂♀. (exclusis synonymis Fall. & Meig.). T. 18. f. 12.

Hab. in Dania? Mihi in Scandinavia numquam obvia, nec a me visa.

♂♀. Simillima fuerit priori præter alarum punctum fuscum tantum unicum (nec 2 l. 3) in nervo longitudinali 4:to (nec in 3:tio) inter nervum transversum ordinarium & apicem.

5. *S. præusta:* pallide flava, antennis tarsisque concoloribus; alis flavido-hyalinis, nervo transverso ordinario apiceque langvide fuscanis. ♂♀. (Long. fere 1½ lin.).

Fall. Ortal. 31. 4. ♂♀. (sub qua etiam sequens species latet). — Meig. Dipt. 5. 261. 14. ♂♀. Macq. Buff. 2. 399. 10.

Hab. in foliis fruticum, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ præsertim meridionalis, Jun.—Aug., passim, etiam in copula; loca umbrosa amans; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Silfåkra, Lindholmen, Esperöd, Elmhult, &c., vulgaris; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Dania frequens, D. *Stæger*, qui exempla quoque communicavit. (In Rugia ad Putbus & ad Gryphiam, D. *Dahlbom).*

♂♀. Tota pallide flava parce nigro-setosa. Antennæ flavæ, immaculatæ, seta obscura distincte pubescente l. breviter plumata. Epistoma albidum. Proboscis flava. Palpi apice nigri. Punctum stemmatum nigrum. Oculi in viva rufo-ferruginei, æneo-micantes, in mortua obscure ferruginei. Abdominis segmentum 1:mum basi plerumque macula fusca. Alæ longiusculæ, subhyalinæ, flavedine tantum leviter tinctæ, nervis transversis late remotis, horum ordinario mox ante medium areæ inserto, te-

nuiter infuscato. Nervi longitudinales 2, 3 & 4 apice leniter fuscani, fuscedine plerumque confluente, ita ut apex alæ fuscus videatur, sed plerumque valde obsolete. Halteres & pedes pallide flavi, omnino immaculati.

6. *S. affinis:* pallide flava, antennis apice tarsisque totis nigricantibus; alis flavido-hyalinis, apice langvide fuscanis. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Saprom. præusta Fall. Ortal. 31. 4. var. (in descriptione: "antennæ apice interdum nigræ"). — *Saprom. præusta* Zett. Ins. Lapp. 751. 3. ♂♀. (exclus. syn. Meig.).

Hab. cum præcedente, sed longius latiusque divulgata, sub tota æstate & in copula quoque deprehensa; occurrit nempe in Scania ad Lindholmen, Tranås, Esperöd, Widtsköfle (von *Borck)*, Sandhammar, &c., vulgaris; in Smolandia, *(Ljungh)*; in Ostrogothia ad Lärketorp &c. non parce; in Westrogothia, *Gyllenhal;* in Jemtlandia raro, D. *Dahlbom;* in Lapponiis rarissime, ex. gr. in Umensi ad Lycksele, ipse, & Tornensi, D. *Deutsch;* in Norwegia ad Levanger & Thynæs frequens; ad Christianiam, D. D. *Dahlbom & Moë;* ut Daniæ incola a D. *Stæger* missa. (E Finlandia olim a D. Prof. *Sahlberg*, & nuperrime etiam a D. Mag. *Nylander* ex Uleåborg communicata).

♂♀. Priori ut ovum ovo similis, sed antennarum apice tarsisque nigris, & alarum nervo transverso ordinario non infuscato, vere diversa. Antennarum articulus ultimus rotundatus a medio ad apicem niger. Alæ apice anguste & langvide fuscanæ. Tarsi toti nigricantes l. obscuri. Reliqua omnia ut in præcedente.

B. Alæ immaculatæ.

a) seta antennarum pubescente l. nuda.

† abdomine toto aut flavo aut fusco aut brunnescente.

*. Antennæ totæ flavæ.

7. S. *rorida:* oculis rufis æneo-micantibus (*) flava, epistomate, pectore pedibusque albo-flavis; alis flavescentibus; antennis oblongo-ovatis, seta pubescente, nigra. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ortal. 32. 7. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 259. 1. Macq. Buff. 2. 398. 3. Zett. Ins. Lapp. 751. 4. ♂♀.

Hab. in fruticum foliis roridis, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ sub tota æstate, sed præsertim versus autumnum, omnium vulgatissima, regiones Lapponiæ alpestres tantum aufugiens; in copula sæpe observata; feminæ valde lascivæ masculos currendo persequuntur & sub copula erigunt vaginam stylosque 2 laterales; occurrit scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia ubique frequentissima; in Ölandia; in Gottlandia ad Westö (in Hall), Gothem, Westerby, Thorsborg, Kjellunge, Nähr, Garde, Furillen, Rhone, Ahlskog, Fardhem, &c., interdum copiose; in Nericia; in Bahusia ad Marstrand & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Helsingia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia usque ad Ristansfors (in paroeccia Undersåker) & diversorium Skalstugan prope jugum alpinum, non parce; in Ångermannia ad Hernösand; deinde raro mihi obvia, & intra Lapponiæ fines tantum rarissime visa; e Norwegia meridionali com-

---

*) color oculorum ex vivis descriptus.

municata; in Dania ubique vulgaris, D. *Staeger*. (Ad Gryphiam, Neuenkirchen, Elisenheine, Trawemündiam, Hamburgum, Sedinum atque ad Moabite prope Berolinum, a D. *Dahlbom* pluries lecta; etiam e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missa).

♂♀. Tota pallida, immaculata, subnitida, setis ordinariis nigris. Frons flava, puncto verticis nigro. Antennæ totæ flavæ, articulis 1 & 2 brevissimis, 3:tio oblongo-ovato, apice obtuse rotundato, basi seta dorsali pubescente, nigricante. Epistoma flavo-album. Palpi pallidi, immaculati. Proboscis flava. Oculi rotundi, unicolores, in viva rufi, æneo-micantes, in mortua obscure ferruginei. Thorax supra flavus, subtus albidus. Sternum inter coxas anticas & intermedias nigro-setulosum. Scutellum subplanum, flavum. Metathorax flavus. Abdomen flavo-testaceum, raro sordide testaceum, plerumque immaculatum, interdum incisuris tenuiter albidis, aliquandoque incisuris (in ♀) anguste fuscis; in ♂ ovato-oblongum, apice subacutum, ano ipso parvo rotundato parum inflexo; in ♀ oblongo-ovatum, apice distincte acutum, oviductu vaginato parum erumpente apice bistylato. Alæ mediocriter latæ, flavedine perspicue tinctæ. Nervi pallescentes; auxiliaris a secundario remotus; transversus ordinarius nonnihil ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longitudinalis ultimum 2:do tantum $1\frac{1}{3}$ longius evadat. Halteres albidi. Pedes cum tarsis toti albo-flavi, femoribus anticis extus parce nigro-pilosis. — Nuper exclusa tota albido-flava, alis fere hyalinis. — Variat antennarum summo apice umbra fusca leniter tincto.

Var. b. ♂♀. Simillima var. a. & differt tantum tarsis posticis dilute brunnescentibus. An *Sapr. brunnitarsis* Macq. p. 398. 4.? Meig. Dipt. 7. 344. 38? Hab. cum var. a. præsertim in Gottlandiæ pratis ad Westerby & Rhone.

8. *S. læta:* oculis ferrugineis æneo-micantibus flava, epistomate pedibusque albo-flavis; alis flavo-hyalinis; an-

tennis ovatis, seta subnuda, apice fusca. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 752. 5. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum per Scandinaviam præsertim borealem Jul.—Aug. passim; scilicet in Scania ad Lund & Widtsköfle rarissime; in Gottlandia ad Gothem semel; in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan non parce; in Ångermannia ad Hernösand; in Bottnia boreali ad Luleå; in Lapponia Umensi ad Lycksele & Wilhelmina haud raro; in Norwegia ad Thynæs, Oestre Næs & Garnæs Værdaliæ frequens; inter Alten & Kautokeino Finmarkiæ parce.

♂♀. Priori similis, sed saltem duplo minor, & antennis paullo brevioribus, seta magis nuda, oculis proportione minoribus, exacte orbicularibus, ut & alis magis hyalinis, parum flavescentibus, vere distincta. — Frons, antennæ, palpi, proboscis, thorax & abdomen flava sunt & immaculata. Punctum verticis nigrum. Epistoma & pedes flavo-albida immaculata. Alarum nervi ut in præcedente directi.

Var. b. ♂♀. antennarum seta pubescente, de cetero in omni puncto cum var. a. conveniens. ♂ in Scania, ♀ ad Næs Norwegiæ semel inventi.

9. S. *hilarella:* oculis virescentibus flava, capite pedibusque albo-flavis; alis subhyalinis; antennis rotundato-ovatis, seta subnuda, apice fusca. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 752. 6. ♂♀.

Hab. locis umbrosis libenter ad rivulos ubi læte vigent frutices Betulæ, Alni & Salicis, per Scandinaviam borealem & Lapponiam, sat frequens, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Dalecarlia; in Jemtlandia boreali ad Mullfjellen &c. passim; in Lapponiis: Umensi ad Lyckse-

le, Stensele, Nästansjö & Wilhelmina, non raro; & Lulensi ad alpem Njunnats, D. *Wahlberg;* etiam in inferalpinis maritimis Nordlandiæ Norwegicæ ex. gr. ad diversoria Björkvik & Giebostad, haud parce; in Dovre a D. *Boheman* capta.

♂♀. Priori iterum affinis & valde similis, sed paullo minor, adhuc fere pallidior, & antennis nonnihil forte brevioribus, capite toto (exceptis antennis & proboscide) cum fronte albescentibus, ut & alis paullo magis hyalinis, vix flavedine tinctis, distincta videtur. A *S. flava* (27) ejusque affinibus, quibus etiam accedit, alarum nervis transversis paullo remotioribus, & femoribus maris simplicibus, mox dignota. Oculi in viva virides, in mortua violacei l. obscure ferruginei. Frons sæpe læte citrina. Antennæ in ♂ subovatæ, in ♀ magis rotundatæ. Alarum nervus costalis brevissime & tenuissime nigrociliatus. Cetera ut in *S. læta.*

10. *S. obesa:* oculis ferrugineis æneo-micantibus ovata ferrugineo-flava, epistomate pedibusque pallidioribus; abdomine ovali brunnescente; alis flavicantibus; antennis oblongo-ovatis, seta subnuda, nigricante. ♂. (Long. $1\frac{1}{3}$ lin.).

Hab. in fruticibus; in litore maris ad Sandhammar Scaniæ meridionalis d. 14 Aug. 1838 rarissime inveni.

♂. Statura corporis latiuscula obtusa & colore saturatiore, a præcedentibus distingvitur. A *S. obsoleta* (14), cui magnitudine, forma & colore corporis accedit, antennis palpisque totis flavis, nec apice nigris, &c. discedit. Caput latiusculum, transversum. Frons flavo-lutea. Antennæ oblongiusculæ, apice subobtusæ. Epistoma albido-flavum. Proboscis testacea. Oculi majusculi, ovati, non rotundi. Thorax sordide ferrugineo-flavus, subtus pallidior. Scutellum subplanum, flavum. Abdomen lati-

usculum, ovatum l. subovale, fere totum brunneum, nitidum, apice rotundatum. Alæ cinereo-flavescentes, nervis ut in *S. rorida* (7) directis, sed transverso ordinario fere in medio areæ inserto. Halteres & pedes toti albido-flavi, immaculati.

Obs. Specimen ad Moabite prope Berolinum 16 Jul. 1842 deprehendit mihique communicavit D. *Dahlbom*, quod cum mare descripto statura corporis & colore partium omnino convenit, exceptis abdomine ovato (nec ovali), apice acuto, dorso tantum fusco-maculato, nec fere toto brunnescente, ut & nervo transverso ordinario paullo longius ante medium areæ inserto; vix hujus femina.

11. S. *tibialis:* oculis - - - - - testaceo-flava, fronte antennisque læte flavis; epistomate pedibusque albo-flavis; alis pallide hyalinis; antennis oblongo-ovatis, seta subnuda, nigricante; maris pedum posticorum femoribus ad apicem subtus fasciculo pilorum nigrorum, tibiis crassiusculis ad apicem intus macula nigra. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Macq. Buff. 2. 399. 12. ♂. Meig. Dipt. 7. 315. 40. ♂. (e descriptione Macq. transscripta).

Hab. in Scania rarissime; in vicinitate urbis Lund mense Julio bis inventa.

♂. Pedum posticorum femoribus apice subtus pilosis & tibiis dilatatis apice macula nigra notatis, ab omnibus diversa. Frons læte flava. Antennæ totæ fulvo-flavæ, apice subobtusæ, seta obscura. Epistoma albidum. Palpi flavi, immaculati. Proboscis testacea. Oculi mediocres l. majusculi, rotundati, in mortua ferruginei (color in viva non annotatus). Thorax flavo-testaceus, parum nitidus, subtus paullo dilutior, nitidus. Scutellum planum, flavum, nitidum. Abdomen oblongum, haud latum, testaceum, subnitidum, nigro-pilosulum, ano parvo, parum inflexo. Alæ cinereo-hyalinæ, subpallescentes, nervis ut in priori directis. Pedes toti palide l. albido-flavi, subtilissime nigro-pube-

ruli. Femora antica extus ut in affinibus nigro-pilosa. Femora postica ad apicem subtus pilis 5—6 brevibus nigris fere in fasciculum condensatis munita. Tibiæ posticæ ceteris validiores l. latiores in ipso apice intus macula parva oblonga atra notatæ.

Obs. Individuum femineum in Scania semel legi mari delineato simile, sed femoribus posticis absque fasciculo pilorum & tibiis posticis simplicibus absque macula nigra, diversum; an hujus femina?

Obs. A *S. 4-punctata* n:o 20 vix nisi magnitudine paullo minore, colore forte pallidiore & abdomine immaculato distingvitur.

12. *S. spinitarsis:* oculis - - - - - flava, epistomate pedibusque albo-flavis; alis pallide hyalinis; maris pedum posticorum tibiis crassiusculis, tarsis apice pilosis & spina elongata armatis. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in silva Räften prope Lund Scaniæ mense Julio specimen descriptum ante plures annos inveni.

♂. Per armaturam singularem tarsorum posticorum valde eximia, nec forte monstrosa. Statura corporis & color prioris. Frons pallide flava. Antennæ articulis 1 & 2 fulvo-flavis (ultimo deficiente). Epistoma albidum. Palpi & proboscis flava immaculata. Oculi mediocres rotundi, in mortua ferruginei, in viva (ni memoria fallor) ut in *S. rorida* (7), cum qua capta, colorati. Thorax pallide testaceo-flavus. Scutellum flavum. Abdomen subconicum, flavo-testaceum, ano parvo. Alæ ut in priori, sed nervus transversus ordinarius distincte ante medium areæ insertus, ita ut segmentum nervi longit. 4:ti secundum ultimo saltem $1\frac{1}{2}$ brevius. Halteres & pedes toti albido-flavi. Femora antica extus nigro-pilosa. Tibiæ posticæ validæ. Tarsi postici leniter fuscani, apice pilis 5—6 muniti, & spinula tenui elongata (longitudine totius tarsi) subarcuata ferruginea ungviculorum loco armati.

13. S. *melanogaster:* oculis ferrugineis æneo-micantibus pallide flava, epistomate pedibusque albo-flavis; abdomine obscuro; alis pallescentibus; antennis rotundato-ovatis, seta pubescente, nigricante. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 752. 10. ♀.

Hab. in foliis fruticum locis umbrosis Jul. Aug. minus frequens; scilicet in Scania ad Lindholmen rarissime; in Jemtlandia ad lacum Lithen prope diversorium Upland semel; in Ångermannia ad Hernösand parce.

♂♀. S. *roridæ* (7) valde propinqua & similis, sed paullo minor, & antennis magis rotundatis, ut & præcipue abdomine fusco l. nigricante dignoscitur. Oculi minores, ovato-rotundati, in mortua ferruginei. Epistoma infra oculos subdescendens. Genæ sublongiusculæ. Proboscis fusco-testacea. Tarsi apice lenissime fuscani, postici in specimine Scanico toti fusci.

**. Antennæ apice nigræ.

14. S. *obsoleta:* oculis æneo-viridibus transversim purpureo-bilineatis flavo-ferruginea, epistomate pedibusque flavis; antennarum palporumque apice nigro; tarsis simplicibus nigricantibus; alis flavescentibus; antennis oblongis, seta subnuda, fusca; abdomine inermi. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Ortal. 31. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 260. 2. Macq. Buff. 2. 397. 1. Zett. Ins. Lapp. 752. 8. ♂♀. (Vix *Musca flava* Fabr. Ent. Syst. 4. 355. 177. (exclus. syn. Linn. &c.)? — Vix *Tephritis flava* Fabr. Antl. 317. 6?). *Sylvia apicalis* Rob. Desv., teste Macqvart. (Sub *Saprom. rorida* Fall. Ortal. 32. 7. var. in descriptione: "palpis & antennis apice nigris" etiam latet).

Hab. in foliis fruticum Coryli, Betulæ, Alni &c., nec non in graminosis & variis plantis, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ, sub tota æstate, vulgaris, in copula sæpe deprehensa; tardigrada; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Silfåkra, Björnstorp, Vestra Ahlstad *(Möller)*, Sjörup, Röstånga, Tranås, Esperöd, Widtsköfle *(von Borck)*, Sandhammar, &c., passim copiose; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Medhamra &c.; in Ölandia, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Nähr; in Dalecarlia ad Rörshyttan & Stora Tuna; in Norwegia a Christiania *(Moë)* & usque ad Levanger, Thynäs & Näs frequens; in Dania non raro, D. *Stæger*. (In Finlandia ad Uleåborg a D. *Nylander*, & ad Aboam a D. *Sahlberg* lecta. E Trawemündia plura exempla mihi misit D. *Dahlbom*).

♂♀. Statura corporis proportione magnitudinis robusta, colore flavo supra in ferrugineum vergente, antennarum palporumque apice atro & tarsis fere totis obscuris, species distingvitur. Nitida. Antennæ oblongiusculæ, articulo ultimo ab apice ad medium atro. Epistoma infra oculos nonnihil descendens, albo-flavum. Genæ subdescendentes. Oculi parvi, rotundi, in viva æneo-viridibus, lineis 2 purpureis, in mortua obscure ferruginei. Thorax parce nigro-setosus. Scutellum subplanum, flavum, setis 4 marginalibus validis nigris. Abdomen in ♂ ovale, in ♀ ovatum, in utroque sexu flavo-testaceum, raro fuscanum, parcissime obscure puberulum, & pilis aliquot nigris præsertim ad latera & versus apicem obsitum, sed nullis setis validis munitum. Alæ flavicantes, nervo tantum costali imprimis versus apicem alæ nigricante. Nervus transversus ordinarius paullo ante medium areæ insertus. Halteres pallidi. Pedes flavi, simplices, tarsis nigricantibus l. saltem fuscis, basi plerumque indeterminate flavidis. — Variat ♂ & ♀ alis saturatius flavis.

Obs. Sub nomine: "*Sapromyza pallida* Fall." e Dania mihi semel communicata.

Obs. Synonyma Fabricii mihi valde dubia videntur. Forte potius ad *S. chrysophthalmam* infra n:o 34 referenda.

15. *S. tarsella:* oculis æneo-viridibus transversim purpureo-bilineatis flavo-ferruginea, epistomate pedibusque flavis; antennarum apice nigro; tarsis nigricantibus, posticorum articulo primo incrassato tibiarumque posticarum apice intus macula in mare atris; alis flavescentibus; antennis oblongis, seta subnuda, fusca; abdomine inermi. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Sub *Saprom. obsoleta* Fall. Ortal. 31. 6. in observatione post descriptionem, ubi dicitur: "tarsi postici marium intus nigriores quam feminarum", latet.

Hab. in fruticibus horti Botanici Lundensis, ubi tria specimina mense Julio inveni; e Dania sub nomine: "*Saprom. obsoleta* Fall." exemplum masculum quoque missum possideo.

♂. Magnitudo, statura, color & omnia exacte ut in præcedente, a qua tamen palpis flavis, nec apice nigris, alarum nervo costali haud nigricante & præcipue tibiarum tarsorumque ratione, vere distincta. Tibiæ scilicet posticæ validæ, flavæ, ad apicem intus macula determinata atra. Tarsi postici nigricantes, articulo 1:mo seu metatarso distincte incrassato, cylindrico, extus fusco, intus atro. Cum *S. tibiali* (11), quæ antennis totis læte flavis, femorum posticorum ad apicem subtus fasciculo pilorum nigrorum, & metatarso postico simplici, nec incrassato, gaudet, vix confundi potest.

16. *S. setiventris:* oculis - - - - - flavo-ferruginea, epistomate pedibusque flavis; antennarum apice nigro; tarsis simplicibus fuscis, basi flavidis; alis flavescentibus,

antennis oblongis, seta subnuda, fusca; abdominis segmento 2:do ante marginem apicalem valide setoso. ♂♀. (Long. 1⅓—1¾ lin.).

Hab. in Svecia meridionali & media Jul. Aug. minus frequens; 2 mares & 7 feminæ a me deprehensi; scilicet in Scania ad Lund & Fogelsång; in Gottlandia ad Olle Hau in Fårön raro. (Ad Moabite, Rixdorff, Johannis Thal & Rudower prope Berolinum individua aliquot feminea 7 Jul.—6 Aug. 1842 quoque collegit mihique communicavit Doct. *Dahlbom).*

♂♀. Duabus proxime antecedentibus valde similis, sed a *S. obsoleta* (cum qua hactenus forsan commixta fuerit) palpis totis flavis, nec apice nigris, nervo costali pallescente, tarsis sæpius tantum apice fuscis, posticorum articulo 1:mo simplici, nec incrassato, & ferrugineo, nec atro, tibiis posticis haud validis neque macula apicali atra notatis, & ab utraque abdomine in medio serie transversa setarum nigrarum munito. Abdomen in ♂ ovale, in ♀ sat late (saltem latius quam in *S. obsoleta)* ovatum, segmento 2:do in utroque sexu (in ♀ distinctius & perspicuius) ante marginem apicalem serie unica setarum nigrarum in medio tenuium, versus latera vero satis fortium, armato. Oculorum color non annotatus, sed vero similiter ac in *S. obsoleta* idem.

17. *S. chlorophthalma:* oculis viridibus ferrugineo-flava, epistomate pedibusque pallide flavis; tarsis simplicibus, fuscanis; antennarum apice nigro; alis flavescentibus; antennis rotundato-ovatis, seta subpubescente, fusca; abdomine inermi brunnescente. ♂. (Long. 1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 752. 7. ♂.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime; in silva ad pagum Wilhelmina juxta sedem Sacerdotis 20 Jul. 1832 in unico exemplo inventa.

♂. Similis *S. obsoletæ* (14), sed oculis in viva unicoloribus, nec purpureo-lineatis, antennis apice magis rotundatis angustiusque nigris, ut & seta subpubescente, discedere videtur. Palpi retracti, inconspicui, an toti flavi? Oculi parvi, rotundi. Thorax nitidus. Scutellum flavum, nitidum. Abdomen ovale, nitidum, dilute brunneum, parum pubescens, vix pilosulum, in mortua rugulosum. Alæ ut in *S. obsoleta*, sed nervus costalis etiam pallescens, nec nigricans. Halteres pallidi. Pedes simplices, toti pallide flavi, immaculati, tarsis solis dilute subfuscanis.

18. *S. subfasciata:* oculis ferrugineis æneo-micantibus unicoloribus ferrugineo-flava, epistomate pedibusque pallide flavis; antennarum palporumque apice nigro; tarsis simplicibus, lenissime fuscanis; alis pallescenti hyalinis; antennis rotundato-ovatis, seta subnuda, fusca; abdomine inermi, incisuris brunneis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 752. 9. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ, Jul.—Septemb., passim, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, utrumque Esperöd (in paroeciis Tranås & Mellby), haud rara; in Ostrogothia ad Wadstena non parce; in Gottlandia boreali ad Westö in Hall & Gothem semel; in Ångermannia & provinciis magis septentrionalibus rarissima; in Dania haud infrequens, D. *Stæger*, qui etiam exempla feminea donavit.

♂♀. A *S. obsoleta* (14), cui affinis & similis, antennis paullo brevioribus, subrotundatis, apice angustius, nec determinate nigris, oculorum pictura, alis minus flavis, nervis transversis paullo magis approximatis, tarsis vix infuscatis, ut & abdominis incisuris præsertim in ♀ fuscis, abunde dignoscitur. — Nitida. Oculi minores, rotundi. Abdomen: in ♂ ovale, aut totum

dilute brunnescens, aut incisuris tantum brunneis, in mortua rugulosum, ano parvo inflexo; in ♀ ovatum, acutum, flavo-ferrugineum, incisuris perspicue brunneis, & interdum etiam lineola longitudinali media ejusdem coloris. Nervus transversus ordinarius ita ante medium areæ insertus, ut segmentum nervi longit. 4:ti secundum ultimo ad minimum 1½ brevius evadat. Pedes simplices, toti flavi, tarsis parum fuscanis. Tibiæ & tarsi tenuia, minime incrassata.

Obs. Etiam sub nomine: "*Saprom. pallida* Meig." individua hujus speciei e Dania mihi missa fuerunt.

19. S. *pallida:* oculis - - - - - pallide flava, capite pedibusque albicantibus; antennarum apice late, tarsisque validis totis, nigricantibus; alis subhyalinis; antennis obovatis, seta pubescente, fusca. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Fall. Ortal. 32. 8. ♂♀. vera. (*Saprom. pallida* Meigeni minime hujus).

Hab. in fruticibus Scandinaviæ meridionalis & mediæ Jul. Aug. passim; scilicet in Scania ad Sandhammar prope litus maris frequentissima, Prof. *Fallèn;* in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena certis annis mihi sat copiose obvia, atque etiam ad Gusum lecta; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania satis rara, teste D. *Stæger.*

♂♀. Per magnitudinem parvam, corpus totum pallidissime flavum, tantum tarsos validos totos antennarumque apicem nigros, setam distincte pubescentem, ut & alas albido-l. pallide hyalinas, nulla flavedine tinctas, species facillime dignoscitur. Femoribus simplicibus & nervis transversis late remotis, &c., a *S. flava* (infra n:o 27) ejusque affinibus toto coelo diversa. Subnitida, nigro-setulosa. Caput albidum. Antennæ obovatæ, flavæ, articulo ultimo apice late nigricante. Palpi & proboscis pallida, immaculata. Oculi parvi, rotundi, in mortua ferruginei,

(colore in viva non annotato). Abdomen apice pilosulum. Alarum nervus transversus paullo ante medium areæ insertus & ita situs ut segmentum nervi longit. 4:ti secundum ultimo circiter $1\frac{1}{2}$ brevius evadat. Pedes albidi, tarsis robustis, obscuris.

†† abdomine flavo, nigro-punctato. Antennæ flavæ, immaculatæ.

20. *S. 4-punctata:* oculis aureo-viridibus unicoloribus ferrugineo-flava, epistomate pedibusque pallidioribus; abdomine postice punctis 4 nigris; alis parum flavicantibus; antennis suboblongo-ovatis, seta subnuda, fusca; scutello plano; maris tibiis posticis ad apicem intus macula atra. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Mas: abdomine ovali, apice rotundato, pedum posticorum femoribus ad apicem subtus fasciculo pilorum brevissimorum nigrorum, & tibiis apice intus macula atra;

Fem.: abdomine ovato, apice acutiore, pedum posticorum femoribus nudis & tibiis immaculatis.

Fall. Ortal. 32. 9. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 262. 7. Ahrens' Fn. Europ. 10. 22 (alarum apice nimis acuto, & directione nervorum in alis male, delineatis). — Macq. Buff. 2. 398. 6. *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 997. 116. (ut Sveciæ incola allata). — Fabr. Ent. Syst. 4. 356. 178. *Tephritis* Fabr. Antl. 318. 7. *Lycia 4-punctata* Rob. Desv. n:o 2.

Hab. in foliis fruticum, etiam in succo exstillante arborum Qvercus, Betulæ &c., per hortos, prata & litora Scandinaviæ meridionalis & mediæ, a medio mensis Junii usque ad finem Septembris, sat vulgaris, in fenestris interdum quoque observata; scilicet in Scania ad Lund (in foliis Salicis viminalis certis annis copiose), Kjellby,

Fliinge *(Dahlbom)*, Lindholmen, Esperöd in Tranås, Beckaskog *(Fallèn)*, Limhamn, Sandhammar &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., non parce; in Bahusiæ insula Koön ad Marstrand, Prof. *Wahlberg;* in Dania rarius, D. *Stæger;* etiam e Christiania Norwegiæ a D. Hortulano *Moë* missa.

♂♀. Abdomen postice 4-punctatum, scutellum planum, alæ tantum lenissime flavidæ, oculi in viva virides, ut & maris tibiæ posticæ ad apicem nigro-maculatæ speciem denotant. Subnitida. Antennæ fulvo-flavæ, articulo ultimo subovali, seta microscopice puberula. Palpi flavi, immaculati. Oculi mediocres l. majusculi, ovati, in mortua ferruginei. Thorax disco dorsali ferrugineus parum nitidus, lateribus albo-flavus, subtus pallidus nitidus. Scutellum flavum. Abdomen nigro-pilosulum. Punctum unicum rotundum atrum utrinque ad basin in singulo segmentorum 4 & 5. Hæc qvatuor puncta interdum & præsertim in ♀ sub segmento antecedente occulta, plerumque tamen saltem ad dimidium conspicua. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti ultimum secundo vix $1\frac{1}{4}$ longius. Pedes pallide flavi, femoribus anticis extus nigro-pilosis. Tarsi apice vix fuscani. Pedes præterea ut in diagnosi sexus discrepant.

Var. b. ♂♀. abdominis tantum segmento 5:to utrinque puncto nigro notato. Forte vero etiam adsunt puncta 2 in segmento 4:to quamquam recondita & inconspicua. In ceteris var. a. simillima. *Sapr. bipunctata* Macq. Buff. 2. 398. 8. An quoque Meig. Dipt. 7. 398. 8 (ubi puncta 2 nigra in segmento 4:to describuntur)? — In Scania & Ostrogothia cum var. a. deprehensa. (Etiam ad Hamburgum a D. *Dahlbom* lecta).

Obs. Inter *Sapr. tibialem* (11) & 4-*punctatam* nullam aliam differentiam detegere valeo, quam quod abdomen in illa immaculatum, in hac postice nigro-punctatum sit. — Sub nomine: "*Sapr. senilis* Meig." ex Hafnia a D. *Stæger* nuper obtinui exemplum, quod a nostra *S. 4-punctata* distingvere non possum.

21. *S. 6-punctata:* oculis ferrugineis æneo-submicantibus ferrugineo-flava, nitida, epistomate pedibusque pallidioribus; abdomine postice punctis 6 nigris; alis flavis; antennis suboblongo-ovatis, seta subnuda, fusca; scutello convexo. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ fere $1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 262. 8. Macq. Buff. 2. 398. 7.

Hab. in foliis fruticum locis umbrosis per Scandinaviam meridionalem mense Julio rarius; scilicet in Scania, ubi ad Lindholmen & Esperöd (in Tranås) 4 mares & 1 feminam inveni, ad Vestra Ahlstad, D. *Möller;* e Dania unicam feminam misit D. *Stæger.*

♂♀. Priori accedit, sed abdomine postice punctis nigris 6, alis saturatius flavis, scutello convexiusculo, maris tibiis posticis omnino immaculatis, &c., satis superque distincta. Frons & antennæ fulvo-flavæ. Oculi mediocres, rotundati, in mortua ferruginei. Abdomen ut in priori, etiam secundum sexum diversum, sed præter puncta 4 nigra in segmentis 4:to & 5:to, quoque unum utrinque in segmento 3:tio. Pedes simplices flavi, immaculati, tarsis apice plerumque fuscanis.

22. *S. 4-notata:* oculis ferrugineis flava, epistomate pedibusque pallidioribus, abdomine postice punctis 4 nigris; alis subhyalinis; antennis rotundis, seta subnuda, fusca; scutello subplano. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ fere 1 lin.).

Hab. in Scandinavia mense Julio valde rara; scilicet in Scania ad Esperöd in paroecia Tranås in frutice horti 29 Jul. 1820 ♂ semel visus; in Ostrogothia ad Lärketorp ♀ rarissime; in Gottlandia in prato ad Östergarn ♀ etiam tantum in unico exemplo 16 Jul. 1811; in Norwegia litorali ad diversorium Thynæs d. 4 Jul. 1840 utrumque sexum inveni.

♂♀. A *S. 4 punctata*, cui proxima, magnitudine duplo l. triplo minore, antennis rotundis, nec suboblongis, oculis in viva ferrugineis unicoloribus, tibiis posticis in utroque sexu immaculatis, nervis transversis magis approximatis, &c., copiose distincta. Specimina Norwegica typica. Minuta. Frons flava, puncto verticis nigro. Antennæ saturate flavæ. Instrumenta cibaria flava. Oculi mediocres, rotundati. Thorax flavus, supra saturatior. Scutellum pallide flavum. Abdomen in ♂ ovale, in ♀ ovatum, in utroque sexu flavum nigro-puberulum, sed parum pilosum, punctis 4 rotundis nigris nitidis in segmentis 4 & 5, ut in *S. 4-punctata* locatis, (in exemplo Gottlandico punctis tantum binis iisque in segmento 4:to conspiciendis). — Alæ pallide cinereo-hyalinæ, vix flavidæ. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum ultimo fere duplo brevius. Halteres pallidi. Pedes simplices, toti pallidi, immaculati, tarsis apice solummodo lenissime & valde langvide subfuscanis.

23 *S. melanura:* oculis ferrugineis æneo-micantibus ferrugineo-flava, epistomate pedibusque pallidioribus; palpis apice atris; abdomine apice nigro-punctato; alis subhyalinis; antennis rotundatis, seta subnuda, fusca; scutello subconvexo. ♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scania rarissime, in horto botanico Lundensi 27 Jul. 1830 in unico exemplo capta.

♀. Feminæ *S. 4-punctatæ* (20) subsimilis, sed antennis brevioribus, oculis paullo minoribus, magis rotundis, palpis apice atris, nec totis flavis, alarum nervis transversis nonnihil magis approximatis, abdominis punctis analibus aliter locatis, & aliis notis copiose diversa. Antennæ breviusculæ, fulvo-flavæ, articulo ultimo rotundato, summo apice puncto parvo fusco valde obsoleto notatæ. Thoracis dorsum flavo-ferrugineum. Scutellum flavum. Abdomen ovatum, flavo-testaceum, basi ferrugineum (e casu?). In singulo segmentorum 4:ti & 5:ti puncta 2 majuscula rotundata obscura ad latera parum discreta fere confluentia. Alæ flavedinis vix vestigio. Segmentum nervi lon-

gitudinalis 4:ti ultimum secundo saltem $1\frac{3}{4}$ longius. Pedes flavi, tarsis summo apice leniter fuscanis.

b) seta antennarum plumata.

24. S. *plumicornis:* oculis - - - - - ferrugineo-flava, epistomate pedibusque pallidioribus; antennis ovatis fulvescentibus, seta plumata, obscura; palpis apice nigris; alis pallide hyalinis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ortal. 33. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 263. 10. (e descriptione Falleniana transscripta). —

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania 3 mares & 1 femina a beat. *Fallèn* & me quondam lecti; ad Hagestads Mälare prope Ystad 20—25 Aug. 1846 a Prof. *Wahlberg* deprehensa. (Ad Trawemündiam Jul. 1838, & altera vice ad Jungfern-Heide & Moabite prope Berolinum 7—12 Jul. 1842 individua aliquot mascula quoque invenit mecumque communicavit Cel. Doct. *Dahlbom).*

♂♀. Per antennarum setam distincte plumatam & palpos nigros ab affinibus statim dignota. A *Drosophilis,* quibus habitu similis, antennarum seta undique plumata, nec rádiis secundis, seta mystacina deficiente, nervis auxiliari & secundario remotis, &c., longe etiam recedit. — Robusta, subopaca, ferruginea, setis ordinariis nigris. Epistoma latum, infra oculos nonnihil descendens, pallidum. Palpi filiformes, nigri, basi flavi. Proboscis testacea. Oculi mediocres, rotundi, in mortua ferruginei. Scutellum planum, flavum. Abdomen ovatum, puberulum & parce setulosum, testaceum, immaculatum; ano in ♂ parvo, inflexo. Alæ parum flavescentes, nervis ut in *S. rorida* (7) directis. Pedes pallide flavi, immaculati, femoribus anticis extus parce pilosis.

Subdiv. 2:da. Thorax cinereus. *Minettia* Rob. Desv.

25. *S. pallidiventris:* thorace cinereo; capite, scutello pedibusque albido-flavis; antennis ferrugineis, seta pubescente, fusca; abdomine pallido, incisuris nigricantibus. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Fall. Ortal. 31. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 265. 16. Macq. Buff. 2. 403. 32.

Hab. in foliis fruticum, succo arborum saucitarum, ligno Qvercus nuper cæso, &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam, a medio mensis Junii usque ad finem Septembris, passim frequens, in copula etiam pluries capta; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Röstånga, Allerum, Ausås, Björnstorp, Silfåkra, Lindholmen, utrumque Esperöd, Sandhammar &c., minime parce; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, Lärketorp & Wadstena non raro; in Gottlandia ad Öja, Rhone & Martebo; sed longius versus septentrionem procedens non observata; e Dania ut ibi haud rara incola a D. *Stæger* communicata. (In Rugia ad Pulbus marem jam 31 Maj. legit D. *Dahlbom).*

♂♀. Sat crassa, robusta. Frons sordide albida. Antennæ ovatæ, oblongæ, luteæ, seta breviter pubescente, fusca. Epistoma albo-cornea, genis sublongiusculis. Palpi & proboscis flava. Oculi mediocres, rotundi, in viva læte rufi l. miniati unicolores, in mortua ferruginei. Thorax cinereus, opacus, macula humerali pallida; supra nigro-setosus, pectore sæpe cinereo-rufescente. Scutellum planum, pallide flavum, basi macula cinerea. Abdomen ovatum, parce setulosum, nitidum, pallide flavum, incisuris plerumque nigricantibus aut brunneis; ano maris rotundato inflexo semper immaculato. Alæ majusculæ, pallide cinereo-hyalinæ, vix flavedine tinctæ, nervis validiusculis ut in *S. rorida* (7) directis. Squamæ parvæ & halteres albida.

Pedes simplices, albo-flavi, immaculati, femoribus anticis extus parce fusco-pilosis. — *Lauxaniis* affinis.

26. *S. rivosa:* cinerea; epistomate albido; fronte grisea; antennis ferrugineis, seta plumata, fusca; tibiis flavis; abdomine pallido, fasciis interruptis nigris. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 1826. 5. 265. 17. Macq. Buff. 2. 403. 31. ♂♀. *Lauxania fasciata* Fall. Suppl. 2:dum Dipt. Svec. Dissertat. Acad. Lund 1826. Respondente *A. G. Dahlbom* p. 15. n:o 6. ♀.

Hab. in litoribus marinis Scandinaviæ meridionalis mense Augusto, passim, in copula quoque observata; scilicet in Scania ad Raflunda, Kivik, Esperöd, Stenshufvud, Sandhammar, Limhamn, &c.; in Dania circa Hafniam, D. *Stæger.* (E Trawemündia a D. *Dahlbom*, & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* etiam missa).

♂♀. Magnitudo, statura & affinitas præcedentis, sed antennarum seta distincte plumata, scutello cinereo, nec flavo, abdominis fasciis nigris interruptis ut & femoribus nigricantibus, abunde dignota, nec facile cum *Lauxaniis, Drosophilis* aut *Notiphilis* confundi potest. Frons grisea, antice anguste indeterminate lutea. Antennæ ovatæ, luteæ, seta plumata, obscura. Epistoma infra oculos parum descendens, sordide albidum. Instrumenta cibaria retracta, obscura. Oculi majusculi, rotundati, in mortua ferruginei (colore in viva non consignato). Thorax griseo-cinereus, opacus, setosus, lineis 2 dorsalibus fuscis plerumque valde obsoletis; puncto humerali dilutiore. Scutellum concolor, margine summo & infra pallidum. Metathorax cinereus. Abdomen late ovatum, pilosulum, nitens, pallidum, fasciis tribus (in segmentis nempe 2, 3 & 4) latiusculis nigricantibus, in medio interruptis. Anus ♂ parvus. Alæ cinereo-hyalinæ, haud flavicantes, nervis ut in *S. rorida* (7) directis. Halteres albidi. Pedes cum coxis nigricantes, geniculis summis,

tibiis fere totis tarsorumque basi pallescentibus. Femora antica latere exteriori pilosula. Variat tibiis posticis obscuris.

Obs. Specimina in utroque sexu ex Italia mihi communicata huic valde similia, sed thorace supra rufescente, vittis 3 obscuris ornato, & scutello pedibusque flavis distincta, ab auctoribus hactenus non descripta, quantum noverim.

Sect. Secunda. Alarum nervi transversi approximati. Nervus auxiliaris & secundarius plerumque parum separati. Pedes in mare femoribus sæpe incrassatis. Antennæ parvæ, rotundatæ. — Species minutæ, pallide flavæ, *Opomyzis* affines, forte proprii generis, cui nomen *Thyrimyza* a *θυρις*, fenestra, proponerem (*). *Lyciæ* species Rob. Desv.

Tribus 1:*ma.* Antennæ totæ flavæ; immaculatæ.

α) abdomine flavo, immaculato.

27. *S. flava:* oculis aureo-viridibus tota pallide flava; alis pallescentibus; femoribus anticis posticisque in mare crassissimis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Mas: abdomine angusto subcylindrico, ventre in medio macula fusca, ano rotundato; femoribus anticis & posticis distincte incrassatis;

Fem.: abdomine ovato plerumque tumido (post mortem corrugato) apice breviter acuto; femoribus omnibus simplicibus; in copula.

---

*) Ut species rite determinentur *oculorum color* aut aureo-viridis aut ferrugineus in individuis vivis probe observandus est. Nam hic color cum vita perit & in obscure ferrugineum in omnibus mortuis abit.

Fall. Ortal. 33. 13. ♀. Meig. Dipt. 5. 260. 4. Hagenbach Symb. Fn. Helv. 47. f. 29. Zett. Ins. Lapp. 753. 11. ♂♀. *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 997. 115. Fn. Svec. 1869. ♀. De Geer Ins. 6. 34. 13. Schrank Ins. Austr. 471. 957. ♀.

Hab. in fenestris cubiculorum, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, Jun.—Sept., vulgaris, in nuptiis sæpe observata; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c., frequens; in Blekingia, D. D. *Aspegren* & *v. Borck*; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, Lärketorp &c., non parce; in Gottlandia ad Kjellunge, Nähr, Slitö; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; deinde rarescit, & in provinciis Sveciæ magis borealibus tantum parcissime visa; in Dània raro occurrit, teste D. *Stæger*. (In Finlandia, Prof. *Sahlberg*. E S:t Sever Galliæ sub nomine: "*Lisella flava* Rob. Desv." feminæ a D. *Leon Dufour* communicatæ).

♂♀. Tota pallide flava, parum nitida, thoracis dorso ochraceo; parce flavo-pilosula. Caput albo-flavum, puncto verticis nigro. Antennæ parvæ, rotundæ, saturate flavæ, seta pallida, nuda. Palpi & proboscis flava. Genæ longiusculæ. Oculi mediocres, rotundi, in viva aureo-virides, unicolores. Scutellum subplanum. Abdominis (maris) macula ventralis fusca plerumque adest. Alæ fere hyalinæ, langvide pallescentes, costa brevissime ciliata. Nervi: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, secundarius vix ullus; longitudinalis 2:dus longissimus, cum 3:tio & 4:to exacte parallelus. Nervi transversi perpendiculares ita approximati, ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum ultimo fere qvadruplo brevius evadat; horum medius nonnihil pone apicem nervi auxiliaris ductus. Squamæ rudimentariæ. Pedes toti pallide flavi, immaculati, omnino inermes, nudi, femoribus tantum anticis extus tenuiter pallide pilosulis.

Var. b. ♀. duplo & ultra minor, circiter ½ lin. longa, nec aliter diversa. Fall. l. c. var. β. In Scania ad Esperöd & in Gottlandia ad Nähr capta.

28. S. *femorella:* oculis ferrugineis tota pallide flava; alis pallescentibus; femoribus anticis posticisque in mare crassissimis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Mas & Fem. ut in præcedente differunt.

Fall. Ortal. 34. 15. ♂. Meig. Dipt. 5. 263. 12 (e descriptione Falleni transscripta).

Hab. in fenestris Scandinaviæ meridionalis & mediæ, Jul.—Sept., passim; in copula etiam deprehensa; in Scania ad Esperöd sat copiose; in Ostrogothia ad Wadstena & Gusum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Magnitudo, color, structura partium singularum & omnia accurate ut in priori, & oculorum colore tantum distincta. Hic autem color in vivis in utroque sexu obscure ferrugineus seu purpureus est; hinc hæc & præcedens species in mortuis ægre distingvuntur.

29. S. *albiceps:* oculis - - - - - flavo-testacea, capite niveo; antennis ovatis, scutello pedibusque flavis; palpis apice nigris; alis sordide hyalinis; pedibus in utroque sexu simplicibus. ♂♀. (Long. circiter 1 lin. l. paullo minor).

Fall. Ortal. 1820. p. 33. 11. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 261. 6 (e descriptione Falleniana transscripta). — *Saprom. albifrons* Macq. Buff. 1835. 2. p. 399. 13. Meig. Dipt. 7. 345. 41. (secundum Macquart descripta).

Hab. in fenestris Scandinaviæ valde rara; in Scania ad Esperöd in paroecia Mellby in utroque sexu a D. *Fallèn* detecta; deinde ad alterum Esperöd in paroecia Tranås 1820 a me rarissime visa; in Uplandia ad Holmiam 12 Jun. 1812 a Prof. *Boheman* lecta; e Dania individua utriusque sexus etiam a D. *Stæger* 1843 communicata.

♂♀. Antennis ovatis, palpis apice nigris, corpore testaceo, nigro-, nec pallide, setuloso &c., a duabus proxime antecedentibus, & capite toto niveo ab omnibus, primo obtutu facillime dignota. Subopaca. Punctum verticis nigrum. Antennæ luteo-flavæ, seta subnuda, fusca. Oculi mediocres, rotundi, in mortua obscure ferruginei (color in viva non annotatus). Scutellum planum, flavum. Abdomen sordide testaceum, fusco-pilosulum, subconicum, ano in ♂ parvo, rotundato, in ♀ subacuto. Alæ lenissime subfuscanæ, præsertim versus costam, nervis ut in *S. flava* (27), sed transversi forte nonnihil minus approximati, & horum medius præcise apici auxiliaris oppositus. Nervus secundarius saltem ad apicem ab auxiliari paullo remotus. Halteres pallidi. Pedes toti flavi, tarsis tantum apice leviter subfuscani. Femora antica extus parce nigro-pilosa. Tibiæ intermediæ apice nigro-bisetosæ.

30. *S. interstincta:* oculis æneo-viridibus testaceo-flava, epistomate pedibusque pallidioribus; antennis ovatis; alis subhyalinis, nervis transversis infuscatis; pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. 1 fere 1¼ lin.).

Fall. Ortal 33. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 261. 5. Macq. Buff. 2. 399. 11.

Hab. in Carduo Acanthoide, floribus Umbellatarum &c., per hortos & prata Scandinaviæ, a medio mensis Maji usque ad finem Augusti mihi passim obvia; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd sat frequens; in Ostrogo-

thia ad Wadstena; in Gottlandia ad Garde, Nähr &c.; in Dania parce, D. *Stæger.*

♂♀. Nervi præsertim transversi infuscati speciem in primis denotant. Ferrugineo-flava, subopaca, parce nigro-pilosa. Frons flava. Antennæ ovatæ, flavæ, seta subnuda, fusca. Epistoma pallidum. Genæ subolongatæ. Palpi & proboscis flava, immaculata. Scutellum subplanum, flavum. Abdomen flavo-testaceum, nigro-pilosulum, secundum sexum diversum ut in priori constructum. Alarum nervi ut in *S. flava* (27) directi, at omnes & præsertim costalis obscuriores; transversi fuscedine angusta at perspicua cincti. Pedes simplices, toti flavi, immaculati.

Var. b. ♀. antennarum summo apice fusco, alias var. a. simillima; e Dania a D. *Stæger* in unico exemplo 1837 communicata (colore oculorum non indicato).

Obs. Individua duo unicum masculum & unicum femineum *S. interstinctæ* genuinæ in omni puncto convenientia, exceptis oculis ferrugineis æneo-micantibus, in foliis fruticis ad Lund 27 Jul. 1830 inveni; vix distinctæ speciei.

31. *S. consobrina:* oculis - - - - - ferrugineo-flava, epistomate pedibusque dilutioribus; antennis ovato-rotundatis; alis subhyalinis, nervis non infuscatis; pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Hab. in insulis marinis calcareis Scandinaviæ Jun. Jul. rarius; scilicet in Ölandia in copula capta a Prof. *Boheman;* in Gottlandiæ insula Stora Carlsön 16 Jun. 1819 3 mares & 4 feminas inveni; & alia vice in Gottlandia propria a Prof. *Wahlberg* quoque deprehensa fuerit.

♂♀. Simillima priori, a qua tamen colore corporis flavo magis in ferrugineum quam testaceum vergente, antennis forte nonnihil magis rotundatis, & præsertim nervis alarum omnibus

pallescentibus, minime infuscatis, nec transversis fuscedine cinctis, costali solo obscuro, certe distincta. Frons & antennæ fulvo-flavæ, harum seta microscopice puberula, fusca. Setæ frontis, thoracis & scutelli sat fortes, nigræ. Abdomen nigro-pilosulum in primis postice & ad latera. Differentia sexus & reliqua ut in *S. interstincta*, cujus oculorum colore, ni memoria fallor, etiam gaudet.

Obs. *Saprom. ungvicella*, Zett. Ins. Lapp. seta oris utrinque mystacina, jam *Geomyzidibus* introducta & *Geomyza ungvicella* vocata.

β) abdomine flavo, postice nigro-punctato.

32. S. *bipunctella:* oculis aureo-viridibus pallide flava & pallide pilosula; alis flavicantibus; ano nigro-bipunctato; pedibus simplicibus. ♀ (& ♂?). (Long. circiter 1 lin.).

Var. a. ♀. gravida, abdomine valde tumido, rotundato, in mortua corrugato.

Var. b. ♂? abdomine ovato-conico, vix ad diversam speciem referenda.

Hab. in fenestris & hortorum foliis fruticum, per Scandinaviam meridionalem & mediam a medio Junii usque ad medium Septembris, passim frequens; var. a. & b. promiscue obviæ; nempe in Scania ad Lund, Widtsköfle *(von Borck)*, Esperöd, &c., sæpe abundans; in Ostrogothia ad Wadstena copiose; in Dania, D. *Stæger*.

♀. S. *flavæ* (27) valde similis, & vix nisi abdomine apice bipunctato diversa. Tota pallide flava & parce pallide pilosula. Punctum verticis nigrum. Antennis parvis, rotundis flavis, seta subnuda. Palpi & proboscis immaculata. Oculi rotundi. Thorax dorso subochraceus. Scutellum planum, pallide flavum. Abdomen flavo-testaceum, ad ipsum apicem puncto utrinque valde minuto atro. Alæ pallide cinereæ, nervis pallescentibus

ut in *S. flava* directis. Pedes pallide flavi, immaculati, inermes, nudi, femoribus anticis extus parce pallide pilosulis.

♂, an hujus? Pedes simplices. Abdomen cylindricum, flavum immaculatum, supra anum crassiusculum rotundatum punctis 2 minutis nigris. In fenestra ad Wadstena Julio semel captus, cum feminis descriptis, quibus, pubescentia corporis flava, colore, capite cum antennis & oculis, alis & pedibus omnino convenit. A maribus *S. flavæ* magnitudine paullo minore, ano bipunctato, macula ventrali fusca nulla.

Obs. Sub nomine: "*Sapr. simplex*" individua hujus speciei olim divulgavi inter Amicos entomologicos.

Obs. Qvænam sit *Saprom. bipunctata* Meig. Dipt. 6. 378. 32. & Macq. Buff. 2. 398. 8., quæ nostræ *S. bipunctellæ* valde propinqua videtur, dijudicare nequeo, cum de oculorum colore & structura pedum omnino silent hi Auctores. Nec indicatur sexus.

Tribus 2:*da*. Antennæ aut apice aut basi nigræ.

33. *S. lutea:* oculis atro-purpureis pallide flava & pallide pilosula; antennarum articulo ultimo rotundo, nigro; ano nigro-bipunctato; alis flavicantibus; pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Fall. Ortal. 34. 14. ♀. Meig. Dipt. 5. 263. 11. (e descriptione Falleni transscripta). —

Hab. in fenestris domorum per Sveciam meridionalem & mediam, a d. 20 Maji usque ad 10 Octobr. mihi haud parce obvia; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd & aliis locis frequens; in Ostrogothia ad Wadstena &c. non raro; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*.

♂♀. Antennis apice nigris a prioribus mox dignota. Præterea oculis in viva obscure ferrugineis, nec aureo-viridibus, a *S. flava* (27), cui proxime accedit, differt. Tota pallide flava & pallide setulosa. Punctum verticis nigrum. Antennæ parvæ, ro-

tundæ, articulo ultimo atro basi superne anguste pallido, seta pallescente, subnuda. Palpi & proboscis flava immaculata. Oculi rotundi, in viva obscure violacei, in mortua fere nigri. Thorax dorsum ochraceo-flavum. Scutellum pallidissimum, planum. Abdomen flavum, in ♂ subconicum, ano parvo haud inflexo, in ♀ rotundato-tumidum, in mortua corrugatum, apice punctis 2 minutis nigris. Alæ pallescentes & pallide nervosæ, nervis ut in *S. flava* directis. Pedes exacte ut in *S. bipunctella.*

Var. b. ♂♀. ano immaculato; varietati a. in omnibus similis præter ani puncta deficientia. Ad Esperöd & Wadstena cum var. genuina capta.

34. *S. chrysophthalma:* oculis aureo-viridibus pallide flava & pallide pilosula; antennarum articulo ultimo rotundo, apice late nigro; ano nigro-bipunctato; alis flavicantibus; pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Musca flava Fabr. Ent. Syst. 4. 355. 177: "antennis setariis flava apice puncto nigro"? (exclus. synon.). — *Tephritis flava* Fabr. Antl. 317. 6? — *Sapr. puncticornis* Hagenbach Symb. Fn. Helvet. 1. p. 48: "flava, abdomine elliptico, antennarum apice punctoque frontali nigris", fig. 30. ♀. hujus videtur.

Hab. in fenestris cum præcedente ad Lund & Esperöd, Jul.—Oct., haud rara, feminæ etiam in fimetis inventæ; in Dania ad Hafniam, D. *Stæger.*

♂♀. Priori ut ovum ovo simillima, sed oculis in viva aureo-viridibus, nec purpureis, & ita in utroque sexu, unde species diversas puto. Antennarum articulus ultimus basi quoque magis pallidus videtur.

Obs. Synonymon Fabricii valde anceps, sed forte rectius ad hanc, quam ad *S. obsoletam* n:o 14 referendum. An *Sapr. puncticornis* Hagenb. cum *S. lutea* l. *chrysophthalma* identica

sit, neque pro certo dicere possum; forte potius ad posteriorem, quia Clar. Auctor de sua *puncticorni* l. c. in observatione addit: "viror oculorum morte transmutatur in colorem nigrum".

35. *S. basalis:* oculis - - - - - pallide flava, parce nigro-setulosa; antennis basi nigricantibus, articulo ultimo rotundato, pallido; alis pallescentibus; pedibus simplicibus. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. in litt. 5 Aug. 1843. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; in Scania ad villam Abusa, $1\frac{1}{2}$ milliar. ab urbe Lund distantem, mense Augusto 2 mares & 3 feminas deprehendi; e Dania a D. *Stæger* in utroque sexu sub nomine descripto etiam communicata.

♂♀. Per antennas flavas articulis basalibus nigricantibus ab omnibus bene distincta. *S. consobrinæ* (31) proxima. Inter minimas. Flava, subopaca, parce nigro-setulosa. Punctum verticis nigrum. Antennarum articuli 1 & 2 brevissimi, nigricantes, 3:tius proportione majusculus, rotundus, pallide flavus, seta subtiliter puberula, fusca. Epistoma flavo-albidum. Palpi & proboscis flava, immaculata. Thorax supra ochraceo-flavus. Scutellum planiusculum, pallide flavum. Abdomen ovato-conicum tenuissime obscure pilosulum, ochraceo-flavum, immaculatum, ano in ♂ parvo, parum inflexo. Alæ cum nervis pallescentes. Nervi: longitudinales 3 & 4 exacte paralleli, sed 2:dus modice elongatus, ad apicem a nervo 3:tio paullo divergens, nec ut in *S. flava* (27) ejusque affinibus cum nervo 3:tio parallelus, (nota probe observanda); transversus medius apici auxiliaris oppositus. Halteres albidi. Pedes simplices, flavo-albidi, femoribus anticis extus parce obscure pilosulis.

160. LONCHÆA Fall.

Corpus minoris magnitudinis l. parvum, obtuse ovatum, crassiusculum, convexum, molle, nitidum, undique villosum, parce setosum, setis ordinariis verticis, thoracis laterum, scutellique 4, distinctioribus. Caput subtransversum, postice truncatum. Frons modice angusta, aut lata, minime prominens, pubescens. Antennæ deflexæ plerumque elongatæ, longitudine interdum fere epistomatis, subangustatæ, apice oblique obtusæ, seta nuda. Epistoma perpendiculare, infra oculos non descendens, apice non reflexum; nudum, apertura oris laterali pubescente. Instrumenta oris plerumque retracta. Palpi subcylindrici, interdum latiusculi. Oculi in utroque sexu nonnihil distantes, magni, sæpe maximi, oblongi, nudi, (rarissime hirsuti), in viva obscure ferruginei, unicolores, post mortem colore parum mutandi. Thorax absque sutura transversa. Scutellum majusculum, convexum. Abdomen late ovatum, apice breviter acutum, 5-annulatum, subdepressum. Alæ incumbentes, abdomine nonnihil longiores, basi latiusculæ, totæ immaculatæ, non vibrantes. Nervi: auxiliaris fere ad medium costæ extensus, a secundario paullo remotus; longitudinales 3 & 4 versus apicem fere paralleli; transversi perpendiculares, modice distantes. Segmentum nervi longitud. 4:ti secundum ultimo circiter $1\frac{1}{2}$ brevius. Costa nuda; spinula nulla. Alula majuscula. Squamæ parvæ, ciliatæ. Halteres sæpissime nigri. Pedes mediocres, simplices, pubescentes, sed haud setulosi. *Color* ater raro ænescens. *Motu* tarda; lente procedit, magis vivaciter volat. *Habitatio* in foliis fruticum & herbarum. *Metamorphosis* non rite cognita (*). *Differentia sexus; mas:* fronte angusta, ano breviter

---

*) *Lonchææ parvicornis* Meig. larvæ & pupæ degunt in Tritici repentis stolonibus, qui exinde deformantur, observante D. *Perris* in Act. Societ. Ent. Gall. 1839. p. 29. — Larvæ *Lonch. choreæ* sub cortice putrida hibernant, teste D. *Bouchè* Naturg. der Ins. p. 94. 84. T. 4. f. 1. — Pupæ *Lonch. albitarsis* Zett.

acuto; *femina:* fronte paullulum latiore, oviductu tenui, articulato, longe erumpente. *Typus* generis: *Lonch. vaginalis.*

A corpore nigro aut cærulescenti atro.

*) oculis in utroque sexu nudis.

† pedibus totis nigris.

1 *vaginalis* Fall. ♂♀. 2 *Deutschi* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 3 *chorea* Fabr. Fall. (vix Meig.) ♂♀. 4 *flavidipennis* Zett. nov. sp. ♀. 5 *hyalipennis* Zett. nov. sp. (*Lonch. chorea* Meig.? non Fall.) ♂.

†† metatarsis flavis vel albidis.

6 *albitarsis* Zett. Ins. Lapp. (var. a. & b.) ♂♀. 7 *tarsata* Fall. ♂♀. 8 *parvicornis* Meig.? ♂. 9 *laticornis* Meig. ♂♀. 10 *palposa* Stæg. ♂.

**) oculis in utroque sexu hirtis.

11 *dasyops* Meig. ♂♀. 12 *hirticeps* Zett. Ins. Lapp. ♂.

B corpore ænescente.

13 *ænea* Meig.? ♀.

Lonchæa.

A corpore nigro aut cærulescenti atro.

*) oculis in utroque sexu nudis.

† pedibus totis nigris.

---

sub cortice Pini inventæ. Cfr. *L. albitarsis* n:o 6. — Pupæ *Lonchææ laticornis* n:o 9 etiam sub cortice Abietis deprehensæ.

1. *L. vaginalis:* cæruleo-atra, nitida, antennarum articulo ultimo longitudine epistomatis, sublineari, pedibusque totis nigris; alis hyalinis, nervo transverso medio apici auxiliaris opposito, squamis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Ortal. 26. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 307. 8 (e descriptione Fall. transscripta). — Macq. Buff. 2. 513. 6. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 753. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum libenter Salicis, etiam in graminosis, per hortos, prata & pascua totius Scandinaviæ, a vere ad autumnum, vulgatissima, in copula pluries capta, in fenestris interdum quoque obvia; scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, sat copiose; in Gottlandia ad Kjellunge, Öja, Rhone, Ahlskog &c., frequens; in Uplandia ad Holmiam, Upsaliam &c.; in Gestricia; in Helsingia ad Kårböle; in Jemtlandia usque ad Åreskutan & Mullfjellen non parce; in Lapponiis: Umensi ad Nästansjö, Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg;* Tornensi, D. *Deutsch;* in Norwegia: ad Christianiam *(Dahlbom & Moë)*, ad Thynäs & Garnäs Værdaliæ frequens, ad Björkvik Nordlandiæ, atque Bossekop & Skaaddavaara Finmarkiæ, non raro; in Dania vulgaris, D. *Staeger.* (E Finlandia a D. *Sahlberg* & e Glogavia, a D. *Zeller* missa. Ad Rosenthal, Lewenhagen, Trawemündiam, Lübecam ut & in hortis Gryphicis frequens, D. *Dahlbom).*

♂♀. Magnitudo paullo variat. Crassa, *Anthomyzam* l. *Muscam* minorem mentiens. Tota atro-cærulea, nitida. Frons nigra, opaca, modice lata, in ♂ nonnihil angustior. Vertex nitidus. Epistoma schistaceum l. cinereum, opacum. Palpi & proboscis nigra, pilosa. Oculi maximi. Alæ hyalinæ, non albidæ, ne-

que flavæ, nervis tantum pallescentibus. Nervus transversus medius apici auxiliaris oppositus. Nervi longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli l. lenissime tantum divergentes. Squamæ albæ. Halteres nigri. Pedes nigri (in junioribus nigro-fusci), opaci, præsertim antici pilosi. — A *L. leucostoma* Meig. Suppl. non multum discedere videtur.

2. *L. Deutschi:* nigra, subnitida, antennarum articulo ultimo epistomate nonnihil breviore, ovali-oblongo; alis hyalinis, ad costam leniter fuscanis, nervo transverso medio ante apicem auxiliaris inserto, squamis fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 753. 2. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Betulæ & Abietis, nec non in floribus Salicis, per Scandinaviam septentrionalem & Lapponiam, a medio mensis Maji usque ad finem Julii, sæpe in societate cum *Aricia didyma* & *lepida* visa, passim; scilicet ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Bottnia boreali ad Haparanda, Torneå & Pello, D. Doct. *Deutsch*; in Lapponiis: Lulensi ad Qvickjock, D. Prof. *Wahlberg*; Tornensi ad Juckasjervi, ipse; in Nordlandia Norwegica ex. gr. ad diversoria Björkvik & Giebostad, haud parce.

♂♀. Color corporis pedumque niger, pedes immaculati, antennæ epistomatis apicem non attingentes, articulo ultimo oblongo-ovali, alæ cinereo-hyalinæ tantum ad marginem costalem lenissime subfuscanæ, nervo transverso medio paullo ante apicem auxiliaris sito (apici nervi secundarii opposito), ut & squamæ fuscæ sunt hujus speciei notæ distinctivæ. — Priori paullo minor. Epistoma glaucescens. Abdomen rotundatum, depressum, opacum. Differentia sexus & reliqua ut in antecedente.

3. *L. chorea:* nigra, nitida, antennarum articulo ultimo epistomate fere duplo breviore, ovali oblongo; alis pallide hyalinis, nervis albidis, transverso medio apici auxiliaris opposito, squamis albis. ♂♀. (Long. ⅞—1 lin.).

Fall. Ortal. 26. 1. vera. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 751. 3. ♂♀. (Vix Meig. Dipt. 5. 301. 1? (quæ longitudine 2 linearum & alis hyalinis describitur). T. 47. f. 31. ♀. — Macq. Buff. 2. 512. 1?) — *Musca* Fabr. Ent. Syst. 329. 73. & ejusdem Antl. 301. 99.

Hab. in foliis fruticum &c., per Scandinaviam Jun. —Jul. passim, etiam in copula aliquoties a me observata; occurrit nempe in Scania ad Tranås, Widtsköfle, Esperöd (in littore marino) sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum (*Wahlberg*), Lärketorp & Wadstena, ipse; in Gottlandia hinc inde; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Lycksele & Tresunda rarius. — Larvæ autumno & hieme sub cortice arborum putrescente degunt, 3 lin. longæ; pupæ 1½ lin. longæ; in statu pupæ 14 diebus quiescunt, teste D. *Bouchè* (in Naturgesch. der Insect. Berolin. 1834. p. 94. 84. T. 1. f. 1. larva).

♂♀. Parva, *L. vaginali* duplo l. triplo minor. Nigra, nitida, minime e cæruleo micans. Frons opaca, occipite punctis 3 nitidis. Antennæ breves, nigro-fuscæ. Epistoma glaucescens. Abdomen ovatum. Alæ albo-hyalinæ, nervis præsertim albidis. Squamæ parvæ albæ. Halteres nigri. Pedes opaci, nigri, tarsis & interdum etiam tibiis imprimis in junioribus sæpe nigro-fuscis. De cetero ut in *L. vaginali*

4. *L. flavidipennis:* atra, nitida, antennarum articulo ultimo longitudine epistomatis, sublineari; alis sordide flavidis, nervo transverso medio mox ante apicem auxiliaris inserto, squamis albis. ♀. (Long. 1½ lin.).

Hab. in Dania forte rarissime, in unico tantum exemplo a D. *Stæger* sub nomine: "*Lonch. nigra* Meig." adjecto signo interrogationis mihi pro comparatione communicata.

♀. Magnitudo & summa *L. vaginalis* (1) similitudo, sed colore corporis atro vix e cæruleo micante, & alis flavescentibus, nec hyalinis, certe diversa. Frons modice lata, nigra, opaca, postice punctis 3 nitidis. Abdomen late ellipticum vagina longe erumpente. Nervi alarum auxiliaris & secundarius ad apices non longe distantes, unde eorum interstitium ad costam sat angustum. Nervus transversus medius medio hujus interstii oppositus. Squamæ albæ. Halteres nigri. Pedes toti nigri, immaculati; hinc ab aliquot sequentibus subsimilibus, sed metatarsis albidis instructis distingvitur. De cetero ut in *L. vaginali.*

Obs. Vix *Lonch. nigra* Meig. & Macqv. ut synonymon huc referri potest. Color alarum quidem affirmat, sed magnitudo repugnat.

5. *L. hyalipennis:* atra, nitida, antennarum articulo ultimo longitudine epistomatis, sublineari; alis hyalinis, nervo transverso medio ante apicem auxiliaris inserto; squamis fuscis. ♂. (Long. 1½ lin.).

Lonch. chorea Meig. Dipt. 5. 304. 1. forte ? (exclus. syn. Fall.).

Hab. in Dania valde rara; sub nomine: "*Lonch. chorea* Fall. ♀", specimen descriptum a D. *Stæger* nuper mihi missum; a me in Svecia numquam lecta.

♂. A priori, cui magnitudine, antennarum structura, colore corporis pedumque omnino convenit, per alas hyalinas, minime flavidas, sqvamas fuscas, nec albas, interstitium inter apicem nervorum auxiliaris & secundarii ad costam paullo latius, ut & præsertim nervum transversum medium distincte an-

te apicem auxiliaris insertum seu apici secundarii oppositum, aperte & vere differt. A *L. vaginali* (1), cui etiam accedit, colore corporis nigro, non cæruleo, nervi transversi situ alio, & denique squamis sub alis fuscanis, nec albis, mox dignoscitur. Frons subangusta (nota masculi), nigra, opaca, punctis verticis 3 nitidis. Tuberculum ani parvum, inflexum. Pedes toti nigri, immaculati.

Obs. Hæc species minime est *L. chorea* Falleni, sed potius cum Meigeni identica.

†† metatarsis flavis l. albidis.

6. *L. albitarsis:* cæruleo-atra, nitida, fronte nigra opaca, vertice nitente; antennarum articulo ultimo longitudine epistomatis, sublineari, magno, pedibusque nigris, metatarsis albidis; alis albo-hyalinis, nervo transverso medio ante apicem auxiliaris inserto; squamis nigricantibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. in copula, alis totis albidis.

Zett. Ins. Lapp. 754. 4. ♂♀.

Var. b. ♂♀. alis albidis, basi saltem flavicantibus.

Hab. var. a. & b. promiscue in foliis fruticum imprimis Betulæ, per Scandinaviam præsertim borealem, ab ineunte Junio usque ad medium Augusti mihi obvia, passim, in copula quoque deprehensa; scilicet in Jemtlandia boreali ad Ristansfors, ad radices alpium Mullfjellen & Åreskutan, sat frequens; in Lapponiis: Umensi ad Lyckseie rarius, D. *Dahlbom;* Lulensi ad Qvickjock, D. *Andersson;* Tornensi ad Turtola & Juckasjervi (sæpe in societate cum *Lonch. Deutschi* & *Aricia didyma* reperta); e Lapponia & provinciis septentrionalibus in mitiores regiones rarissime descendit, & in Ostrogothia ad Gusum (in ligno Populi cæso) a D. *Wahlberg*, atque in

Smolandia circa Skärsjö semel a D. *Ljungh*, deprehensa; in Norwegia tantum ad diversorium Garnæs Værdaliæ non longe a jugo alpino situm parcissime. Pupæ plures cylindricæ nudæ 8-annulatæ brunneæ, sub cortice Pini sylvestris ad pagum Turtolam Lapponiæ Tornensis 4 Jun. 1821 captæ; ex his imagines utriusque sexus egressæ d. 22—25 ejusdem anni & mensis, & aliæ d. sequentis 3 Julii.

♂♀. Magnitudo, statura crassa, antennarum longitudo, differentia sexus, color &c., exacte ut in *L. vaginali* (1), a qua tamen alis minus pure hyalinis, magis albescentibus, interstitio inter apices nervorum auxiliaris & secundarii ad costam paullo latiori; nervo transverso medio ante apicem nervi auxiliaris inserto seu apici nervi secundarii opposito, squamis nigricantibus, nec albis, & tandem tarsorum articulo 1:mo albescente, abunde dignoscitur. — Frons nigra, opaca, postice nitida, in ♀ modice lata, in ♂ paullo angustior. Antennæ latiusculæ, nigræ. Epistoma glaucescens. Proboscis crassa, subexserta. Palpi subclavati, nigri, pilosuli. Abdomen late ovatum, oviductu ♀ brevi, tenui. Squamæ parvæ, nigricantes. Halteres nigri. Variat sæpe *L. vaginali* paullo major.

7. *L. tarsata:* nigro cærulea, nitida, fronte nigra in ♂ angusta opaca postice nitente, in ♀ duplo latiore subnitida; antennarum articulo ultimo in utroque sexu longitudine epistomatis, sublineari, pedibusque nigris, tarsis basi albidis; alis albo-hyalinis, nervo transverso medio fere apici auxiliari opposito; squamis fuscis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Fall. Ortal. 26. 3. ♂♀. typica. — Meig. Dipt. 5. 305. 4. ♂♀. T. 47. f. 32. Macq. Buff. 2. 512. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 754. 5. ♂♀.

Hab. in floribus Umbellatarum & Salicum, per hortos & prata Scandinaviæ, a mense Junio usque ad Septembrem, passim, in fenestris interdum obvia, & in copula rarius visa; scilicet in Scania ad Lund, Räften, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Gusum (in ligno Populi cæso), D. *Wahlberg*, Wadstena &c., ipse; in Ölandia ad Gärdslösa; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg*, in Tornensi ad Juckasjervi rarius, ipse; in Norwegia ad Christianiam, D. D. *Dahlbom* & *Moë* parce; in Dania minus frequens, D. *Stæger*. Pupæ, quas sub cortice Abietis in Ostrogothia legi, mense Julio exclusæ. (E Glogavia etiam a D. *Zeller* communicata).

♂♀. Color corporis cærulescens, antennæ elongatæ, frons in ♂ angustata opaca, in ♀ duplo latior subnitida, nervus alarum transversus medius apici auxiliaris oppositus, squamæ parvæ nigricantes, & denique metatarsi flavo-albidi, speciem denotant. Parva, *L. vaginali* (1) duplo l. triplo minor, *L. choreæ* (3) subæqvalis. Antennæ nigræ. Epistoma glaucescens. Abdomen rotundato-ovatum. Alæ albidæ. Interstitium inter apices nervorum auxiliaris & secundarii ad costam. Halteres & pedes nigri, tarsorum articulo 1:mo pallido. — Variat color corporis aut plerumque nigro-cæruleus aut nigro-violaceus.

8. *L. parvicornis:* nigra, subnitida; fronte (♂) modice angusta, opaca; antennis parvis, epistomate saltem duplo brevioribus; metatarsis rufo-flavis; alis sub-hyalinis, nervo transverso medio apici auxiliaris opposito; squamis fuscis. ♂. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 307. 9? ♀. — Macq. Buff. 2. 513. 7? ♀. (T. 21. f. 3). Stæg. in litt.

Hab. in Dania forte rarissime, in unico tantum individuo sub nomine: "*Lonch. parvicornis* Meig.? *Lonch.*

laticornis Zett. Ins. Lapp.? a D. *Stæger* 1843 mecum pro descriptione communicata, in reliqua Scandinavia a me numquam reperta.

♂. Antennis parvis, articulo ultimo valde brevi rotundato, colore corporis nigro parum e cæruleo l. violaceo micante, alis subhyalinis & squamis nigricantibus, ab affinibus dignoscitur. Magnitudo *L. Deutschi* (2). Frons nigra, opaca, puberula. Epistoma glaucescens. Thorax subnitens. Scutellum & abdomen rotundato-ovatum subdepressum magis nitentia. Alæ cinereo-hyalinæ, nec flavidæ, nec albidæ. Nervi ut in priori directi. Squamæ minutæ, nigricantes. Halteres nigri. Pedes nigri, metatarsis rufo-flavis.

Obs. Per corpus atrum, nec "nigro-ænescens," tarsorum tantum articulum 1:mum flavum, nec tarsos fere "totos rufos", & alas sordide hyalinas, nec "flavidas", a *L. parvicorni* Meig., cum qua vero quoad antennas optime qvadrat, satis recedit. Meigeni *L. parvicornis* quoque femineum, nostra vice versa masculum exemplar est. Interea & usque ad plura & meliora specimina utriusque sexus colligere contigerit, sub nomine Stægeriano speciem proposui. — *Lonch. crepidariæ* Meig. Dipt. 5. 309. 14. ♂♀ valde propinqua videtur.

9. *L. laticornis:* nigro-cærulea, nitida; fronte nigra opaca postice nitente, in ♂ modice angusta, in ♀ paullo latiore; antennarum articulo ultimo in utroque sexu epistomate nonnihil breviore, latiusculo pedibusque nigris, tarsis flavis, apice obscuris; alis albidis, nervo transverso medio apici auxiliaris opposito; squamis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 308. 13. ♀. Zett. Ins. Lapp. 754. 6. ♂♀. *Teremyia laticornis* Macq. Buff. 2. 514. 1. ♀. T. 21. f. 4. (caput).

Hab. in Scandinavia a medio Junii ad finem Augusti minus frequens; ♂ rarissimus; scilicet in Smolandia, rarius, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena parce; in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven semel; in Lapponia Umensi ad Lycksele; in Lapponia Tornensi ad Juckasjervi e pupa nuda, cylindrica, 10-annulata, flavo-brunnea nitida sub cortice Abietis capta, egressa. (E S:t Sever Galliæ sub nomine: "*Teremyia laticornis* Macq. Meig." uterque sexus in copula captus a Nobiliss. D. *Leon Dufour* communicatus).

♂♀. Color corporis cærulescens, antennæ breviusculæ, latæ, tarsi fere toti flavi, alæ albidæ & sqvamæ albæ, speciem bene designant. Antennæ epistomatis apicem non attingunt, latiusculæ compressæ, seta parum pubescente. Abdomen late ovatum. Alæ albidæ, nervis ut in priori directis. Squamæ mediocres, albæ. Halteres nigri. Pedes nigri, tarsis rufo-flavis, apice fuscis l. obscuris.

10. *L. palposa:* cærulescenti nigra, nitida, fronte (♂) modice angusta nigra opaca postice nitente; antennarum articulo ultimo epistomate nonnihil breviore, sublineari, palpis exsertis magnis rotundatis pedibusque nigris, tarsis flavis; alis subhyalinis, basi flavidis, nervo transverso medio apici auxiliaris opposito; squamis albis. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Stæg. in litteris 1813.

Hab. in Dania rarissime, D. *Stæger*, qui specimen descriptum pro descriptione amice communicavit, circa Hafniam 2 Jul. 1813 captum.

♂. Similis priori, sed ab hac & aliis palpis maximis exsertis facile dignota. Antennæ epistomatis apicem non omnino attingunt, modice latæ, nigræ. Palpi extra os horizontaliter porre-

cti, longitudine antennæ, sed multo latiores, apice rotundati; toti compressi, nigri. Epistoma subglaucescens. Abdomen late ovatum, depressum. Alæ cinereo-hyalinæ, basi nervis pallidis. Nervi ut in proxime præcedentibus directi. Squamæ albæ. Halteres nigri. Pedes nigri, tarsis flavis, apice fusco l. obscuro. — Oculi ni fallor nudi.

Obs. Cel. Detector nuper mihi scripsit se adhuc unicum exemplum hujus speciei in plantis aqvaticis ad Hafniam d. 28 Jun. invenisse.

**) oculis in utroque sexu hirtis.

11. *L. dasyops:* nigra, nitida; fronte opaca postice nitente, in ♂ modice angusta, in ♀ duplo latiore; antennarum articulo ultimo in utroque sexu epistomate fere duplo breviore; alis pallescentibus, nervo transverso medio apici auxiliaris opposito; squamis albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 308. 12. ♀. Macq. Bufl. 2. 514. 12. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali Maj.—Jul. rarius; in Scania tria paria in copula juncta deprehendi; e Dania a D. *Stæger* quoque missa. (E Glogavia in specimínibus femineis paullo majoribus eandem omnino a D. *Zeller* obtinui).

♂♀. Per colorem totius insecti nigrum, antennas parvas, oculos hirtos, alas pallescentes & sqvamas albas, ab aliis facile dignoscenda. Antennæ dimidio epistomate vix longiores, modice latæ, seta nuda. Epistoma certo situ e glauco micat. Instrumenta cibaria retracta. Oculi præsertim in ♂ distincte hirti. Abdomen ovatum, depressum, oviductu ♀ plerumque sat longe exserto, articulo 1:mo latiusculo depresso tristriato, 2:do fere subulato unistriato. Alæ pallescentes, præsertim basi flavedine leniter subtinctæ. Nervi ut in proxime præcedentibus

directi. Squamæ parvæ, albæ. Halteres nigri. Pedes toti nigri, tarsis apice sæpe fuscescentibus.

12. *L. hirticeps:* nigra, subnitida; fronte opaca, in ♂ modice angusta; antennarum articulo ultimo longitudine epistomatis; alis subfuscanis, nervo transverso medio apici secundarii opposito; squamis nigricantibus. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 751. 7. ♂.

Hab. in Lapponiis Svecicis rarissime; in Lapponia Umensi ad Lycksele 1832 individuum unicum inveni; in Lapponia Lulensi 1815 a D. Prof. *Wahlberg* deprehensa.

♂. Magnitudo & summa *L. Deutschi* (2) similitudo, sed antennis nonnihil longioribus & oculis perspicue hirtis mox dignoscitur. A priore, cui colore corporis & oculorum hirsutie accedit, magnitudine minore, fronte maris paullo angustiore, antennis longioribus, alis leniter subfuscanis, nec pallescentibus, interstitio inter apicem nervorum auxiliaris & secundarii paullo longiori, nervo transverso medio apici nervi secundarii (nec auxiliaris) opposito, ut & squamis nigricantibus, nec albis, satis superque distincta. Loco natali hæ duæ species quoque diversæ, una nempe regionibus meridionalioribus, altera septentrioni indigena.

B corpore ænescente.

13. *L. ænea:* nigro-ænescens, capite pedibusque nigris, immaculatis; antennis medioribus; alis subflavicantibus, nervo transverso medio apici secundarii opposito; squamis sordide albidis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 306. 6? ♀. Zett. Ins. Lapp. 751. 8. ♀.

Hab. in Scandinavia rarissime; specimen descriptum in Lapponia Tornensi 1821 inveni; in Scania etiam habitare fertur, mihi ibi non obvia.

♀. Tota obscure ænescens, nitida, capite pedibusque solum nigris. Alæ cinereo-hyalinæ, parum flavedine tinctæ. Nervi ut in præcedente directi. Squamæ sordide albidæ. Halteres nigri. Abdomen ovatum, oviductu ♀ subulato breviter exserto. Pedes nigri, immaculati.

Obs. Specimen femineum duplo minus, corpore subænescenti nigro, nitido, capite toto pedibusque opacis nigris, immaculatis, fronte minus l. modice lata, antennis longitudine dimidii epistomatis, abdomine oblongo, oviductu exserto, articulo 1:mo planiusculo, 2:do subulato, alis cinereo-pallescentibus, nervis auxiliari & secundario haud remotis, transverso medio apici auxiliaris opposito, ut & squamis minutis albis, halteribus nigris, in Pinu in insulæ Gottlandiæ Fárön 11 Jul. 1819 inveni, forte hujus speciei.

---

161. LAUXANIA Fabr.

Corpus minoris magnitudinis l. parvum, obtuse ovatum, crassiusculum, convexum, molle, sæpissime nitidum, glabriculum, parce setulosum, setis ordinariis verticis, thoracis laterum, scutellique 4, distinctioribus. Habitus *Lonchææ.* Caput subtransversum, postice truncatum. Frons in utroque sexu lata, minime prominens, haud pubescens. Antennæ oblique porrectæ, plerumque elongatæ, interdum longissimæ, articulo ultimo compresso, apice plerumque acuto, basi seta dorsali pubescente aut plumata. Epistoma latum, inæqvale, subconvexum, apice vix reflexum; nudum. Proboscis carnosa, crassa, bilabiata, superne striata, pubescens. Palpi mediocres, subcylindrici l. leniter clavati, pilosuli. Oculi in utroque sexu late distantes, magni, perpendiculariter rotundato-oblongi, nudi, in mortua fusco-ferruginei, in viva interdum transversim lineati. Thorax absque sutura transversa. Scutellum majusculum, convexum. Abdomen ovatum aut oblongum, subconvexum, 5-annulatum.

Alæ incumbentes, abdomine longiores, modice latæ, immaculatæ, non vibrantes. Alula majuscula, distincta. Nervi: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, a secundario remotus; longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli, 6:tus in medio abbreviatus; transversi perpendiculares, modice remoti, horum ordinarius paullo ante medium areæ ultimæ insertus, medius apici auxiliaris oppositus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum ultimo circiter $1\frac{1}{2}$ brevius. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ, ciliatæ. Pedes simplices, puberuli, vix nisi in latere exteriore femorum anticorum parce pilosuli. *Color* æneus, niger, raro cinereus l. pallidus. *Motus Lonchææ. Habitatio* in foliis plantarum, sæpibus vivis &c. *Metamorphosis* latet. *Differentia* sexus in externo ægre quæritur, in abdominis vero *maris* apice paullo obtusiore, ano parvo inflexo, & *feminæ* acutiore, oviductu non erumpente, ab attento oculo observatur. *Typi* generis: *Laux. cylindricornis, ænea* & *lupulina.*

A. Seta antennarum nudiuscula l. breviter pubescens.

*) corpore obscuro; seta antennarum capillari. *Lauxania* Macqv.

1 *cylindricornis* Fabr. ♂♀. 2 *Elisæ* Meig. ♂♀. 3 *ænea* Fall. ♂♀. 4 *hyalinata* Meig.? ♀.

**) corpore pallescente; seta antennarum valida. *Pachycerina* Macq.

5 *seticornis* Fall. ♂♀.

B. Seta antennarum plumata.

6 *longipennis* Fabr. (var. a. & b.) ♂♀. 7 *lupulina* Fabr. ♂♀. 8 *basalis* Zett. n. sp. ♂♀.

Obs. *Lauxania albitarsis* Meig. an etiam Sveciæ incola?

Lauxania.

A. Seta antennarum nudiuscula l. breviter pubescens.

*) corpore obscuro; seta antennarum capillari. *Lauxania* Macq.

1. *L. cylindricornis:* nigra, nitida; antennis horizontaliter porrectis capite longioribus, tenuibus, nigris, seta pubescente, alba; alis flavis, ima basi nigricantibus; squamis halteribusque obscuris; tarsis posterioribus pallidis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Fabr. Antl. 212. 1. Panz. Fn. Germ. 105. f. 11. Fall. Ortal. 27. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 296. 1. Latr. Gen. 4. 357. Macq. Buff. 2. 508. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 755. 1. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 332. 86.

Hab. in graminosis & foliis fruticum præsertim Qvercus & Betulæ, per hortos & prata silvatica Scandinaviæ, a medio mensis Maji usque ad Augustum, sat vulgaris; scilicet in Scania ad Räften, Abusa, Röstånga, Östra Ljungby, Björnstorp, utrumque Esperöd, &c., frequens; in Smolandia ex. gr. ad Skärsjö, non raro, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)* & Lärketorp; in Westrogothia *(Dalman);* in Medelpadia ad Kjällsta parce *(Dahlbom);* in Dalecarlia *(Boheman);* in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarius; in Norwegia ad Björkvik Nordlandiæ semel; in Dania minus frequens, D. *Stæger.* (Ad Putbus in Rugia & ad Neuenkirchen in Mecklenburg a D. *Dahlbom* sat copiose inventa).

♂♀. Antennis longissimis, seta alba, alis flavis, basi nigris, tarsis tantum posterioribus flavis &c., a sequentibus facile dignota. Parva. Subænescenti nigra, nitida. Frons nigra, nitida. Antennæ capite saltem dimidio fere duplo longiores, tenues, nigræ, basi plerumque ferrugineæ, seta longitudine totius antennæ, tenui, brevissime puberula, albida. Epistoma infra oculos paullo descendens, nigrum nitidum. Proboscis crassa, sæpe exserta, & palpi nigri. Oculi majusculi, rotundati; in viva purpurei, lineis 3 transversis viridibus (vel si mavis: virides, lineis 4 purpurascentibus), post mortem obscure ferruginei, immaculati. Alæ totæ saturate flavæ, basi anguste nigricantes. Nervus auxiliaris circiter tertiam partem totius costæ attingit. Squamæ rudimentariæ & halteres nigra. Pedes nigri, tarsis posterioribus flavis, articulo ultimo nigro.

2. *L. Elisæ:* nigra, nitida, abdomine æneo; antennis oblique porrectis, longitudine capitis, angustis, luteis, seta pubescente, albida; alis totis flavis; squamis halteribusque sordide flavicantibus; tibiis tarsisque posterioribus flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 297. 2. Macq. Buff. 2. 508. 2.

Hab. in Scandinavia meridionali Jun.—Aug. passim; scilicet in Scania ad Räften, Fogelsång *(von Borck)*, Silfåkra, Näsbyholm *(Dahlbom)*, &c., non parce; in Daniæ plantis aqvaticis circa Hafniam frequens, D. *Stæger*. (Ad Gryphiam & Elisenheine a D. *Dahlbom* lecta mihique communicata).

♂♀. Priori similis, sed magnitudine paullo majore, antennis brevioribus oblique, nec recta, porrectis, luteis, apice summo tantum infuscato, nec articulo ultimo toto nigro, abdomine æneo, nec nigro, alis totis saturate flavis, nec basi nigris, squamis halteribusque sordide flavidis, nec obscuris, tibiis tarsisque posterioribus, nec solum tarsis, flavidis, satis superque dignota. Antennarum seta distincte pubescens. Oculorum color in

viva non annotatus. Color thoracis & præcipue scutelli niger in obscure cærulescentem sæpe vergit. Abdomen æneum. Genicula pedum anticorum ferruginea. Femorum posteriorum apex etiam flavo-ferrugineus. Reliqua ut in diagnosi l. in præcedente.

3. *L. ænea:* virescenti ænea, nitida, antennis oblique porrectis, longitudine fere capitis, oblongis, luteis, seta subtiliter puberula, pallida; alis totis flavis; squamis flavescentibus, halteribus albis; pedibus nigris, tibiis tarsisque posterioribus genubusque omnibus flavis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Ortal. 28. 3. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 297. 3. Macq. Buff. 2. 508. 4. Zett. Ins. Lapp. 755. 2. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum Salicis, Betulæ, Ribis, Pini, &c., per hortos & prata præsertim meridionalis & mediæ, a medio Junii usque ad finem Septembris mihi obvia, nuptias celebrans, sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Röstånga, Skärali, Lindholmen, Widtsköfle, Esperöd, Sandhammar, Sjörup, &c., abunde; in Smolandia ad Wassmolösa, & ad Skärsjö minime parce, D. *Ljungh*, in cujus collectione sub nomine: "*Musca glabrata* Fabr." asservatur; in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)*, Lärketorp, Wadstena &c., frequens; in Blekingia *(von Borck)*; in Gottlandia ad Stenkyrka, Gothem, Nähr, Fårön, Rhone, Öja, Ejsta, Wamlingbo &c., copiose; deinde rarescit & in provinciis borealibus non nisi parcissime occurrit; in Dania minus frequens, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg*; e Gryphia, Trawemündia, & Hamburgo a D. *Dahlbom*; atque e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, communicata).

♂♀. Corpore toto æneo, alis distincte flavis, antennis longitudine tantum capitis, luteis, articulo ultimo oblongo, nec valde angusto, ut & tibiis tarsisque posterioribus rufo-flavis, ab affinibus aperte distincta. Tota nitida. Frons leniter prominula, nigro-ænea. Epistoma nigro-purpurascens, orbitis oculorum albidis. Palpi & proboscis nigra. Oculi in viva ænei, lineis 2 transversis mediis angustis & cantho inferiori purpureis. Thorax, scutellum & abdomen ænea. Pedes nigri, anticorum geniculis, & posteriorum femoribus apice, tibiis tarsisque fere totis ferrugineo-flavis. Pedum posteriorum tibiæ ad apicem subtus macula parva nigra, & metatarsi subtus nigri, ut rite observavit D. *Macqvart.* Alæ non omnino tam intense flavæ ac in priori.

4. *L. hyalinata:* nigro-cærulescens, nitida, antennis oblique porrectis, longitudine fere capitis, oblongis, luteis, seta pubescente, fusca; alis subhyalinis, nervis albidis; squamis halteribusque albis; pedibus nigris, tibiis tarsisque posterioribus pallidis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 300. 9? Macq. Buff. 2. 509. 8?

Hab. in foliis fruticum libenter Betulæ, a verno tempore usque ad medium æstatis, per Sveciam Australem & mediam minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c., hinc inde; in Smolandia parce, D. *Ljungh;* in Gottlandia ad Nähr semel; in Ostrogothia ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.*

♀. Simillima præcedenti, a qua tamen magnitudine nonnihil minore, corpore toto obscure cærulescente, nec æneo, ut & alis fere hyalinis, nervis albidis, differre videtur. — Tota nitida. Frons cærulescens, inæqvalis, margine antico subelevato albescente. Antennæ luteæ, apice fuscæ. Epistoma nigrum, metallice nitens, orbitis oculorum albicantibus. Oculi in viva ænei l. virides, lineis 2 transversis purpureis. Thorax, scutellum & abdomen cærulea. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis præser-

tim basi albis. Pedes nigri, posteriorum genubus, tibiis tarsisque albo-flavis. Tibiæ posticæ ad apicem subtus macula parva atra. Tarsi posteriores articulo 1:mo subtus nigro. — Mea septem exempla juvenilia & mollia videntur.

**) corpore pallescente; seta antennarum valida. *Pachycerina* Macq.

5. *L. seticornis:* testacea, subopaca, capite pedibusque dilutioribus; punctis: verticis unico epistomatisque duobus, atris; antennis porrectis, capite paullo longioribus, angustatis, seta crassa, subnuda, obscura; alis cinereo-hyalinis, costa dilute fuscana, nervis transversis fuscis, halteribus albidis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Fall. Ortal. 27. 2. ♂♀. typica. — Meig. 5. 301. 13 (e descriptione Falleniana transscripta). — *Pachycerina seticornis* Macq. Buff. 2. 511. 1. ♂♀. T. 1. f. 2.

Hab. in Svecia media Aug. & Septembr. minus frequens, mihi in Abiete præsertim obvia; nempe in Smolandia rarissime; in Ostrogothia ad villam Lärketorp in paroecia Mjölby prope Skenningiam 9 specimina legi; in Uplandia ad Holmiam, D. *Boheman*, ad Upsaliam, D. *Hæffner*; in Dalecarlia parcissime.

♂♀. Colore corporis pallescente, punctis capitis tribus atris, nec non antennarum seta crassa, ab aliis copiose diversa. — Subopaca. Frons flava, puncto ocellorum atro. Antennæ subhorizontaliter porrectæ, capite paullo longiores, flavæ, articulo ultimo longissimo, angusto, versus apicem sensim attenuato, seta ultra medium crassiuscula, parum puberula, obscura. Epistoma breve, flavum, nitidum, puncto utrinque ad oculos nigro. Palpi apice nigri. Genæ longiusculæ. Oculi mediocres, rotundi. Thorax dorso sæpe e læte cinereo l. dilute fusco micans. Scutellum flavum. Abdomen testaceum, interdum dilute

brunnescens; in ♂ ovale, ano leniter inflexo, in ♀ ovatum, apice subacutum. Alæ sordide hyalinæ, costa ab apice nervi auxiliaris ad apicem alæ anguste & langvide fuscana. Nervi transversi infuscati. Squamæ rudimentariæ. Halteres albidi. Pedes toti flavi, immaculati, inermes & glabri, exceptis calcaribus solitis 2 in apice tibiarum intermediarum, & pilis parvis ordinariis in latere exteriore femorum anticorum.

Obs. Figura Macqvarti potius secundum descriptionem quam naturam delineata videtur.

B. Seta antennarum plumata.

6. *L. longipennis:* nigricans, opaca, thoracis lineis 4 atris; antennis brevibus, sordide albidis; alis albo-flavis, basi nigricantibus; pedibus nigris, tarsis posterioribus albis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Var. a. ♂♀ alis flavicantibus.

Fall. Ortal. 28. 4. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 300. 10. Macq. Buff. 2. 509. 9. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 323. 47. & Antl. 299. 75.

Var. b. ♂♀ alis albicantibus.

Hab. in foliis fruticum præsertim in Salicetis, etiam in graminosis, per hortos, prata & pascua Scandinaviæ meridionalis & mediæ, Jun. Jul., passim; in copula capta; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, Lindholmen, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Gusum (in ligno Populi), D. *Wahlberg*; ad Lärketorp, ipse; in Ölandia pluribus locis; sed longius versus septentrionem illam procedentem non observavi; in Daniæ australis sepibus vivis frequens, D. *Stæger.* (E Lubeca a D. *Jac. Behrens* missa; & in Rugia ad Putbus jam in fine mensis Maji a D. *Dahlbom* capta).

♂♀. Robusta. Cinereo-nigricans, opaca. Frons antice plerumque macula indeterminata lutea. Antennæ deflexæ, capite breviores, ovatæ, apice subrotundatæ, totæ l. ferrugineæ, l. flavæ, l. sordide albicantes; seta elongata, sat distincte plumata, fusca. Epistoma glauco-micans. Instrumenta cibaria retracta, nigra. Oculi magni. Thorax pubescens, lineis 4 atris. Scutellum nigrum, margine cinereum. Abdomen ovatum, subnitens. Alæ l. albicantes, l. plus minus flavicantes, ima basi in nostris speciminibus iisque pluribus semper nigricantes. Nervus auxiliaris vix ultra tertiam partem costæ extensus, a secundario manifeste remotus. Nervus transversus medius apici auxiliaris oppositus. Squamæ parvæ & halteres fusca. Pedes nigri l. nigropicei, tarsis posterioribus albis l. testaceis. Pedes antici distincte pilosi; intermedii tibiis apice distincte bicalcaratis. — Variat juvenilis toto corpore rufo-brunneo.

7. *L. luputina:* canescens, opaca, fronte antice fascia alba; antennis brevibus, luteo-flavis; scutello apice nigro; abdomine pallide flavo; alis totis albicantibus; pedibus pallidis, anticis fere totis & intermediis basi nigricantibus. ♂♀. (Long. circiter 1½ lin.).

Fall. Ortal. 29. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 301. 11. Macq. Buff. 510. 12. Zett. Ins. Lapp. 755. 3. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 323. 45. & Antl. 298. 72.

Hab. in foliis fruticum, graminosis, Ericetis &c., in Scandinavia cum priore, sed paullo frequentior & longius divulgata; in copula deprehensa; a medio Junii usque ad initium Septembris mihi obvia; scilicet in Scania ad Lund, Röstånga, Silfåkra, Räften, Esperöd, Östared *(Fallèn)*, Sandhammar, &c., vulgaris; in Smolandia, D. *Ljungh* (in cujus collectione sub nomine perverso: "*Musca testacea* Fabr." asservatur); in Ostrogothia ad Wadstena, Fredensborg *(Dahlbom)*, Gusum, &c., frequens; in Gott-

landia ad Ruthe, Thorsborg & aliis locis, non parce; in Uplandia ad Holmiam *(Wahlberg)* & Upsaliam; in Dalecarlia ex. gr. ad diversorium Uppbo prope Dalelfven; in Bottnia minus frequens; in Lapponiis Tornensi, D. *Deutsch*, Kemensi, ipse; in Norwegia ad Christianiam, D. *Moë*; in Dania, Selandia haud rara, D. D. *Stæger* & *Sehestedt*. (Ad Sedinum 8 Jun. 1842 a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Priore paullo minor, angustior. Opaca. Frons cinerea, fascia antica determinata, alba. Antennæ capite breviores, ovatæ, flavo-testaceæ, seta distincte pubescente, fusca. Epistoma cum genis sublongiusculis canum. Organa cibaria retracta, nigra. Oculi mediocres, rotundati, in viva ferruginei, unicolores, in mortua obscure ferruginei. Orbitæ albæ. Thorax canus, supra nigro-pubescens, ad latera nigro-setosus. Scutellum canum, margine apicali nigro. Abdomen totum læte flavum, parce nigro-pubescens; in ♂ oblongum, ano parvo obtuso subinflexo, in ♀ ovatum, subacutum. Alæ flavido-albidæ, nervis ut in præcedente directis. Squamæ minutæ & halteres alba. Pedes pallide flavi, antici nigri, geniculis summis ferrugineis, intermedii femoribus basi late nigris, trochanteribus omnibus obscuris. Femora antica extus pilosula.

8. *L. basalis:* canescens, opaca, fronte antice fascia alba; antennis brevibus, fuscis; scutello cinereo, immaculato; abdomine obscure olivaceo, basi testaceo; alis totis flavo-albicantibus; pedibus nigris, geniculis omnibus tibiisque posterioribus flavis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinaviæ borealis fruticibus rarius; in Norwegia litorali ad Levanger, diversoria Thynäs & Östre Näs Værdaliæ 1—10 Jul. 1840 6 mares & 5 feminas inveni.

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed antennis obscurioribus, scutello toto cano, immaculato, nec margine apicali nigro, abdomine basi tantum testaceo, apice olivaceo, ut & pedibus ad maximam partem nigricantibus, sine dubio distincta. Locus natalis etiam diversus. Caput omnino ut in præcedente. Antennæ etiam ut in illa, sed totæ nigricantes vel saltem fuscæ. Abdomen secundum sexum ut in priori constructum, sed in ♂ obscure olivaceum, segmento 1:mo testaceo, in ♀ olivaceum, segmentis 1, 2 & interdum etiam 3:tio testaceis. Pedes nigri; antici: geniculis summis flavis; intermedii: femoribus apice anguste tibiisque totis flavis; postici: femoribus apice late, tibiis totis, & sæpe tarsis basi, flavis. Reliqua ut in antecedente.

Obs. Lauxania albitarsis Meig. Dipt. 5. 301. 12: "nigra; antennis, ventre pedibusque flavis; tibiis tarsisque anticis nigris: articulo ultimo albo; alis hyalinis, halteribus albis; ♂ $1\frac{1}{2}$ lin. long."; in Ostrogothia ad Gusum initio mensis Junii 1842 a Prof. *Boheman* quoque inventa fuerit, mihi omnino ignota.

162. ULIDIA Meig.

Corpus minoris magnitudinis, obtuse ovatum, crassiusculum, nitidum, glabriculum, setis verticis thoracisque laterum paucis, scutellique 4, distinctioribus. Habitus *Lauxaniæ.* Caput subtransversum, postice truncatum. Frons in utroque sexu lata, parum prominens, non pubescens; rugosa. Antennæ deflexæ, parvæ, articulo ultimo ovali, compresso, basi seta dorsali nuda. Epistoma infra oculos paullo descendens, latissimum, impressum, apice subexsertum; nudum. Proboscis crassa, sæpe prominula. Palpi subcylindrici, leniter clavati. Oculi magni, rotundati, nudi. Thorax sutura transversa vix nisi ad latera perspicua. Scutellum planum. Abdomen ovatum, depressum, 5-annulatum. Alæ incumbentes, abdomine longiores, modice

latæ, subacutæ, non vibrantes, in nostra immaculatæ. Nervi: auxiliaris ad medium costæ extensus, a secundario remotus; longitudinales 3 & 4 non paralleli, horum 4:tus paullo incurvatus fere in apice alæ excurrit, ibique 3:tio valde approximatus; transversi modice remoti, horum ordinarius paullo ante medium areæ ultimæ insertus, non longe a margine alæ distans, subobliquus, medius perpendicularis in medio alæ situs & apici auxiliaris oppositus. Area angularis ad basin alæ adest longiuscula, sed angulo acuto non usque ad marginem interiorem producta. Costa nuda; spinula nulla. Squamæ parvæ. Pedes simplices, glabri, inermes, tibiis tantum intermediis apice bicalcaratis. *Color* æneus, niger. *Habitatio* in floribus. *Metamorphosis* ignota, præter quod de larvis & pupis attulit *Bouchè* in Naturg. d. Ins. 1834. 1. 98. *Differentia* sexus; *mas:* abdominis segmento 5:to longiusculo, apice obtuso, ano parvo inflexo; *femina:* abdominis segmento 5:to subtrigono, depresso, oviductu longe erumpente, biarticulato, articulo 1:mo modice angusto depresso, ultimo subulato. *Typus* generis *Ulid. demandata.*

1. *U. demandata:* atra, nitida, capite ferrugineo; thorace scutelloque viridibus; alis albo-hyalinis; tarsis anticis articulo 1:mo, posterioribusque totis, fulvis. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 386. 1. T. 53. f. 12. f. — Macq. Buff. 2. 501. 1. ♂♀. *(Ul. bicolor).* — Löw Dipterol. Beiträg. 1845. p. 28. 1. — *Musca demandata* Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 564. 94. *Tephritis* eadem Fabr. Antl. 324. 37. *Chrysomyza splendida* Fall. Scenopin. p. 4. 1. ♀.

Hab. in floribus præsertim Compositarum, per Sveciam meridionalem & mediam Jul. Aug. Sept. rarissime; scilicet in Scania ad Esperöd in floribus Solidaginis canadensis a beat. Prof. *Fallèn* inventa; deinde in Blekingia ad Carlshamn in floribus Helianthi tuberosi Aug.

1825 a Prof. *Sundewall* in utroque sexu lecta; in Ostrogothia a me semel visa. (E Kilia & Berolino a D. *Wiedemann*, e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, ex Austria a D. *Andersch*, & denique ex Italia, eadem etiam communicata. — Larvæ in stercore eqvino antiquo toto autumno & hieme socialim vivunt; verno tempore in pupas abeunt, teste D. *Bouchè*).

♂♀. Statura *Lonchææ*. Robusta, nitida, glabra. Caput fulvo-ferrugineum, fronte postice plerumque, & epistomatis apice sæpe, leniter metallice nitentibus. Antennæ fusco-ferrugineæ, seta fusca. Proboscis & palpi nigra. Oculi in viva virescentes, lineis 5 transversis purpureis; in mortua toti obscure ferruginei. Thorax aureo-viridis, supra vestigio linearum 3 ferruginarum. Scutellum æneum, setis 4 haud validis. Abdomen subænescenti nigrum, apice e violaceo-nigro micante. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus, albis. Squamæ & halteres alba. Pedes nigri, anticorum metatarso, posteriorumque tarsis fere totis flavo-fulvis.

Obs. Descriptionem hanc conficiens specimina Svecica ante oculos habui. In individuis extraneis & præsertim Italicis caput totum rufo-fulvum immaculatum video.

Famil. 32. OPOMYZIDES.

163. CALOBATA Fabr.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, tenue, subfiliforme, parcissime setosum. Caput globosum. Frons in utroque sexu modice lata, haud prominens, glaberrima, setis aliquot (plerumque tantum postice) armata. Antennæ subdeflexæ, breves, ovatæ l. rotundatæ, articulo ultimo compresso, basi seta dorsali raro subplumata, plerumque pubescente aut nudiuscula. Epi-

stoma latitudine frontis, infra oculos non descendens, declive, omnino nudum. Proboscis crassa, prominula. Palpi subcompressi, angustati, interdum extrorsum paullo dilatati. Oculi magni, rotundi, nudi, in viva rufi, unicolores, in mortua obscure ferruginei. Thorax ellipticus, in medio sutura transversa; glaber aut interdum supra brevissime puberulus; postice parcissime setulosus. Humeri tuberculati. Scutellum convexum, apice tantum bisetosum. Abdomen longum, angustum, subcylindricum, 5-annulatum, parum puberulum, setis nullis. Alæ incumbentes, abdomine longiores, subangustatæ; non vibrantes. Nervi: auxiliaris fere ad medium costæ extensus, a secundario tantum ad apicem remotus; longitudinales 3 & 4 non paralleli, leviter curvati, versus apicem alæ convergentes, in nostris vero non coëuntes; transversi perpendiculares, recti, late distantes, horum ordinarius in medio areæ ultimæ insertus (hinc segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum & ultimum æque longa), medius l. paullo ante l. pone apicem auxiliaris situs. Costa nuda; spinula nulla. Alula parva. Sqvamæ minutæ, ciliatæ. Pedes longissimi (femora & tibiæ postica imprimis elongata), simplices, tenues, fragiles, nudi & inermes. *Color* niger, cinerascens. *Motu* segnis; tarde volat, at paullo vivaciter ambulat. *Habitatio* in foliis plantarum succum quærentes, in graminosis, etiam in truncis arborum, nec non in floribus. *Metamorphosis* . . . . *Differentia sexus*, etiam in externis partibus manifesta; *mas:* ano clavato, appendice duplici instructo; *femina:* cauda elongata, simplici, glabra, basi fere crassitie segmenti abdominis ultimi, versus apicem sensim attenuata. *Typus* generis: *Calobata cibaria* (2).

A. Alæ fasciatæ (*). Epistoma apice elevato. Lamina pectoralis supra coxas intermedias postice crebre ciliata. (Forte proprii generis, sub quo plures species exoticæ, ut ex. gr. *C. erythrocephala* Fabr., *diadema* Wied., *lasciva* Fabr., *fasciata* Fabr.,

*) in exoticis quibusdam nigræ l. aliter pictæ.

guttipennis Wied., *albitarsis* Wied. &c., etiam militant).

1. *C. calceata:* atra, nitida; alis hyalinis, fascia pone medium lata langvide fusca; pedibus piceo-nigris, femoribus posterioribus ante apicem annulo luteo; tarsis anticis fere totis, posticisque basi late, albis. ♂♀. (Long. 3½ lin.).

Fall. Opomyzides Svec. 1820. p. 2. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 380. 7. (e descriptione Falleni transscripta).

Hab. in truncis arborum viventium per Sveciam australem, Jul.—Sept., valde rara; in copula deprehensa; scilicet in Scania ad villam Esperöd in paroecia Mellby in truncis Qvercus Roboris excelsæ locis valde umbrosis 4 Jul. — 3 Septembr. 4 mares & 5 feminas inveni, in ipsis rimis corticis insidentes & qvasi timide latentes. Nec alibi eam captam audivi.

♂♀. Inter nostrates maxima, vere distincta & pulchra. Tota atra (ad certum situm e nigro-chalybeo nitens), nitida, glabra. Frons (in mortua) canaliculata, nitida, vitta media opaca, setis ad oculos utrinque circiter 6, æquali spatio remotis, distinctis, nigris. Antennæ epistomate duplo breviores, nigro-fuscæ, seta elongata, capillari, nuda, fusca. Epistoma nigrum ad latera albido-micans; inferne convexo-elevatum atrum nitidissimum. Proboscis magna, saccata, distincte prominula, nigra. Palpi validiusculi, nigri. Genæ brevissimæ. Oculi maximi. Thoracis dorsum postice pilis aliquot nigris. Pectoris pars media supra coxas intermedias cinereo-micans postice longe & dense nigro-pilosa. Sternum etiam ante pedes intermedios parcius pilosum. Abdomen filiforme, basi griseo-pilosulum. Alæ hyalinæ, fascia pone medium lata nervum transversum ordinarium transeunte, apiceque anguste dilute fuscanis. Nervus auxiliaris paullo ante medium costæ cessat, & nonnihil pone

ejus apicem nervus transversus medius ducitur. Nervi longitudinales 3 & 4 in apice alæ fere coëunt. Area angularis ad basin alæ paullo retracta angulo externo breviter acuto (nec ut in exoticis pluribus longe acuminato), e quo nervus longitudinalis 6:tus usque ad marginem interiorem continuatur. Squamæ rudimentariæ, fuscæ. Halterum clava nigra. Pedes nigro-picei; posteriores longissimi, femoribus ante apicem annulo lato luteo. Tarsi antici fere toti, & metatarsi postici, albi. Pedes præterea toti nudi & mutici, coxis tantum anticis elongatis ad apicem antice fasciculo pilorum 3—4 munitis.

B. Alæ immaculatæ. Epistoma valde declivum, apice non elevato. Lamina pectoralis supra coxas intermedias postice pilis paucis munita.

2. *C. cibaria:* nigricans, thorace griseo opaco, callis humeralibus obscuris; fronte fulva, occipite cinereo, puncto verticis nigro; antennis testaceis, seta subplumata, fusca; epistomate albo; alis pallescentibus; pedibus flavis, femoribus posterioribus ad apicem annulo brunneo. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Mas: abdomine filiformi, clavato, nigro, cauda flava apice inflexo; ventre ad apicem (sub segmento 4:to) valvulis duabus magnis fornicatatis conniventibus, flavis, pallide puberulis, postice dentatis;

Fem.: abdomine cylindrico nigro, segmento ultimo brevi plerumque flavicante l. ferrugineo, cauda longitudine circiter dimidii abdominis eoque duplo angustiore, cylindrico, in medio impresso, quasi biannulato, toto nigro nitido parum puberulo, vi sæpe compresso, postice utrinque macula ferruginea.

Meig. Dipt. 5. 378. 2. ♂ (forte etiam ♀ quamquam oviductus "flavus" dicitur). — Macq. Buff. 2. 490. 1. ♂♀. T. 20. f. 8. — Zett. Ins. Lapp. 756. 1. ♂♀. (ex parte). — *Musca* Linn. Fn. Sv. 1859. ♀. Syst. Nat. 2. 995.

102. ***Calobata cothurnata*** Fall. Opomyz. 2. 2. ♂♀. (An etiam *Musca cothurnata* Panz. Fn. Germ. 54. f. 20. ♀ hujus?).

Hab. in foliis fruticum Betulæ, Salicis, Alni, sæpe locis uliginosis, incessu gravi & elato; per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam, tota æstate vulgaris, in truncis arborum putridis etiam observata, raro in fenestris errabunda, alas quandoque motitans; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång *(von Borck)*, Silfåkra, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, *Ljungh*; in Ostrogothia ad Lärketorp & Gusum; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Bottnia boreali in paroecia Öfver-Luleå, D. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarius; in Dania frequens, D. *Stæger*. (In Germania ad Neuenkirchen jam 15—20 Maj a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Frons fere tota fulva, humeri obscuri, structura & color partium sexualium speciem designant. Frons fulva opaca, vertice cinereo, puncto ocellorum nigro. Orbitæ oculorum angustæ albæ. Setulæ aliquot nigræ in occipite. Antennæ breves, rotundatæ, flavæ, basi interdum saturatiores; seta plumata obscura. Epistoma album. Palpi flavi. Proboscis prominula, brunnescens. Genæ longiusculæ, albæ. Oculi magni, rotundi, in viva rufo-ferruginei, unicolores. Thorax nigricans, parum nitens, griseo-pollinosus, humeris subobscuris, pleuris plumbeo-nitentibus; totus glabriculus, setulis paucis in lateribus & postice. Lamina pectoralis supra coxas intermedias postice parce setulosa, subtus pallide pilosa. Scutellum concolor. Abdomen nigrum nitidum, incisuris interdum anguste albis. Alæ hyalinæ, præsertim basi subpallescentes. Nervus auxiliaris non ad medium costæ extensus a secundario parum remotus. Nervus transversus medius apici auxiliaris fere oppositus. Nervi longitudinales 3 & 4 in apice alæ non omnino coëuntes. Area angularis ad basin alæ valde retracta, angulo exteriori recto

(nec acuto), a quo nervus longit. 6:tus paullo descendit, sed minime ad marginem continuatus. Squamæ sordide albidæ. Halteres albi. Pedes flavi, femoribus posterioribus mox ante apicem annulo angusto brunneo. Coxæ imprimis anticæ flavo-albæ. Pedes toti nudi, mutici, metatarsis tantum ima basi subtus brevissime setulosis.

3. *C. cothurnata:* nigricans, thorace griseo opaco, callis humeralibus subobscuris vel piceis; fronte nigra, antice fulva, occipite lateribus cinereo; antennis testaceis, seta pubescente, subpallida; epistomate albo; alis pallescentibus; pedibus flavis, femoribus posterioribus ad apicem annulo brunneo. ♂♀. (Long. fere 3 lin.).

Mas: abdomine clavato nigro, clava magna flava apice inflexo; ventre ad apicem (sub segmento 4:to) appendicibus binis magnis cylindricis corniformibus separatis introrsum flexis, pallide flavis;

Fem.: abdomine cylindrico nigro, segmento ultimo brevi margine apicali flavicante, cauda circiter longitudine dimidii abdominis eoque paullo angustiore subcompressa, tota nigra nitida immaculata; in copula.

Var. a. ♂♀ antennis totis flavis.

Meig. Dipt. 5. 379. 3. ♂♀. T. 52. f. 18 ♂, 19 ♀. — Macq. Buff. 2. 490. 3. *Musca* eadem Panz. Fn. Germ. 51. f. 20. ♀. (teste Meig.; mihi ad priorem potius referenda videtur). — *Calob. cibaria* Zett. Ins. Lapp. 756. 1. ♂♀. var. b. & quoque pleraque specimina varietatis a.

Hab. varietas a. cum priori, sed in Scandinavia meridionali & media passim, in septentrionali mihi frequentius obvia, in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Abusa & Esperöd; in Smolandia, D. *Ljungh*, in cujus collectione ♂ sub nomine: "*Musca petronella* L."

exstat; in Ostrogothia ad Lärketorp raro; in Jemtlandia boreali a radibus alpium Åreskutan & Mullfjellen usque ad Skalstugan sat copiose; in Bottnia boreali (circa Luleå?), D. *Andersson;* in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Stensele &c., frequentissime, Tornensi ad Juckasjervi & Karesuando parce; in Norwegia ad Thynæs, Garnæs & Suulstuen Værdaliæ, nec non ad Björkvik Nordlandiæ & Bossekop Finmarkiæ, passim; in Dania quoque reperta.

♂♀. Simillima priori, a qua fronte nigriore & maris organo copulationis aperte aliter constructo præcipue differt. Frons a basi ad medium & ultra nigra, antice indeterminate fulva. Vertex ad latera cinereus. Orbitæ oculorum albæ. Seta antennarum distincte pubescens, vix plumata; pallescens. Calli humerales obscuri, sed sæpe rufescentes l. picei. Macula pectoralis sub alis rufa plerumque quoque adest. Differentia sexus ut in diagnosi. Cetera omnia exacte ut in *C. cibaria.* — Inter antecedentem & sequentem qvasi media.

Var. b. ♂♀ antennarum articulo ultimo nigro, seta obscura; de cetero in omni puncto etiam quoad discrimen sexus cum varietate a. conveniens.

C. nigricornis Zett. Ins. Lapp. 756. 3. ♂♀.

In betuletis Lapponiæ Umensis ad Lycksele mense Junio 1832 rarissime capta.

4. *C. petronella:* nigricans, thorace griseo opaco, callis humeralibus rufis; fronte fulva, occipite cinereo, puncto verticis nigro; antennis testaceis, seta pubescente, nigra; epistomate albo; alis cinereo-hyalinis; pedibus flavis, posterioribus ad apicem annulo brunneo, tarsis omnibus fuscis. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Mas: abdomine clavato, nigro, segmento ultimo clavaque inflexa nitida ferrugineo-flavis; ventre flavo, in medio utrinque la-

minato, lamina opaca flava apice dentata, antice (sub segmento 2:do) stylis binis subfiliformibus, retrorsum curvatis flavis munito;

Fem.: abdomine nigro, segmento ultimo ferrugineo, cauda longitudine dimidii abdominis eoque paullo angustiore postice valde compressa, tota nitida aut ferruginea, aut basi supra apiceque nigra; in copula.

Fabr. Antl. 262. 10. Meig. Dipt. 5. 377. 1. ♀. Macq. Buff. 2. 490. 2. ♂. Zett. Ins. Lapp. 756. 2. ♂♀. *Musca* eadem Linn. Fn. Sv. 1856. Syst. Nat. 2. 991. 96. Schrank Ins. Austr. 466. 916. Fabr. Ent. Syst. 4. 336. 103. *Calob. corrigiolata* Fall. Opomyz. 3. 3. ♂♀. (exclus. synon.)

Hab. in foliis fruticum, truncis arborum, floribus &c., per Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ hortos & prata, ab ineunte Junio usque ad finem Septembris, vulgaris, in copula sæpe observata; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Sjörup, Esperöd &c., frequens; inBlekingia *Aspegren*; in Smolandia copiose, *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena, minime parce; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Gottlandia ad Garde; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; deinde in regionibus borealibus rarissime occurrit; in Norwegia ad Christianiam, D. *Moë*; & ad Suulstuen in jugo alpino non parce a me lecta; in Dania frequens, D. *Stæger*. (In horto Gryphico Senatoris *Krey* Jul. Sept. 1843 freq., D. *Dahlbom*).

♂♀. Duabus proxime præcedentibus valde similis, sed a *C. cibaria*, cui capitis colore omnino accedit, antennarum seta pubescente, nec plumata, a *C. cothurnata* fronte fere tota fulva, nec e maxima parte nigra, antennarum seta nigra, nec pallescenti, & ab utraque calis humeralibus semper distincte

rufis l. ferrugineis, alis parum flavicantibus, nervo auxiliari paullo longius & a secundario ad apicem longius remoto, nervulo transverso medio fere pone apicem auxiliaris sito, tarsis subinfuscatis, nec flavis, ut & præcipue partibus sexualibus longe diversis, vere distincta; nec nisi similem cum simili in copula junctam observavi. — Antennæ basi interdum leniter obscuræ. Caput postice plerumque ferrugineum. Oculi in (viva) rufo-ferruginei, unicolores. Macula pectoralis sub radice alarum ferruginea. Abdominis incisuræ intermediæ sæpissime albæ. Tarsi plerumque toti nigricantes l. fusci, metatarsis interdum testaceis. Cetera ut in prioribus l. in diagnosi.

5. *C. ephippium:* nigra, nitida, thorace ferrugineo; epistomate albo; antennis pedibusque pallide flavis, femoribus posticis annulis duobus brunneis; alis cinereo-hyalinis, apice leniter fuscanis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Mas: abdomine clavato atro, clava subelevata; ventre in medio appendicibus binis cylindricis, corniformibus separatis introrsum flexis, pallide flavis pellucidis; inter has appendices & caudam subtus stylis 2 parvis nudis nigro-piceis;

Fem.: abdomine simplici atro, cauda longitudine dimidii abdominis eoque paullo angustiore, tota nigra nitida immaculata; in copula;

Fabr. Antl. 263. 13. Fall. Opomyz. 4. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 380. 6. ♀. Macq. Buff. 2. 491. 6. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 338. 108. ♂. Panz. Fn. Germ. 97. f. 21. ♀. certe. — *Nerius Inulæ* Rob. Desv. n:o 8.

Hab. in graminosis, libenter locis uliginosis, per Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ hortos & prata, Jun. Jul. & iterum Septembr., passim, in copula aliquoties etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby *(Dahlbom)*, Råby, Knästorp, Abusa, &c., sat frequens; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostro-

gothia ad Wadstena parce; in Westrogothia ad Höberg; in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg;* in Dalecarlia, Prof. *Boheman* (1836); in Jemtlandia ad Östersund raro, ipse; sed longius versus septentrionem procedens non observata; in Daniæ Scirpinis ad aqvas, etiam in Arctio Lappa, semper tamen in vicinitate aquæ, hinc inde copiose, D. *Stæger.* (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* missa; e Putbus Rügiæ (jam mense Majo capta), Trawemündia & Gryphia a D. *Dahlbom* in multis exemplis utriusque sexus communicata).

♂♀. Magnitudine parva & thorace rufo a prioribus primo obtutu dignota. Tota nitida, glabra, nuda, setulis parvis vix nisi binis in vertice tantum munita. Frons atra opaca, summo tantum antico flava, occipite obscure cinereo, orbitis oculorum angustis albis. Antennæ parvæ, ovatæ, flavo-albidæ, seta nuda, nigra. Epistoma subdeclivum, album. Proboscis testacea. Palpi pallidi. Caput postice nigrum, nitidum. Oculi rotundati, in viva obscure ferruginei, unicolores. Thorax rufo-ferrugineus, callis humeralibus, (sæpe etiam collari) & sterno, nigris; postice ad latera setulis aliquot minutis nigris. Scutellum parvum, nigrum l. piceum, setulis ordinariis binis vix ullis l. exiguis. Abdomen totum nudum, atrum, immaculatum, exceptis apendicibus ventralibus in ♂ flavis & similiter ac in *C. cothurnata* (3) constructis. Alæ abdomine parum longiores, cinereo-hyalinæ, nervo transverso ordinario & summo apice langvide fuscis. Nervi: auxiliaris vix ultra tertiam costæ partem extensus, a secundario parum remotus; transversus medius fere pone apicem auxiliaris situs. Squamæ rudimentariæ. Halteres albi. Pedes toti cum coxis pallide flavi, nudi, femoribus posticis annulis duobus angustis brunneis, uno mox pone medium, & altero mox ante apicem sito. — In specimine Jemtlandico femineo tibiæ posticæ nigræ sunt.

Obs. Secundum *Meigen* anus feminæ "ferrugineus"; at in omnibus meis exemplaribus iisque plurimis anus niger est.

---

164. MICROPEZA Latr.

Corpus minoris magnitudinis, valde angustatum, filiforme, glabrum, inerme, setis in vertice thoracisque postico paucissimis & in scutello binis, omnibus exiguis. Caput horizontaliter elongatum, pone oculos tumidum. Frons in utroque sexu modice lata, antice leniter prominula. Antennæ parvæ, rotundatæ, compressæ, seta subnuda. Epistoma angustatum, valde reclinatum, omnino nudum. Os vertici oppositum, apertura parva. Palpi subcylindrici, parum clavati & proboscis retracta. Oculi rotundi, nudi, in viva ferruginei, unicolores. Thorax in medio sutura transversa. Abdomen tenue, 6-annulatum. Alæ incumbentes, abdominis longitudine l. illo fere breviores, angustatæ, non vibrantes, immaculatæ. Nervus auxiliaris vix ultra 4:tam totius costæ longitudinis partem extensus, a secundario parum remotus. Segmentum costæ 2:dum 1:mo $2\frac{1}{2}$ longius, 3:tium longitudine fere 1:mi, 4:tum brevissimum. Nervi longitudinales: 3 & 4 versus apicem convergentes; 5:tus mox pone nervum transv. ordinar. abruptus; 6:tus ex angulo areæ basalis recto fere ad marginem continuatus. Nervi transversi perpendiculares, late remoti, horum ordinarius in medio areæ ultimæ insertus, medius pone apicem auxiliaris situs. Costa nuda; spinula nulla. Alula parva. Squamæ rudimentariæ. Pedes longissimi, simplices, tenues, nudi, mutici, tibiis posterioribus extus tantum parce & brevissime setulosis; antici a posterioribus ut in *Calobata* remoti. Tarsi breves. *Color* obscurus. *Motus* ut in *Calobata. Habitatio* in graminosis, foliis plantarum & floribus, haud in truncis arborum; plerumque locis siccis. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* abdomine clavato, clava brevi, parum inflexo, segmento ultimo ventrali leniter elevato; *fe-*

mina: cauda longitudine dimidii abdominis eoque paullo angustiore, subdepressa, nitida, glabra, apice subcompresso, attenuato.

1. *M. corrigiolata:* nigricans, opaca; antennarum seta, epistomate, abdominis incisuris halteribusque albis; alis cinereis; pedibus flavis, annulo femorum, geniculis tarsisque nigro-brunneis. ♂♀. (Long. ♂ 2, ♀ fere 3 lin.).

Meig. Dipt. 5. 384. 2. ♂♀. T. 53. f. 6. ♀. — Macq. Buff. 2. 492. 1. ♂♀. T. 20. f. 10. ♀. — *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 995. 100. Fabr. Ent. Syst. 4. 339. 113. Schrank Ins. Austr. 467. 919. — *Calobata* Fabr. Antl. 263. 15. — *Musca filiformis* Fabr. Ent. Syst. 4. 337. 105. certe. *Calobata* Fabr. Antl. 263. 14. Latr. Gen. 4. 352. Fall. Opomyz. 3. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 757. 1. ♂♀. *Phantasma* Rob. Desv. n:o 1.

Hab. in foliis plantarum, sepibus vivis, floribus & graminosis, locis non solum humidis sed etiam siccis, per hortos, prata, versuras agrorum &c., Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, Jun.—Septemb., vulgaris, in copula multoties capta; in Scania ubique vulgatissima; in Smolandia frequens, D. *Ljungh*; in Ostrogothiæ hortis ad Gusum, Lärketorp, Wadstena &c., sat copiose; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg;* in provinciis Scandinaviæ borealibus rarissime tantum observata; in Dania Australi frequens, D. *Stæger.* (In hortis Gryphicis, in Rugia ad Putbus, ut & ad Sedinum a D. *Dahlbom* abunde lecta. Ex Helvetia mihi quoque communicata).

♂♀. Statura corporis gracilis & capite elongato-elliptico valde dignota. Nigricans, parum nitida. Caput postice nigrum nitidum. Frons immersa, nigra, orbita oculorum alba. Antennæ

nigræ, seta alba. Epistoma album. Instrumenta oris obscura, proboscidis capitulo pallido. Genæ longiusculæ, antice albidæ, postice nigræ. Pectus cinereum. Abdomen nigrum, incisuris, tenuiter albis. Organa sexus nigra, nitida. Venter pallidus. Alæ cinereo-hyalinæ. Squamæ minutissimæ. Halteres albi. Pedes ut in diagnosi. Annulus brunneus femorum pone medium ductus, angustus.

---

165. LOXOCERA Fabr.

Corpus medium, elongatum, subcylindricum, glabriculum, inerme, setis in vertice thoracisque postico paucissimis & in scutello binis, omnibus parvis minime fortibus. Caput oblique rotundatum. Frons in utroque sexu latissima, plana, inæqvalis, glabra, antice paullo prominula. Antennæ protuberantiæ frontis insertæ, oblique porrectæ, capite multo longiores, articulo ultimo longissimo, lineari, compresso, basi seta dorsali longitudine fere articuli, subpubescente. Epistoma valde declivum, latum, planum, subdescendens, nudum. Os vertici oppositum. Palpi apice subdilatati, pilosi, & proboscis, subretracta. Genæ elongatæ. Oculi majusculi, rotundi, nudi. Thorax absque sutura transversa. Abdomen elongatum, angustum, 6-annulatum. Alæ incumbentes, longitudine abdominis l. illo fere breviores, modice latæ, non vibrantes, immaculatæ. Nervus auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, cum secundario unitus. Nervi longitudinales: 3 & 4 sat late distantes, versus apicem subparalleli; 5:tus ad marginem interiorem continuatus, sed 6:tus paullo ante marginem cessans, ambo retroflexi. Nervi transversi perpendiculares, sat longe remoti, horum ordinarius in medio areæ insertus, medius apici auxiliaris oppositus. Areæ basales longiusculæ. Costa nuda; spinula nulla. Alula distincta. Squamæ parvæ. Pedes mediocres, potius tenues, sim-

plices, nudi, mutici, tibiis intermediis apice breviter bicalcaratis. *Color* rufus; pictura nigra. *Motu* agilis; volatus brevis, celer. *Habitatio* in graminosis & fruticibus, in quorum foliis sæpe tranqvilla sedet, sed tempestate calida & conjugem qværens satis vivax. *Metamorphosis* latet. *Differentia sexus; mas:* abdomine apice obtuso; *femina:* cauda longitudine dimidii abdominis, articulata, longe acuminata, nuda. *Typus generis: Loxocera ichneumonea.*

1. *L. ichneumonea:* nigra, capite concolore; antennis capite paullo longioribus obscuris, seta alba; thoracis postico, scutello pleurisque rufis, lineis ante scutellum duabus abbreviatis nigris; alis fusco-hyalinis, nervo transverso ordinario fuscedine cincto; pedibus flavo-ferrugineis, tarsis fuscis. ♂♀. (Long. ♂ 3, ♀ 4 lin. long.).

Fall. Opomyz. 7. 1. ♂♀. certe (exclus. syn. Fabr.). — Zett. Ins. Lapp. 757. 1. ♂♀. *Musca ichneumonea* Linn. Fn. Sv. n:o 1809. vera. Syst. Nat. 2. 986. 42. — *Musca aristata* Panz. Fn. Germ. 73. f. 24. ♀. certiss. — *Loxocera elongata* Meig. Dipt. 5. 364. 2. ♂♀. certe. Macq. Buff. 2. 373. 2. ♂♀.

Hab. in plantis variis, foliis fruticum & graminosis, per hortos, agros & prata totius Scandinaviæ, ab ineunte Junio usque ad medium Septembris, vulgaris, in copula quoque pluries capta; scilicet in Scania ubique frequentissima & in Salice viminali versus autumnum sæpe copiose; in Smolandia ad Skärsjö *(Ljungh)* & alibi, abunde; in Ostrogothia ad Gusum, Omberg, Wadstena (in Rismarken), Lärketorp &c., frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Bahusia ad Marstrand *(Wahlberg)*; in Öland ad Gärdslösa alibique; in Uplandia ad Holmiam *(Wahlberg)*; in Jemtlandia ad villam Säther prope

Östersund & ad diversoria Faxelfven & Stalltjernstugan, necnon ad radicem alpium Mullfjellen & Åreskutan, minime parce; in Lapponia Umensi ex. gr. ad Granträsk, Lycksele & in Stöttingsfjellet; in alpes nivales non adscendens; in Norwegia ad Christianiam, Thynäs, Oestre Näs, Sunl &c., sat copiose; in Dania communis, D. *Stæger.* (In Germania ad Hamburgum, atque ad Rixdorff, Johannis Thal & Rudower prope Berolinum a D. *Dahlbom* frequenter observata. Ex Austria a D. *Andersch*, & ex Helvetia etiam communicata).

♂♀. Frons tota epistomaque nigra, antennæ capite non multo longiores, thorax antice circiter ad medium niger, postice lineis binis nigris, & nervus transversus ordinarius infuscatus, sunt notæ principales, quibus hæc species, inter nostrates maxima, a reliquis facile distingvitur. — Subcylindrica, subtiliter punctulata, subnitida. Caput transversum. Frons atra, opaca, macula media antice acuta postice latiore lævissima nitidissima. Antennæ capite nonnihil (vix 1½) longiores, nigræ, basi plerumque fuscæ, seta longitudine articuli ultimi (♂), vel illo paullo breviore (♀), in utroque sexu valida, alba, subnuda. Epistoma nigrum, lateribus late albo-micantibus. Palpi nigri. Proboscis testacea. Oculi in viva ænescentes, lineis 2 mediis transversis brunneis obsoletis; in nuper exclusa ferruginei. Thorax rufo-ferrugineus, collari & dorso circiter ad medium niger; e nigredine dorsali exeunt lineæ 2 parallelæ, ad scutellum non omnino productæ, nigræ. Sæpe etiam linea utrinque lateralis ad radicem alarum descendit. Thoracis dorsum pube brevissima grisea nitida in illæsis vestitum. Pleuræ in medio fasciola horizontali abbreviata e pube brevissima argentea orta. Scutellum rufo-ferrugineum. Metathorax ater, nitidus, flavis. Abdomen totum atrum, in ♂ obtusum, ano parvo haud inflexo, in ♀ cauda articulata, extensa, compressa. Alæ abdominis longitudinis (♂), aut illo cum cauda paullo breviores (♀), levissime fuscanæ præsertim ad basin & costam. Ner-

vi validi, transversus ordinarius infuscatus. 4:tus longitudinalis pone ordinarium paullo curvatus. Squamæ & halteres albida. Pedes flavi, tarsis præsertim posticis nigricantibus.

Var. a. ♂♀. Thoracis dorsum nonnihil ultra tertiam partem seu vix ad medium nigrum, nigredine duas lineas versus scutellum emittente. In adultioribus frons tota nigra, alæ leniter subfuscanæ; in junioribus frons nigra, macula media subcordata ferruginea aut picea, alæ subhyalinæ. Ubique vulgaris.

Var. b. ♂♀. Thoracis dorsum ad medium nigrum, nigredine duas lineas versus scutellum emittente. Frons & alæ secundum ætatem ut in var. a. ludunt. Vulgaris.

Var. c. ♂♀. Thoracis dorsum ultra medium nigrum, interstitio nempe inter illas duas lineas nigras nigredine toto repleto. Frons & alæ secundum ætatem ut in a. & b. variant. Passim, præsertim in provinciis borealibus ex. gr. ad Thynas & Nas Norwegiæ & in Lapponia.

Obs. Sine dubio est hæc species Linnæi *Musca ichneumonea* genuina, quod assumere fas est non solum propter frequentiam individuorum, verum etiam ob *caput* totum *nigrum*, quale in Fauna Svec. l. c. expressis verbis describitur. Sequens species (*Loxoc. confusa*), cum qua sola confundi posset, in Scandinavia multo rarius occurit, & capite rufo-testaceo atque antennis capite duplo longioribus, nec ut *Linne* de *ichneumonea* sua dicit: "longitudine capitis", gaudet.

Obs. Loxocera Hoffmanseggii Meig. Dipt. 5. 366. 5. *Platystyla* eadem Macq. Buff. 2. 375. 1. ♂♀. T. 18. f. 2 ♂.: nigra, subnitida, capite concolore: antennarum articulo 1:mo modice longo porrecto, 2:do 1:mo paullo longiore, 3:tioque antecedente dimidio longiore deflexis; seta in medio articuli ultimi inserta alba biarticulata, articulo ultimo elongato paullulum subdilatato lenissime ciliato; epistomatis lineis lateralibus albis; scutelli apice ferrugineo; abdominis segmentis mediis (2 3 & 4) rufis; geniculis, tibiis, tarsisque fere totis, flavis; alarum nervis subinfuscatis; halteribus albis. Long. fere 5 lin.; e Kilia pro comparatione a Nobil. D. *Stæger* mihi amice communicata, ut Scandinaviæ incola hactenus non observata.

2. *L. confusa:* rufo-ferruginea; antennis capite fere duplo longioribus fuscis, seta pubescente alba; macula frontali trigona, thoracis antico abdomineque nigris; alis hyalinis, nervo transverso ordinario leniter infuscato; pedibus flavis. ♂♀. (Long. ♂ fere 3, ♀ fere 4 lin.).

Var. a. ♂♀. thoracis nigredine antica lineam utrinque lateralem & duas medias plus minus elongatas numquam vero scutellum attingentes, nigras, emittente.

Zett. Ins. Lapp. 758. 2. ♂♀. *Loxocera ichneumonea* Fabr. Antl. 202. 1. (exclus. syn. Linn. &c.). Meig. Dipt. 5. 363. 1. (exclus. syn. Linn. Panz. & Fall.). Macq. Buff. 2. 373. 1. T. 18. f. 1. ♀.

Var. b. ♂♀. thoracis nigredine antica lineas versus scutellum medias nullas emittente.

Zett. l. c. var. in descriptione. — *Loxoc. ichneumonea* var. *β*. ♂. Fall. Opomyz. pag. 8.

Hab. var. a. & b. promiscue in fruticibus Alni, Betulæ &c., per hortos & prata imprimis uliginosa Scandinaviæ meridionalis & mediæ, Jul. Aug. Sept., passim; in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Fliinge-äng, Ryds Skog prope Abusa *(von Borck)*, Silfåkra, Krageholm, Thomarp, Tranås, Östra Ljungby, &c., haud parce; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, & in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg*; deinde & longius versus septentrionem rarissime occurrit; in Dania hinc inde, D. *Stæger*. (E Gryphia (in horto *Kreyiano* capta) a D. *Dahlbom*; e S:t Sever Galliæ sub nomine: "*Lox. ichneumonea* Meig." a D. *Leon Dufour*; e Glogavia a D. *Zeller*; ex Austria a D. *Andersch*; & ex Helvetia, etiam mecum communicata).

♂♀. Simillima priori, a qua tamen magnitudine plerumque nonnihil minore, capite fere toto rufo, nec toto nigro, antennis longioribus, seta distinctius pubescente, thoracis nigredine antica paullo breviore, alis vix fuscanis, ut & pedibus totis flavis, nec tarsis nigricantibus, vere distincta. Caput rufum, macula frontali cordata seu triangulari nigra. Epistomatis linea utrinque lateralis alba. Antennæ nigræ, basi fuscescentes, seta antenna breviore, perspicue pubescente l. subplumata, alba. Oculi brunnei, unicolores. Thorax rufus, antice ad tertiam fere partem niger, lateribus & lineis 2 dorsalibus mediis brevissimis (sæpe nullis) ejusdem coloris. Scutellum rufum. Abdomen nigrum. Alæ cinereo-hyalinæ. Halteres albidi. Pedes flavi, coxis, femoribus ad apicem late, tarsisque, saturatioribus. Reliqua ut in priori.

3. *L. sylvatica:* rufo-ferruginea; antennis capite duplo longioribus fuscis, seta nudiuscula alba; macula frontali trigona, vitta epistomatis media, thoracis macula antica lineolam mediam emittente abdomineque nigris; alis hyalinis; pedibus flavis. ♂♀. (Long. ♂ 1½, ♀ fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 365. 3. ♂♀. T. 51. f. 22. ♂. Macq. Buff. 2. 373. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 758. 3. ♂.

Hab. in fruticibus Scandinaviæ præsertim borealis mense Julio parcissime; scilicet in Svecia inferiore semel tantum a me lecta; in Lapponiæ Lulensis alpe Njunnats prope Qvickjock, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia boreali ad alpem Mullfjellet individuum femineum a D. *Dahlbom* captum; in Norwegia ad diversoria Garnäs & Suul Værdaliæ, 1840, atque in insula Hackstèn prope Schiervö Nordlandiæ, 1821, rarissime.

♂♀. A priori, cui valde similis, differt: magnitudine multo & constanter minore, epistomatis vitta media nigra, antennarum seta parum puberula, thoracis antico tantum macula & lineo-

la media nigris, alis fere hyalinis, nervo longitudinali 4:to pone transversum ordinarium magis recto, parum saltem curvato, ut & pedibus flavis immaculatis, tarsis solum paullulum fuscanis. Frons parum prominens. Antennarum seta articulo antennæ ultimo paullo brevior, alba subnuda capillaris, basi subincrassata. Thorax rufo-ferrugineus, disco dorsali antico & lineola media ad scutellum fere continuata nigris. Scutellum rufum. De cetero ut in præcedente.

4. L. *fulviventris:* rufo-ferruginea, capite nigro; antennis capite duplo longioribus fuscis, seta nudiuscula alba; thoracis macula antica lineolam mediam emittente abdomineque nigris; ventre basi pallido; scutello piceo; alis hyalinis; pedibus flavis, tibiarum posticarum tarsorumque omnium apice leniter fusco. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 5. 365. 4. ♀. T. 51. f. 21. ♀. — Macq. Buff. 2. 374. 4. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media Jul. Aug. minus frequens; in copula tamen observata; scilicet in Scania ad Silfåkra (in foliis fruticis Alni loco paludoso 28 Aug. 1838 ♀), D. *Dahlbom*; ad Esperöd in paroecia Mellby, ipse; in Smolandia, D. D. *Boheman* & *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Dania circa Hafniam in trunco arboris 11 Aug. ♂ semel, D. *Staeger*. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* Senior. etiam missa).

♂♀. Priori iterum valde affinis, & ei magnitudine, antennis cum seta, thoracis pictura, alis, &c., simillima, sed capite toto nigro, scutello nigricante l. piceo, nec rufo, ventre antice rufo-flavo, ut & pedum posticorum femoribus superne macula apicali parva tibiisque apice dilute fuscis, certe diversa. Caput atrum, proboscide & genis rufis. Epistoma lateribus certo

situ albo-micans. Scutellum plerumque in ♂ nigrum, in ♀ rufescens. Venter a basi & fere ad dimidium abdominis pallescens. Halteres pallide flavi, petiolo rufo. Reliqua exacte ut in antecedente.

---

166. SCATOPHAGA Fabr.

Corpus mediæ, plerumque minoris magnitudinis, interdum parvum, elongatum, sublineare, glabriculum, nitidum, inerme, setis in vertice, thoracisque postico paucissimis & in scutello binis, in duabus ultimis speciebus quatuor, omnibus haud validis. Caput oblique rotundatum. Frons in utroque sexu latissima, plana, nuda, antice leniter prominens. Antennæ oblique deflexæ, ovales, epistomate fere triplo breviores, articulo ultimo ovato compresso, basi seta pubescente. Epistoma valde declivum, latum, subdescendens, omnino nudum,(in *S. signata* n:o 20 & *S. latipalpi* n:o 21 seta utrinque mystacina spuria), in medio carinatum, carina inferne bifida. Os vertici oppositum, apertura parva. Palpi subcylindrici, parum clavati (in ultima specie dilatati), & proboscis carnosa, sæpe retracta. Genæ elongatæ. Oculi parvi rotundi sæpissime nudi; in mortua obscure ferruginei, in viva rufo-ferruginei, æneo-submicantes, unicolores. Thorax sutura media ad latera perspicua. Abdomen 6-annulatum. Alæ incumbentes, abdomine paullo longiores, non vibrantes, immaculatæ. Nervus auxiliaris non usque ad medium costæ productus, cum secundario confluens. Nervi præterea ut in *Loxocera* directi, costa nuda; spinula nulla. Squamæ rudimentariæ. Pedes mediocres, interdum incrassati; nudi, mutici, calcaribus binis in apice tibiarum intermediarum. *Color* testaceus, niger, interdum metallice nitens. *Motu* sat agilis die præsertim sereno; volatu celeri brevi perterrita aufugit; reptatu tardiori etiam aufugit. *Habitatio* in graminosis, floribus, foliis fruticum & succo arborum. *Metamor-*

phosis non rite cognita; larvæ in quisquiliis vegetabilium, radicibus plantarum & in putridis verisimiliter degunt. (Cfr. *Scatophaga Rosæ* n:o 12). *Discrimen sexus; mas:* apice abdominis angustioris sublinearis obtuso; *femina:* apice abdominis acuto, oviductu articulato. *Typus* generis *Loxoceræ* affinis: *Scatophaga fimetaria.*

A. Corpus pallescens.

* pedibus in utroque sexu simplicibus. Abdomen in ♀ oblongum aut lanceolatum, apice conico-acutum.

1 *fimetaria* Linn. (*Musca flava* Panz.) ♂♀. 2 *rufa* Meig. ♂♀. 3 *pallida* Fall. ♂♀. 4 *bicolor* Meig. (*Scat. pallida* var. *β*. Fall.) ♂♀. 5 *Ephippium* Zett. nov. sp. ♂♀. 6 *unilineata* Zett. n. sp. ♂♀.

** pedibus posticis in ♂ femoribus incrassatis, incurvis. Oculi in utroque sexu rotundi. Antennarum seta nudiuscula seu tenuissime pubescens. Abdomen in ♀ oblongo-ovatum seu lanceolatum, apice acumine longe producto, compresso. Forte proprii generis.

7 *Audouini* Zett. Monogr. Scatoph. & Ins. Lapp. (var. a. b. c.) ♂♀. 8 *Lefebvrei* Zett. l. c. ♂♀.

B. Corpus nigricans vel obscure ænescens. Pedes in utroque sexu simplices. Oculi parvi rotundi. Seta antennarum nudiuscula seu tantum brevissime puberula.

a) palpis subcylindricis.

†. pleuris ferrugineo-flavis.

9 *pectoralis* Meig. (*Scatoph. Rosæ* var. *γ*. Fall.) ♂♀.

††. pleuris nigris vel obscure ænescentibus.

10 *humeralis* Zett. nov. sp. (*Scat. Rosæ* var. *β.* Fall.) ♂♀. 11 *limbatella* Zett. n. sp. ♂?. 12 *Rosæ* Fabr. ♂♀. 13 *nigricornis* Meig. (*Scat. Rosæ* var. Fall. in descriptione) ♂♀. 14 *buccata* Fall. ♀. 15 *fuscinervis* Zett. l. c. ♂. 16 *gracilis* Meig. ♀. 17 *atra* Meig. (*Scat. nigra* Fall. e parte) ♂♀. 18 *nigra* Fall. (var. a. b.) ♂♀. 19 *morio* Zett. l. c. ♂♀. 20 *signata* Fall. ♂.

b) palpis dilatatis.

21 *latipalpis* Zett. Monogr. ♀. (an femina præcedentis?).

Scatophaga.

A. Corpus pallescens.

* pedibus in utroque sexu simplicibus. Abdomen in ♀ oblongum aut lanceolatum, apice conico-acutum.

1. *S. fimetaria:* ferruginea, epistomate pedibusque flavis; alis flavidis; seta antennarum pubescente, nigra; oculis subovatis. ♂♀. (Major: long. 3 lin. & ultra).

Fabr. Antl. 204. 5. Fall. Opomyz. 8. 1. ♂♀. Zett. Monogr. Scatoph. in Act. Societ. Ent. Gall. 1835. Tom. 4. p. 177. 1. ♂♀. Ins. Lapp. 759. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1862. Syst. Nat. 2. 996. 106. Fabr. Ent. Syst. 4. 346. 140. Schrank Ins. Austr. 468. 951. *Psila* (*) Meig.

---

*) rationes, quare hoc nomen novum Meigenianum rejiciendum & veterum Fabricianum restituendum putaverim, in Disposi-

Dipt. 5. 356. 1. *Psilomyia* Macq. Buff. 2. 421. 1. ♂♀. T. 18. f. 21. *Musca flava* Panz. Fn. Germ. 20. f. 22. (exclus. syn.).

Hab. in graminosis libenter locis umbrosis & occultis, sæpe etiam in floribus & foliis plantarum insidens, per totam Scandinaviam sub tota æstate vulgaris, in copula multoties observata; scilicet in Scania ubique copiose; in Blekingia & Smolandia etiam passim abundans; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, Lärketorp &c. frequens; in Ölandia ex. gr. ad Borgholm; in Gottlandia ad Thorsborg, Westerby, Wamlingbo &c., passim; in Westrogothia ad Höberg, Sparresäter & Gothoburgum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia boreali ad Skalstugan prope jugum alpinum semel; in Lapponia rarissime; in Norwegia ad Thynæs & Næs Værdaliæ atque aliis locis non parce; in Dania frequens, D. *Stæger.* (E Zirkow Rügiæ & Trawemünde a D. *Dahlbom* communicata).

♂♀. Inter nostrates maxima. Angustata. Ferruginea, nitida, subtiliter punctulata. Frons lævis glabra fulvo-ferruginea, puncto ocellorum obscuro. Antennæ ferrugineæ, seta distincte pubescente, fusca, basi nigra. Palpi & proboscis testacea pilosula. Oculi perpendiculariter rotundato-ovati. Abdomen subdepressum, pallide sericeo-subpubescens. Alæ præsertim ad nervos flavedine subtinctæ. Nervi longitudinales: 2:dus apice ad costam inflexus, 4:tus pone transversum ordinarium curvatus. Halteres flavo-albidi. Pedes pallide flavi, tarsis sæpius plus

---

tione Generum hujus operis p. 69 dedi. Si vero nomen antiquius *Scatophaga* necessarie mutaretur, Macquartiarum *Psilomyia* melius esset ut vacuum.

minus infuscatis. Variat thoracis dorso lineis 4 irregularibus rufo-brunneis obsoletis, & incisuris abdominis præsertim in ♀ obsolete fuscis.

2. *S. rufa:* ferruginea, epistomate pedibusque flavis; alis cinereo-flavidis; seta antennarum breviter puberula, fusca; oculis rotundis. ♂♀. (Media: long. 2—2½ lin.).

Zett. Monograph. Scat. 177. 2. ♂♀. Ins. Lapp. 759. 2. ♂. *Psila* Meig. Dipt. 5. 357. 3. ♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum per Scandinaviam Jul. Aug. minus frequens; in copula quoque capta; scilicet in Scania ad Lund, Fogelsång *(von Borck)*, Sjörup *(Möller)*, Esperöd &c., parce; in Smolandia semel, D. *Ljungh;* in Jemtlandia boreali ad Åreskutan 4 mares & 2 feminas initio Augusti 1810 inveni; in Norwegia ad diversoria Thynæs & Näs a D. *Dahlbom* & me, in Convalle Dovreensi ad rivulum etiam a D. *Boheman*, lecta.

♂♀. Inter *S. fimetariam* & *pallidam* media, ambabus similis; ab illa vero magnitudine minore, alis minus flavidis, nervis longitudinalibus 2:do & 4:to magis rectis, antennarum seta multo brevius pubescente, & oculis rotundis; & ab hac magnitudine paullo majore, colore corporis magis rufo-ferrugineo, ut & alis cinereo-hyalinis leniter flavedine tinctis, diversa. A *S. Lefebvrei*, cui etiam valde accedit, femoribus tibiisque posticis in ♂ rectis simplicibus, & abdominis apice in ♀ acuto conico, nec acumine compresso, discrepat. Antennæ breves, seta brevissime puberula, testacea, basi fusca. Oculi parvi, rotundi. Genæ valde elongatæ. Thorax dorso sæpe obsolete & irregulariter brunneo-lineatus. Alæ hyalinæ, ad nervos & costam lenissime flavedine tinctæ. Nervi longitudinales: 2:dus rectus, nec apice distincte flexus, 4:tus quoque rectiusculus. Pedes flavi, tarsis apice parum infuscatis. De cetero ut in priore.

3. *S. pallida:* tota pallide flava; alis pallide hyalinis; seta antennarum breviter puberula, pallescente; oculis rotundis. ♂♀. (Minor: long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Opomyz. 9. 2. ♂♀. Zett. Monogr. Scatoph. 178. 3. ♂♀. Ins. Lapp. 759. 3. ♂♀. *Psila* Meig. Dipt. 5. 357. 2. *Psilomyia* Macq. Buff. 2. 421. 2.

Hab. in Umbellatis & graminosis per hortos & prata Sveciæ & Lapponiæ Jul. Aug. passim; scilicet in Scania ad Hårslöf (*Dahlbom*), Widtsköfle (*von Borck*), Esperöd &c., haud infrequens; in Gottlandiæ hortis ad Martebo, Gothem & Ejsta, non parce; in Jemtlandia boreali ad Ristansfors, Åreskutan & Mullfjellen; in Lapponia Tornensi ad Kengis & Karesuando rarissime. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* olim missa).

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed magnitudine constanter saltem duplo minore, ut & colore totius corporis & partium multo pallidiore, certe distincta. Tota pallidissime flava, abdomine solo umbra fusca plerumque tincto. Seta antennarum flava, subnuda. Oculi in viva obscure ferruginei, unicolores. Alarum nervi ut in priori directi. — Variat rarius antennarum articulo ultimo fusco.

4. *S. bicolor:* ferruginea, epistomate pedibusque flavis; abdomine nigro; alis cinereo-flavidis; seta antennarum parum puberula, pallida; oculis rotundis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{3}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Zett. Monogr. Scatoph. 178. 4. ♂♀. Ins. Lapp. 759. 4. ♂♀. *Psila* Meig. Dipt. 5. 358. 4. T. 51. f. 13. ♀. *Psilomyia* Macq. Buff. 2. 421. 3. ♂♀. *Scatophaga pallida* var. *β*. Fall. Opomyz. pag. 9.

Hab. in foliis fruticum, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ mense Julio Aug. passim; sub nuptiis cele-

brandis sæpe capta; scilicet in Scania ad Lund, Röstånga, utrumque Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., haud rara; in Gottlandia ad Lummelund, Sanda, Öja, Garde, minime parce; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Åreskutan & Mullfjellet rarius; in Norwegia ad Dowre (in convallibus ad rivulos, D. *Boheman)*, Thynæs, Næs & Suul Værdaliæ, vulgaris; in Dania in silva Charlottenlund ad Hafniam semel a D. *Stæger* capta.

♂♀. Abdomine toto nigro nitido a præcedentibus statim dignoscitur. Tota nitida, brevissime pallide sericeo-puberula. Frons ferruginea, puncto ocellorum nigro. Antennæ breves, flavo-testaceæ, plerumque immaculatæ, raro apice dilute fusco; seta parum pubescente, pallida. Genæ longæ. Oculi rotundi, in viva rufo-brunnei, unicolores. Alæ cinereo-flavicantes, nervis ut in *S. rufa* (2) directis. Squamæ & halteres albida. Pedes toti læte flavi, immaculati. Oviductus ♀ elongatus articulatus subulatus testaceus aut fuscus. — Variat præsertim ♀ rarius thorace antice macula minuta obscura.

5. *S. Ephippium:* ferruginea, pedibus flavis; antennarum apice, thoracis vitta dorsali postice abbreviata abdomineque toto nigris; alis cinereo-flavidis; seta antennarum parum puberula, pallida; oculis rotundis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Hab. in graminosis & fruticibus, per Scandinaviam imprimis borealem, passim; in copula etiam aliquoties deprehensa; scilicet in Scania ad Esperöd semel inventa; sed in Jemtlandia septentrionali vulgaris: occurrit nempe copiose in alpibus Mullfjellen & Åreskutan fere usque in summa cacumina (3000—3500 ped. supra mare) ad-

scendens, atque etiam ad Stalltjernstugan & Skalstugan procedens.

♂♀. Simillima priori, sed pictura differt. Antennæ testaceæ, numquam flavæ, articulo ultimo apice nigricante. Thorax rufo-ferrugineus, vitta media a capite & ad medium l. sæpe ultra medium dorsi continuata nigra, plerumque modice lata, interdum dilatata, raro fere totum discum anticum occupante. Scutellum rufum, summo apice sæpius puncto fusco notato. Metathorax piceus. Abdomen atrum. Alæ cinereo-hyalinæ, basi flavicantes. Costa breviter ciliata. Nervi longitudinales: 2:dus summo apice non exactissime rectus sed lenissime versus costam flexus; 3:tius 4:tusque ad apicem leniter subdivergentes. Pedes læte flavi, immaculati, tarsis raro langvide fuscanis. Reliqua ut in *S. bicolore.*

6. *S. unilineata:* flava, pedibus pallidissimis; thoracis linea dorsali angusta abdomineque nigris; alis pallide hyalinis; seta antennarum distincte pubescente, pallida; oculis rotundis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Norwegia litorali ad Levanger, Thynæs & Oestre Næs Værdaliæ medio æstatis haud parce, initio mensis Julii 1840, 10 mares & 12 feminas invenimus amicus *Dahlbom* & ipse; in regionibus interioribus ut ad Mullfjellet Jemtlandiæ rarissime quoque visa.

♂♀. A priori, cui alias simillima, magnitudine constanter duplo saltem minore, thoracis linea media nigra angustiore, corpore flavo, nec ferrugineo, pedibus totis pallidissimis, antennis flavis, immaculatis, ut & seta perspicuius pubescente, breviter subplumata, vere distincta; nec cohabitant. Punctum verticis nigrum. Thoracis linea dorsalis nigra a capite ad medium & ultra extensa, angustata, determinata. In thoracis postico ad latera juxta lineam mediam, sed mox infra ejus apicem, lineola utrinque parva abbreviata nigra sæpe etiam observatur.

Scutellum flavum immaculatum. Metathorax nigricans. Cetera ut in præcedente.

** pedibus posticis in ♂ femoribus incrassatis, incurvis. Oculi in utroque sexu rotundi. Antennarum seta nudiuscula seu tenuissime pubescens. Abdomen in ♀ oblongo-ovatum seu lanceolatum, apice acumine longe producto compresso. Forte proprii generis.

7. *S. Audouini:* ferruginea, nitida, thoracis vittis subabbreviatis abdominisque maculis basalibus cruciformibus atris; pedibus pallide flavis, tarsis omnibus apice obscuris, femoribus posterioribus apice puncto nigro notatis, posticis in ♂ incrassatis perspicue arcuatis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Var. a. ♂♀ vittis thoracis dorsalibus tribus nigris, omnibus interruptis, lateralibus abbreviatis, media in puncto antico & lineola media obsoleta tantum perspicua; frequens.

Zett. Monogr. Scatoph. 179. 5. var. a. ♂♀. Tab. 4. B. f. 1. ♂. f. 5. ♀. Ins. Lapp. 759. 5. ♂♀.

Var. b. ♂♀ vittis thoracis dorsalibus tribus nigris, media integra seu a capite & ad apicem scutelli continuata, lateralibus utrinque abbreviatis; frequens.

Zett. Monograph. Scatoph. 179. 5. var. b. ♂♀.

Var. c. ♂♀ vittis thoracis dorsalibus tribus nigris, lateralibus brevioribus, omnibus plus minus confluentibus; rarior.

Hab. in graminosis & fruticibus præsertim Betulæ albæ & nanæ, per Scandinaviam borealem & Lapponiam Jul. Aug. passim; varietates omnes in copula promiscue

deprehensæ; scilicet in Lapponia Umensi ex. gr. ad Wilhelmina, Åsele, Gaskelougt & Stöttingsfjellet, frequens; in Lapp. Lulensi ad alpem Njunnats, D. *Andersson;* in Lapponia Tornensi rarissime; e Lapponiis in Jemtlandiam adjacentem descendit & ad Skalstugan, alpes Mullfjellen & Âreskutan (in cujus regione nivali circiter 3000 ped. supra mare sæpe lecta) atque Ristansfors, copiose; in Norwegia ab alpe Dowre, diversoriis Thynæs, Næs & Suul Værdaliæ usque ad Dyroen Nordlandiæ haud raro observata. (E Kajana Finlandiæ a D. *Nylander* missa).

♂♀. Per structuram pedum singularem in ♂ & abdominis apicem compressum in ♀, ut & picturam thoracis abdominisque in utroque sexu, species valde eximia & pulchra. Tota ferruginea subnitida, brevissime sericeo-subpubescens. Frons modice lata glabra, puncto verticis nigro. Antennarum seta brevissime puberula, fusca. Oculi non magni, in viva nigro-purpurei, æneo-submicantes, unicolores. Thoracis vittæ dorsales tres nigræ plerumque abruptæ & interruptæ, sed variant quoque ut in diagnosibus indicatæ. Metathorax obscurus. Abdomen in ♂ angustissimum, subfiliforme, apice rotundato-obtusum; in ♀ oblongo-ovatum, apice compresso longe acuminatum; in utroque sexu ferrugineum, basi linea media & incisuris segmentorum 1, 2, interdum etiam 3, nigris; apice abdominis in ♀ quoque fusco-cingulato. Alæ cinereo-flavidæ, nervis ut in proxime præcedentibus directis. Halteres albidi. Pedes læte flavi. Femora intermedia superne ad apicem puncto fusco; postica superne ad apicem macula in ♀ parva, in ♂ majori, nigro-brunnea. Tarsi omnes fusci l. nigricantes, metatarso testaceo. Pedes postici in masculis: coxis elongatis, femoribus incrassatis tibiisque distincte arcuatis; in ♀ simplicibus & lenissime tantum subflexis.

8. *S. Lefebvrei:* ferruginea, immaculata, nitida;

pedibus pallide flavis; femoribus posticis in ♂ subincrassatis, leniter curvatis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Zett. Monogr. Scatoph. 180. 6. ♂♀. Ins. Lapp. 760. 6. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum Betulæ, Salicis &c., per Scandinaviam præsertim borealem Jul. Aug. passim, in copula pluries observata; scilicet in Lapponiis: Umensi ad Tresunda, Umenäs, Wilhelmina & Åsele, non raro; Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg;* Tornensi parce; e Lapponiis in provincias adjacentes descendit, & in Ångermannia ex. gr. ad Hernösand, in Jemtlandia ad Skalstugan, Stalltjernstugan, Mullfjellen & Åreskutan (in cujus fere cacumen adscendit) divulgata; in Scandinavia media parcius, & in meridionali rarissime occurrit, ex. gr. ad Holmiam Uplandiæ, Gothoburgum Westrogothiæ & Gusum Ostrogothiæ a D. *Wahlberg* observata; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* ad Silfåkra Scaniæ 28 Aug. 1838 a D. *Dahlbom*, & alia vice (6 Aug. 1846) a D. *Wahlberg*, semel inventa; & in Dania ad Dyrhaven prope Hafniam etiam semel a D. *Stæger* capta mecumque communicata; in Norwegia ad Thynæs rarissime visa.

♂♀. Magnitudine & habitu *S. Audouini* simillima, sed thorace, abdomine femoribusque immaculatis, abdomineque in ♂ magis subdepresso, vere diversa, nec nisi similem cum simili in copula junctam observavi. A *S. fimetaria* (1) perspicue recedit: magnitudine multo minore, oculis rotundis, seta antennarum subnuda, nec distincte pubescente; a *S. rufa* (2), cui adhuc propius accedit, magnitudine dimidio minore, colore magis ferrugineo, seta antennarum nudiore, &c., & ab utraque structura abdominis pedumque præsertim in ♂, atque ano compresso (nec conico) in ♀, satis distincta. Metathorax vix fu-

scus. Pedes læte flavi, tarsis apice nigricantibus. Reliqua ut in præcedente.

B. Corpus nigricans l. obscure æenescens. Pedes in utroque sexu simplices. Oculi parvi rotundi. Seta antennarum nudiuscula seu brevissime puberula.

a) palpis subcylindricis.

†. pleuris ferrugineo-flavis.

9. *S. pectoralis:* nigra, nitida, antennarum apice verticeque concoloribus; capite, pleuris pedibusque pallide flavis; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. ♂ 1, ♀ $1\frac{1}{8}$ lin.).

Zett. Monogr. Scatophag. 181. 7. ♂♀. *Psila* Meig. Dipt. 5. 358. 5. *Scatophag. Rosæ* var. γ. Fall. Opomyzid. 9. 3. certe.

Hab. in foliis fruticum Salicis, Betulæ, etiam in floribus, per Scandinaviam, Jun. Jul. Aug. sat vulgaris, in copula multoties capta & similis semper cum simili; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp, Lomma &c., passim; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum *(Wahlberg)*, Lärketorp, Wadstena &c., frequens; in Gottlandia rarius; in Helsingia parce; in Jemtlandia ad Forsa prope Mullfjellet raro; in Norwegia ad Thynæs haud infrequens; in Dania copiose, D. *Stæger.* (Ad Zirkow Rügiæ & Sedinum, initio mensis Junii non parce a D. *Dahlbom* lecta. Ex Helvetia quoque missa).

♂♀. Rubedo pectoris speciem mox designat. Parva, angusta. Caput flavum, vertice anguste obscuro. Antennæ flavæ, articuli ultimi dimidietate apicali nigricante, seta albida. Thorax ferrugineo-flavus, dorso niger. Abdomen nigrum, metallice sub-

micans. Alæ pallescentes. Halteres albidi. Pedes cum coxis toti pallide flavi, tarsis immaculatis.

††. pleuris nigris l. obscure ænescentibus.

10. S. *humeralis:* nigra, nitida, antennarum apice verticeque concoloribus; capite pedibusque pallide flavis; macula humerali ferruginea; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. ♂ 1⅛, ♀ 1¼ lin.).

Scataphag. Rosæ var. *β.* Fall. Opomyz. 9. 3.

Hab. in Scandinavia præsertim boreali Jul. Aug. passim; scilicet in Jemtlandia ad diversorium Ås prope Östersund parce; e Lapponia Lulensi a D. *Andersson* in uno exemplo missa; in Norwegia ad Thynæs in floribus litoralibus initio Julii 1810 sat frequens. (E Finlandia a Profess. *Sahlberg* communicata).

♂♀. Simillima *S. pectorali*, a qua non differt nisi thorace toto nigro, pleuris concoloribus, callo humerali tantum ferrugineo. Venter basi plerumque macula rufa.

11. S. *limbatella:* nigra, nitida, subpubescens; capite, antennis, thoracis limbo laterali maculâque humerali ferrugineis; pedibus flavis; alis pallescentibus. ♂? (Long 1¾ lin.).

Hab. in Svecia inferiore rarissime; in unico tantum exemplo capta.

♂? A priore differt: magnitudine saltem duplo majore, capite cum antennis totis ferrugineis, & thoracis lateribus usque ad scutellum rufis. Sc. *Ephippium* (5) proxime accedit, sed thoracis dorso toto, scutello pectoreque nigris discedit. Caput totum rufo-ferrugineum, puncto ocellorum nigro. Antennarum articulus ultimus superne dilute brunneus, seta alba, subnuda. Thorax niger, macula humerali magna & vitta utrinque late-

rali inæquali indeterminata usque ad scutellum producta rufo-ferrugineis. Scutellum piceum. Abdomen nigrum, basi & versus apicem indeterminate piceum. Alæ præsertim nervis flavescentes. Halteres pallidi. Pedes toti pallide flavi, immaculati.

12. *S. Rosæ:* subænescenti nigra, nitida, subpubescens; capite pedibusque flavis; antennarum articulo ultimo apice nigro; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. 1 fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Opomyz. 9. 3. ♂♀. (exclusis varietatibus *γ.* & *β.* quæ ad *S. pectoralem* n:o 9, & *humeralem* n:o 10 nobis pertinent). — Zett. Monogr. Scatoph. 181. 8. ♂♀. Ins. Lapp. 760. 7. ♂♀. — Dahlb. Scandin. Insect. 322. 220. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 356. 181. *Tephritis* Fabr. Antl. 319. 12. *Psila* Meig. Dipt. 5. 358. 6. T. 51. f. 12. ♂. *Psilomyia* Macq. Buff. 2. 421. 4. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, graminosis, floribus, etiam in succo exstillante arborum, per hortos, prata & pascua tota æstate in Svecia & Dania ubique vulgaris, in Lapponiam quoque adscendens; in copula sæpe observata; scilicet in Scania, Smolandia & Ostrogothia passim; in Gottlandia ad Öja, Rhone &c., sat copiose; in Uplandia ad Holmiam & Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Forsa prope Mullfjellet parce; in Ångermannia ad diversorium Täfra rarius; in Bottnia boreali ad Öfver-Luleå, D. *Wahlberg;* in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Badstuguträsk, & Tornensi ad Karesuando, raro; in Norwegia ad Dovre, D. *Boheman* (a me in Norwegia frustra quæsita); in Dania freq., D. *Stæger.* — Larvæ cylindricæ, antice acutæ; nitidæ, glabræ, pallide flavæ, nudæ, in radice Dauci Carotæ tota æstate degunt, teste D. *Bouchè.* Pupæ brunneæ in terra radici adjacen-

te 3—4 hebdom. manent, testante Eodem. Secundum *Dahlbom* l. c., ubi metamorphosis speciei adcurate describitur, larva quoque in radicibus Brassicæ Rapæ & Napus vivunt.

♂♀. Similis *S. pectorali* (9), a qua vix nisi thorace toto ænescenti nigro immaculato dignoscitur. Angusta, tenera, nigra, nitida, obscure æneo-micans, pube grisea tenuissima adspersa. Caput flavum, fronte ferruginea, puncto ocellorum nigro. Occiput quoque obscurum. Antennæ rufo-flavæ, articulo ultimo tantum ad apicem superne nigricante, seta nudiuscula, alba. Palpi flavi, apice nigri. Alæ hyalinæ, leniter pallescentes. Nervus 4:tus longitudinalis pone transversum ordinarium paullulum curvatus & ad apicem a 3:tio longitudinali nonnihil divergens. Halteres albi. Pedes toti cum coxis pallide flavi, immaculati. Oculi in viva brunnei unicolores.

13. *S. nigricornis:* subænescenti nigra, nitida, subpubescens; capite pedibusque flavis; antennarum articulo ultimo toto nigro; alis pallescentibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Monogr. Scatoph. 182. 9. ♂♀. Ins. Lapp. 760. 8. ♂♀. *Psila* Meig. Dipt. 5. 359. 7. *Scatophaga Rosæ* var.: "antennis apice sæpius nigris" Fall. Opomyz. 9. 3. Descript.

Hab. iisdem locis & temporibus ac prior, sed adhuc latius divulgata; in copula pluries capta; scilicet in Scania, Smolandia & Ostrogothia vulgatissima; in Gottlandia ad Stenkyrka &c.; in Wermelandia ad Årås; in Jemtlandia ad Frösön, Ristansfors, Åreskutan & Skalstugan copiose; in Lapponia Umensi ad Stensele, Almsele & Åsele non parce; in Norwegia ad Thynæs & Næs Værdaliæ rarius; in Dania frequens, D. *Stæger.* (Ad Gryphiam jam

mense Majo legit D. *Dahlbom.* E S:t Sever Galliæ etiam a *Leon Dufour* missa).

♂♀. Priori ut ovum ovo simillima, sed magnitudine plerumque paullo majore, & antennarum articulo ultimo toto constanter atro, nec solummodo apice nigricante, diversa. Neque species has umquam promiscue nuptias celebrare observavi, sed similem semper cum simili in copula junctam inveni. Caput sæpe flavo-ferrugineum. Tarsi apice interdum leniter fuscani. Cetera ut in præcedente.

14. *S. buccata:* ænescenti nigra, nitida, subpubescens; capite pedibusque flavo-ferrugineis; antennarum articulo ultimo nigro; femoribus in medio brunnescentibus; alis cinerascentibus; fronte longe prominula; epistomate buccato. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Opomyzides Suppl. anno 1826. pag. 9. 6. ♀. specimen originarium. — Zett. Monogr. Scatoph. 183. 10. ♀.

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in arvo ad villam Esperöd Scaniæ mense Julio 1826 exemplum unicum detexit beatus Profess. *Fallèn.*

♀. Similis & affinis *S. nigricorni*, sed duplo saltem major, & femoribus in medio brunneis, nec flavis immaculatis, alis vix flavedine tinctis, capite buccato, & fronte multo magis prominente, certe diversa. Obscure ænea, subnitida, tenuiter pubescens. Caput flavum. Frons plana, striatim rugosa, brunneo-ferruginea (in mortua), puncto ocellorum occipiteque nigricantibus. Antennæ prominentiæ frontali insertæ, deflexæ, luteæ, articulo ultimo nigro, seta brevissime puberulà, alba. Epistoma valde declivum, ore occipiti opposito. Palpi parvi & proboscis, fuscana. Genæ elongatæ, buccatæ. Oculi parvi, rotundi. Alæ pallide cinereæ, nervis ut in *Scat. fimetaria* (1) directis.

Halteres albi. Pedes flavi, femoribus fere totis dilute brunneis. Tarsi subinfuscati.

15. S. *fuscinervis:* angustata, æneascenti nigra, subpubescens; capite toto pedibusque nigris, epistomate piceo; antennis nigris, basi lutescentibus; pedum geniculis, tibiarum apice tarsisque testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervis leniter infuscatis. ♂. (Long. 2—$2\frac{1}{8}$ lin.).

Zett. Monogr. Scatoph. 183. 11. ♂. Ins. Lapp. 761. 10. ♂.

Hab. in floribus pratorum, per Scandinaviam meridionalem & mediam rarius, borealem passim, a medio Junii ad finem Julii vigens; nempe in Scania ad Lund rarissime; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, ad prædium Godegård, ipse; in Norwegia boreali passim ex. gr. in districtu Södra Trondhjems Amt a D. Prof. *Boheman*, 1832, & ad diversoria Thynæs & Næs Værdaliæ a D. *Dahlbom* & me, 1840, sat copiose lecta; e Dania in unico exemplo a D. *Stæger* missa. (E Gryphia in unico individuo etiam a D. *Dahlbom* communicata).

♂. Priori paullo minor, præsertim angustior. Nigro-ænea, subtilissime punctulata, brevissime griseo-pubescens, subnitida. Caput ut in *Scat. Rosæ* (12) constructum, nigrum, nitidum, glabrum. Frons striatula. Antennæ parvæ, nigræ, basi sæpe (non semper) obscure luteæ. Seta albida, subnuda. Epistoma nigrum aut nigro-piceum. Abdomen angustum subcylindricum puberulum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis omnibus umbra fusca seu subflavescenti anguste cinctis. Nervus longitudinalis 4:tus paullo curvatus. Halteres albi. Pedes nigri, trochanteribus, femoribus apice oblique, tibiis basi apiceque, flavis. Tarsi fusci, basi flavi. — Forte mas sequentis?

16. *S. gracilis:* angustata, ænescenti nigra, subpubescens; capite ferrugineo, fronte occipiteque nigris; antennis nigris, basi sublutescentibus; pedibus flavis, tarsis fuscis; alis cinereo-hyalinis, nervis non infuscatis. ♀. (Long. $2\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Monogr. Scatoph. 181. 12. ♀. Ins. Lapp. 760. 9. ♀. *Psila* Meig. Dipt. 5. 359. 9. *Psilomyia* Macq. Buff. 2. 422. 8.

Hab. in Scandinavia boreali & præcipue in Norwegia Jun. Jul. cum priori passim; scilicet in Ostrogothia ad Gusum, teste D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Mullfjellet semel; in Lapponia Umensi ad Stensele rarissime, D. *Dahlbom;* in alpe Dovre, D. *Boheman*, & ad diversoria Thynæs & Oestre Næs Værdaliæ in floribus pratensibus 1840 copiose a me capta; in Jylland Daniæ a D. *Jacobsen* lecta, ut mihi scripsit D. *Stæger.*

♀. Verosimiliter femina prioris, cum qua habitat & cui magnitudine, statura corporis angusta tenera, thoracis abdominisque colore & pubescentia, antennis & directione nervorum in alis simillima; sed colore capitis pedumque ut & alis immaculatis nimis discedit, neque inter millia individua ulla in copula juncta deprehendere mihi contigit, quare ambas ut distinctas ad ulterius considerare & describere volui. Caput ut in præcedente constructum. Frons nigra, orbitis oculorum sæpe sordide ferrugineis. Vertex & macula magna occipitis nigra. Antennæ nigræ, basi sæpe fuscæ, seta subnuda, albida. Epistoma sordide brunneo-flavum, area media dilutiori. Proboscis & palpi nigra. Genæ elongatæ, flavæ. Oculi rotundi, in viva brunnei l. obscure ferruginei, unicolores. Abdomen longum, lineare, versus apicem sensim attenuatum, vagina articulata, sæpius erumpente. Alæ abdomine fere breviores, cinereo-hyalinæ, nervis sordide flavidis, sed fuscedine nulla cinctis; ima basi pallidæ. Halteres albi. Pedes luteo-flavi, coxis ferrugineo-brun-

neis. Tarsi fusci, metatarsis posterioribus flavis. Femora superne sæpe striga l. vitta longitudinali brunnea, raro fere tota dilute brunnescentia.

17. *S. atra:* nigra, nitidissima, parum puberula, capite concolore; genubus, tibiarum tarsorumque basi flavis; alis hyalinis immaculatis. ♂♀. (Long. 1¼ fere 1½ lin.).

Psila atra Meig. 359. 10? ♂. *Psilomyia* Macq. Buff. 2. 422. 6? ♂♀. *Scatophaga nigra* Fall. Opomyz. 9. 4. e parte.

Hab. in floribus pratensibus & hortensibus, per Scandinaviam Jun. Jul. Aug. vulgaris, in copula multoties observata; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp *(Dahlbom)*, &c., passim; in Smolandia, *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Nähr, Öja, Ejsta &c., non parce; in Jemtlandia ad Grimnäs, Farnbyn, Östersund, Frösön, usque ad radices alpium Åreskutan & Mullfjellen, sat frequens; in Norwegia ad Thynæs & Næs Værdaliæ Julio copiose. (Ad Neuenkirchen Germaniæ jam 15—20 Maj. a D. *Dahlbom* in utroque sexu lecta).

♂♀. Parva, nigra, nitidissima. Caput totum atrum. Vertex distincte setulosus. Antennæ nigræ, basi raro obscure lutescentes, seta nudiuscula fusca, alio situ albida. Oculi mediocres, rotundati. Thorax dorso subtiliter puberulus, at lateribus sat distincte setulosus. Abdomen glabriculum. Alæ hyalinæ, basi albidæ, nervis ipsis versus apicem subobscuris, sed nulla fuscedine obumbratis. Nervus 4:tus longitudinalis lenissime tantum curvatus. Halteres albi. Trochanteres & femora nigra, geniculis summis flavis. Tibiæ flavæ, apice late infuscatæ. Tarsi rufo-flavi, apice fusci. — Caveas ne hanc cum sequente confundas.

Alarum nervi, "paullo validiores (etwas stärker)" in *S. atra* quam in *S. gracili* a *Meigen* Dlescribuntur. Hoc vero non

quadrat cum nostris, apud quas nervi fere similes sunt. Hinc synonymon Meigenianum & Macquartianum dubium.

18. *S. nigra:* nigra, nitida, parum puberula, capite concolore; geniculis summis, tibiis tarsisque totis pallide flavis; alis hyalinis immaculatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Var. a. ♂♀. capite toto nigro.

Fall. Opomyz. 9. 4. ♂♀. Zett. Monogr. Scatoph. var. a. 185. 13. ♂♀. Ins. Lapp. 761. 11. ♂♀. *Psila* Meig Dipt. 5. 359. 8. Macq. Buff. 2. 422. 7.

Var. b. ♂♀. capite nigro, antennis basi fronteque antice obscure luteis. Juvenilis.

Zett. l. l. c. c. var. b.

Hab. in foliis fruticum præsertim Betulæ albæ, floribus & graminosis, per Scandinaviam totam vulgatissima & priore adhuc latius divulgata tota æstate obvia & in copula pluries capta; in Scania ubique & passim abundans; in Smolandia, *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, &c., frequens; in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Öja, Ahlskog &c.; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Östersund, Forsa, non parce; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Badstuguträsk & Wilhelmina copiose, Tornensi rarius, D. *Deutsch;* in Norwegia a Levanger, Thynæs, Garnæs & Suul Værdaliæ usque ad Björkvik & Lyngen Nordlandiæ minime rara; in Dania frequens, D. *Stæger.* (E Finlandia a Profess. *Sahlberg* missa).

♂♀. A priori, cui simillima, differt: magnitudine paullo minore, & tibiis tarsisque totis pallide flavis. — Variat rarius tibiis posticis in medio leniter fuscanis.

19. *S. morio:* nigra, nitidissima, parum puberula, capite pedibusque concoloribus; tarsis nigro-fuscis; alis hyalinis immaculatis. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Zett. Monogr. Scatophag. 185. 14. ♀. Ins. Lapp. 761. 12. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali & Lapponia Jul. Aug. passim; in copula quoque capta; scilicet in Jemtlandia boreali ad alpem Åreskutan, in cujus fere summum cacumen (3500 ped. supra mare) adscendit parce; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock in utroque sexu a D. D. *Wahlberg* & *Andersson*, sat frequenter observata; in summo alpium Tornensium jugo in ipsa nive ambulans rarius a me 1821 inventa; in Norwegiæ alpe Dovre a D. *Boheman* lecta.

♂♀. Colore totius corporis omniumque partium nigro l. subænescenti nigro, exceptis tarsis plus minus nigro-fuscis, alis pure hyalinis nulla flavedine l. albedine tinctis, & halteribus albis, ab omnibus conspeciebus facillime dignota & vere distincta. Minuta. *S. atræ* (17) proxima. Antennarum seta capillaris nuda fusca, alio situ albida. Oculi rotundi. Tarsi tantum basi fuscescunt. Genicula summa sæpe obscure ferruginea. Alarum nervi tenues obscuri. Vertex setulosus.

20. *S. signata:* nigricans, subnitida, parum puberula, capite cum antennis pedibusque totis læte flavis; alarum nervis pallidis, longitudinalibus 2, 3 & 4 apice umbra cinctis; seta utrinque mystacina spuria. ♂. (Long. circiter ¾ lin.).

Fall. Opomyz. 9. 5. ♂ (non ♀; nam specimen femineum, quod in collectione Falleniana sub hoc nomine asservatur, non hujus est, sed ad *Pallopteram ustulatam* pag. 2773 n:o 3 hujus operis pertinet). — Zett. Mono-

graph. Scatoph. 186. 15. ♂. *Psila* Meig. Dipt. 5. 360. 13 (secundum descriptionem Falleni transscripta).

Hab. in Svecia meridionali & media rarissime; duo tantum individua utraque mascula lustravi, unum in Ostrogothia, & alterum in Scania a me ante plures annos inventa.

♂. Per magnitudinem in hoc genere minimam, caput cum antennis & pedes totos pallide flava, setam mystacinam utrinque præsentem licet valde exiguam, nervos transversos non latissime distantes, sed nonnihil approximatos, ut & tres longitudinales ad apicem fuscedine cinctos, ab omnibus antecedentibus abunde dignota. Forte novum genus *Geomyzidibus* non male subjiciendum. Interea, & de loco vero pro forma ancipiti dubius, aptissimum *Scatophagæ*, cum qua nervo auxiliari brevi subsimplici, structura capitis totoque habitu convenit, hanc speciem inserendi putavi. Caput pallide flavum, puncto ocellorum & occipite nigricantibus. Setulæ verticis pallidæ. Frons parum prominula. Antennæ breves, rotundatæ, pallide flavæ, seta concolore, vix nisi nuda. Epistoma infra oculos paullo descendens, declive, seta utrinque mystacina valde exigua, pallida. Proboscis & palpi retracta. Oculi mediocres, rotundati. Thorax, scutellum & abdomen angustum subdepressum, nigricantia subnitida parum puberula, hoc aut immaculatum aut vitta media dorsali abbreviata testacea. Scutellum ni fallor 4-setosum. Anus obtusus. Cauda brevissima subinflexa, in altero exemplo pallida. Venter basi pallidus. Alæ abdomine parum longiores, latiusculæ, apice rotundatæ. Nervi: auxiliaris non ad medium costæ extensus, subsimplex (secundario nempe vix ullo l. spurio); longitudinales omnes recti, horum 3 & 4 versus apicem paullo divergentes; transversi perpendiculares, horum ordinarius nonnihil ante medium areæ insertus, medius apici l. mox pone apicem auxiliaris oppositus. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes simplices breviusculi, toti cum coxis pallide flavi, mutici, tenuiter pallide puberuli. — An mas sequentis?

b) palpis dilatatis.

21. *S. latipalpis:* nigra, subnitida, parum puberula, capite cum antennis pedibusque flavis, femoribus anticis in medio late, posticis ad apicem, tarsisque anticis totis, nigricantibus; alarum nervis pallidis, longitudinalibus 2, 3 & 4 apice umbra cinctis; seta utrinque mystacina spuria; palpis dilatatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{8}$ lin.).

Zett. Monogr. Scatophag. 187. 16. ♀.

Hab. in Svecia media rarissime; in Westrogothia juxta urbem Gothoburgum individuum unicum ante multos annos inventum a Cel. D. Prof. *C. Sundewall.*

♀. Similis *S. signatæ* (20), sed paullo major, robustior, & pictura pedum, abdomine immaculato palporumque forma, diversa videtur; an ejus femina? Caput totum flavum, puncto ocellorum & occipite nigricantibus. Vertex setulosus. Antennæ breves, rotundatæ, flavæ, seta breviuscula, pallida. Epistoma paullo descendens, declive, seta utrinque mystacina exigua. In regione hujus setæ juxta os pili aliqvot brevissimi & minutissimi adparent. Palpi subexserti, compressi, lateri inferiori rotundato-dilatati, toti pallide l. albide flavi. Thorax subgibbus, niger, lateribus & postice parce setulosus. Scutellum concolor, setis 4, quarum 2 in apice distinctis. Abdomen thoracis longitudine, ovatum, subdepressum, apice acutum, totum nigrum, nitidum, nudum, ventre basi sordide pallescente. Alæ cum nervis exacte ut in *S. signata*, sed apex nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 leniter tantum & obsolete fuscedine cinctus. Squamæ minutæ & halteres albida. Pedes mediocres cum coxis pallide flavi, antici parcissime pilosuli. Femora antica fere tota obscure brunnea. Tarsi antici toti obscuri. Femora postica ad apicem annulo latiusculo brunneo.

167. TETANURA Fall.

Corpus parvum, angustatum, nitidum, glabriculum, setis in vertice thoracisque lateribus & postico paucissimis, & in scutello binis. Caput rotundatum. Frons in utroque sexu lata, subplana, nuda, non prominula. Antennæ subdeflexæ, epistomate multo breviores, articulo ultimo ovali, compresso, medio dorsi seta subpubescenti inserta. Epistoma subperpendiculare, modice latum, carinatum, parum descendens, nudum. Apertura oris parva. Palpi parvi, retracti. Proboscis parum exserta. Genæ longiusculæ. Oculi majusculi, rotundi, nudi. Abdomen elongatum, angustum, cylindricum, 6-annulatum. Alæ incumbentes, abdomine fere longiores, subangustatæ, apice rotundatæ. Nervi: auxiliaris non ad medium costæ extensus, a secundario tenuissimo parum remotus; longitudinales 3 & 4 versus apicem paralleli, 5 & 6 ad marginem interiorem usque producti; transversi perpendiculares, approximati, horum ordinarius longe ante medium areæ insertus (hinc segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio saltem triplo brevius), medius pone apicem auxiliaris ductus. Costa nuda; spinula nulla. Alula parva. Squamæ rudimentariæ. Pedes mediocres l. subelongati, simplices, brevissime puberuli, inermes. *Color* niger. *Habitatio* in graminosis. *Differentia sexus; mas:* abdomine leniter clavato, ano rotundato; *femina* abdomine lineari, versus apicem attenuato, cauda subelongata, compressa. — Genus affine *Cordyluræ*, palpis aliis.

1. *T. pallidiventris:* supra obscure brunnea, capite pectoreque testaceis; antennis pallidis, seta alba; pedibus flavis, tarsis anticis obscuris; alis cinereo-hyalinis, costa dilute flavicante. ♂♀. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Opomyz. 10. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 372. 1. T. 52. f. 7. 8. ♂. Macq. Buff. 2. 379. 1. ♂. T. 18. f. 5. (caput).

Hab. in graminosis Sveciæ meridionalis & mediæ Jun. Jul. Aug. rarius; scilicet in Scania ad Esperöd, ubi a Profess. *Fallèn* detecta; in Uplandia ad Holmiam d. 12 Jun. 1812 a Prof. *Boheman* quoque lecta.

♂♀. 2 mares & 2 feminas jam ante oculos habeo. Angusta, tenera, nitens. Statura & fere magnitudo *Calobatæ Ephippii.* Frons dilute brunnea, antice & plerumque macula postica flavida. Antennæ flavæ, seta alba. Epistoma & genæ flava, orbitis oculorum tenuibus, albis. Proboscis subexserta, fusca, puberula. Thorax absque satura transversa perspicua; supra obscure brunneus, subtus ferrugineo-testaceus. Scutellum brunneum. Metathorax concolor. Abdomen thorace nonnihil longius, sed paullo angustius, puberulum (præsertim in ♂), nigrobrunneum, basi apiceque pallidum. Alæ abdomine (cauda excepta) paullo longiores, basi angustatæ, versus apicem modice rotundato-dilatatæ; totæ cinereo-hyalinæ, costa & apice indeterminate flavidæ; nervi transversi flavedine diluta quoque cinguntur. Halteres flavo-albidi. Pedes longiusculi cum coxis pallide flavi, tarsis anticis nigricantibus l. fuscis.

---

168. OPOMYZA Fall.

Corpus parvum, oblongum, opacum, glabriculum, setis in frontis postico thoraceque non paucis, scutellique margine 4, omnibus sat fortibus. Caput rotundatum. Frons in utroque sexu lata, non puberula, neque antice prominula. Antennæ deflexæ, breves, rotundatæ, articulo ultimo compresso, basi seta dorsali pubescente, in *O. distincta* & *pectorali* n:ris 5 & 6 breviter plumata. Epistoma subperpendiculare, breve, superne modice latum, inferne dilatatum, margine antico non reflexo;

infra oculos parum descendens, nudum. Apertura oris parva. Proboscis non magna, palpique lenissime subclavati retracta, puberula. Oculi majusculi, nudi, in frontis postico late remoti, in antico (ad antennas) paullo propiores. Thorax absque sutura transversa, Abdomen longitudine thoracis, oblongum, 6-annulatum. Alæ abdomine paullo longiores, subangustatæ, incumbentes. Nervi: auxiliaris vix 4:tam costæ partem attingens, simplex; longitudinales recti, horum 2:dus valde elongatus, 3 & 4 paralleli, 5:tus fere ad marginem interiorem continuatus, 6:tus abbreviatus; transversi perpendiculares, modice remoti, horum ordinarius mox ante medium areæ ultimæ insertus, ad marginem retractus, medius longe pone apicem auxiliaris situs. Costa nuda; spinula nulla. Alula vix ulla. Squamæ rudimentariæ. Pedes simplices, mediocriter longi, validiusculi, puberuli, inermes. *Color* testaceus, raro (in nostris) nigricans. *Motu* haud agilis; lente ambulat. *Habitatio* in graminosis, locis uliginosis umbrosis & occultis, ad radices arborum sæpe latens; foliorum succum etiam quærens; in floribus raro hospitatur. *Metamorphosis* ignota. *Differentia* sexus; *mas:* ano obtuso, rotundato, subinflexo; *femina:* ano acuto, oviductu paullulum exserto. A *Sciomyzis* brevitate & simplicitate nervi auxiliaris, & a *Geomyzis* defectu setæ mystacinæ, facile dignoscuntur *Opomyzæ*. Typus generis: *Opom. Germinationis.*

A. Pallescentes.

1 *Germinationis* Linn.? Fabr. (*Sciomyza notata* Leon Duf.) ♂♀. 2 *Florum* Fabr. (var. a. & b. — *Opomyza punctella* Fall. e parte) ♂♀. 3 *punctella* Fall. (var. a. & b.) ♂♀.

B. Nigricantes.

*. Antennarum seta brevissime puberula.

4 *guttipennis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀.

**. Antennarum seta plumata.

5 *distincta* Meig. ♂♀. 6 *pectoralis* Stæg. ♂♀.

Opomyza.

A. Pallescentes.

1. *O. Germinationis:* testacea, thoracis lineis duabus abdomineque obscuris; epistomate albicante; pedibus flavis; alis albidis, costa, apice nervisque transversis fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{8}$—$1\frac{1}{3}$ lin.).

Fall. Opomyzid. 11. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 102. 1. Macq. Buff. 2. 555. 1. Zett. Ins. Lapp. 761. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Fn. Sv. 1874? Syst. Nat. 2. 998. 122? Fabr. Ent. Syst. 4. 356. 183. *Dacus germinationis* Fabr. Antl. 278. 28.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, libenter locis uliginosis, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ præcipue meridionalis & mediæ vulgatissima, borealis rarius; sub tota æstate vigens; in copula sæpe capta; scilicet in Scania ubique; in Smolandia, *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena &c., frequens; in Ölandia ad Gärdslösa & aliis locis; in Gottlandia ad Lummelund, Nähr, Ejsta &c., non parce; in Westrogothia ad Gothoburgum, D. *Wahlberg;* sed longius versus septentrionem non nisi rarissime observata; in Dania frequens, D. *Stæger.* (Ad Gryphiam & in insula Helgolandia a D. *Dahlbom* lecta. Sub nomine: "*Sciomyza notata* Meig." in utroque sexu e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* missa).

♂♀. Testacea, opaca, parum pubescens, sed setis ordinariis distinctis munita. Frons flava. Antennæ testaceæ, seta breviter pubescente, obscura. Epistoma & genæ albescentia. Proboscis & palpi pallida. Oculi rufo-ferruginei, æneo-submicantes, unicolores. Thorax vitta dorsali media a capite ad scutelli apicem producta, gemina (e lineolis 2 approximatis conflata, in scutello in unam confluentibus), obscura, interstitio angusto, cinereo. Pleuræ vitta horizontali brunnea sæpe perspicua. Metathorax cinereus. Abdomen aut totum obscurum, ano tantum flavo, aut testaceum, linea media obscura. Alæ albicantes, costa ab apice nervi auxiliaris ad apicem alæ modice late nigricante. Apices nervorum longit. 2, 3 & 4 proprie fuscedine cinguntur, hæc autem fuscedo plerumque ita dilatata, ut totus apex alæ sat late fuscus evadat. Nervi transversi distincte, & longitudinalis 5:tus anguste, etiam infuscati. Halteres albidi. Pedes cum coxis flavi, immaculati, femoribus anticis extus pilosulis.

Obs. An hæc aut *Palloptera Umbellatarum* (pag. 2270 hujus operis) sit Linnæi *Musca Germinationis* genuina, pro certo dicere non possum, cum descriptio Linneana speciei & frequentia individuorum cum ambabus non male quadrat. *Musca Germinationis* Schrank Ins. Austr. 473. 961. ad nostram *Opomyz. Germinationis* sine dubio pertinet; sed *Musca* eadem Rossi Fn. Etr. 482 1536, ubi corpus "*nitens*" & "*pedes nigri*" dicuntur, ut synonymon huc referri non potest.

2. *O. Florum:* flava, pedibus pallidioribus; epistomate albicante; abdomine aut brunnescente aut immaculato; alis albidis, apice, nervis transversis duabus punctoque in nervo longitudinali 4:to, fuscis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{8}$ —$1\frac{1}{4}$ lin.).

Var. a. ♂♀. punctis fuscis in nervo longitudinali 3:tio nullis; abdomine fusco l. flavo.

Meig. Dipt. 6. 102. 2. T. 59. f. 22. ♀. Macq. Buff. 2. 555. 2. Zett. Ins. Lapp. 762. 3. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent.

Syst. 4. 352. 161. certe. — *Tephritis* Fabr. Antl. 317. 3. *Opomyza* (nec *Geomyza*, ut Meigen & Macqvart male citaverunt) *punctella* Fall. Opomyz. 11. 2 ♂♀ e parte.

Var. b. ♂♀. punctis fuscis in nervo longitudinali 3:tio 1, 2 vel 3 parvis; abdomine ut in a. varians.

Hab. utraque varietas promiscue in graminosis per Scandinaviam meridionalem & mediam vulgaris, septentrionalem rarissima, a medio Junii usque ad finem Septembris vigens; scilicet in Scania ad Lund, Tranås, Esperöd (*Fallèn*), Widtsköfle (*von Borck*), &c. frequens; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena &c. non rara; in Westrogothia ad Höberg (*Gyllenhal*), ad Gothoburgum (*Wahlberg*); in Ölandia ad Gärdslösa; in Gottlandia ad Gothem, Nähr &c.; in Dalecarlia rarius; in Dania parce, D. *Stæger*, in Dyrhaven prope Hafniam D. *Dahlbom*. (Ad Hamburgum & Neuenkirchen quoque a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Priori paullo minor. Dilute ochracea, setis ordinariis nigricantibus. Frons flava. Antennæ saturate flavæ, seta pubescente obscura. Epistoma albicans. Instrumenta oris retracta, pallida. Oculi mediocres, rotundi, in viva rufo-ferruginei, æneomicantes, unicolores, in mortua obscure ferruginei. Thorax & scutellum immaculata. Abdomen testaceum, aut linea dorsali interrupta fusca obsoleta, aut supra in medio latissime fuscanum, aut denique totum immaculatum. Alæ albo-hyalinæ. Normaliter nervi transversi distincte, punctum unicum in nervo longitud. 4:to pone transversum ordinarium, ut & apex alæ (præcipue ad apices nervorum longitudinalium 2, 3 & 4), fusca sunt. Sed variat etiam punctis 1, 2 l. 3 plerumque minutis & obsoletis (interdum in altera tantum ala præsentibus) fuscis in nervo longitudinali 3:tio & pone ejus medium. Halteres albidi. Pedes toti pallide flavi.

3. *O. punctella:* pallide flava; epistomate albicante; alis albidis, nervis longitudinalibus 2, 3 & 4 apice, transversis tribus totis strigulaque in nervo longitudinali 4:to fuscis. ♂♀. (Long. 1—1⅛ lin.).

Var. a. ♂♀. punctis fuscis in nervo longitudinali 3:tio pone transversum medium nullis.

Fall. Opomyz. 11. 2. ♂♀. genuina.

Var. b. ♂♀. punctis fuscis in nervo longitudinali 3:tio pone transversum medium 1—4.

Hab. utraque varietas mixta in graminosis per Sveciam meridionalem & mediam, Jun.—Sept. passim, in copula etiam bis deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, utrumque Esperöd &c., parce; in Smolandia, collectio defuncti *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp & Wadstena sat frequens; in Ölandia; in Gottlandia ad Westö in paroecia Hall raro.

♂♀. Priori similis, sed magnitudine nonnihil minore, corpore pallidiore, & imprimis nervis transversis tribus, nec tantum duobus, fuscis, & denique solummodo nervis longitudinalibus 2:do, 3:tio & 4:to apice leniter infuscatis, nec toto apice alæ fusco, certe distincta. 6 mares & 14 feminas jam ante oculos habeo. — Tota pallide flava, setis ordinariis lividis. Antennarum seta subnuda seu microscopice tantum puberula. Abdomen in ♀ sæpe punctis lateralibus brunneis ornatum, in ♂ interdum supra fere totum leniter fuscum, plerumque vero in utroque sexu immaculatum. Alæ albido-hyalinæ, nervis transversis tribus distincte infuscatis, nempe 1:mo ad basin alæ apici nervi auxiliaris opposito, 2:do medio mox ante medium alæ sito, & 3:tio sic dicto ordinario. Præterea nervi longitudinales 2, 3 & 4 summo apice fuscedine leviter cinguntur, & litura brevis recta immediate sub nervo longitudin. 4:to inter transversum ordinarium & apicem alæ posita quoque infuscata. Tandem strigula tenuis ad basin alæ pone alulam brunnea

observatur, interdum obsoleta. Cetera ut in antecedente. — Colore corporis & pictura alarum *Sapromyzæ notatæ* & *sex-notatæ* supra pag. 2313 & 2314 n:o 3 & 4 valde accedit, sed nervo auxiliari breviori & simplici facile discernitur.

B. Nigricantes.

*. Antennarum seta brevissime puberula.

4. *O. guttipennis:* nigra, nitida; epistomate albicante; fronte antice, antennis, tibiis tarsisque fuscis; alis nigricantibus, guttis 6—8 albis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 762. 4. ♂♀.

Hab. in Bottnia boreali & Lapponia minus frequens, mense Jun. Jul. Aug., deprehensa; scilicet ad Råbäcken in paroecia Öfver-Luleå Bottniæ a Prof. *Wahlberg* haud parce capta; in Lapponia Pitensi ad Glomersträsk ab Eodem; in Lapponia Umensi ad Lycksele a me inventa.

♂♀. Statura priorum, sed colore obscuro mox dignota, hujus certe generis. Frons antice indeterminate testacea, postice & occipite obscuris. Antennæ fuscæ, seta brevissime puberula, concolore. Epistoma infra oculos non descendens, albicans, omnino nudum. Partes oris retractæ, pallidæ. Genæ brevissimæ. Oculi majusculi, rotundi. Thorax & scutellum nigricantia. Abdomen nigrum. Alæ nigro-brunneæ, guttis circiter 7—8 majusculis rotundato-quadratis albis, quarum tribus ad costam (in interstitiis 1 & 2) subgeminis, una ad apicem alæ (in interstitio 3:tio) simplici, & tribus ad marginem interiorem (in interstitio 4:to) quarum 2 ante & 1 pone nervum transversum ordinarium sitis; magis perspicuis. Halteres fusci l. sordide albidi. Pedes nigricantes seu obscure picei, tibiis tarsisque dilutioribus, sæpe fusco-testaceis.

**. Antennarum seta plumata.

5. *O. distincta:* nigra, nitens, epistomate flavo-albicante; antennarum basi pedibusque flavis, anticorum tibiis tarsisque nigris, horum articulis 2 ultimis albis; alis hyalinis. ♂♀. (Long. ½—1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 106. 9.

Hab. in graminosis paludosis libenter sylvaticis, per Scandinaviam meridionalem & mediam Jun. Jul. rarius; scilicet in Scania rarissime; in Ostrogothia ad Gusum, teste D. *Wahlberg;* in Gottlandia semel; in Uplandia ad Holmiam, D. *Stenhammar*, affirmante D. *Wahlberg;* e Dania a D. *Stæger* in utroque sexu missa.

♂♀. Affinis & similis *Sciomyzæ glabriculæ* & *albitarsi* (Tom. 5. p. 2091 &c.), sed ab illa antennarum articulo ultimo nigro nec flavo, tarsis anticis apice albis, nec totis nigris, &c., ab hac, cui adhuc propius accedit, tarsorum anticorum articulis 2 (nec unico solo) albis, & ab utraque magnitudine paullo minore, alarum nervo auxiliari breviori, simplici, ut & nervis transversis nonnihil magis approximatis, differt. — Nigra. Antennæ basi flavæ, articulo ultimo nigro, seta alba, pubescente, superne basi pectinata. Epistoma pallide flavum. Proboscis flava. Oculi magni, rotundi. Genæ parum infra oculos descendentes. Alæ cinereo-hyalinæ. Nervus transversus ordinarius distincte ante medium areæ ultimæ insertus & paullo a margine alæ remotus. Halteres pallidi. Pedes pallide flavi, antici femoribus apice non late, tibiis totis tarsorumque articulis 3 basalibus, nigris, horum articulis 2 ultimis albis. Femora antica superne sæpe lineola angustissima nigra.

Obs. Specimina Ostrogothica & Uplandica non vidi.

6. *O. pectoralis:* nigra, nitens, epistomate flavo-albicante; antennarum basi, pectore, ventre pedibusque flavis, anticorum tibiis tarsisque nigris, horum articulis 2 ultimis albis. ♂♀. (Long. ½—1 lin.).

Stæg. in litt. 5 Aug. 1843.

Hab. in vicinitate litorum maritimorum a die 24 Jun. usque ad initium Septembris; in Amager ad Hafniam Danorum a D. *Staeger* frequenter lecta & in pluribus exemplis utriusque sexus communicata; mihi vero tantum in Gottlandia ad Kjellunge parce obvia.

♂♀. Priori valde similis, sed pleuris ventreque basi in utroque sexu flavo-rufis, & in mare femoribus posticis subtus ciliatis, distingvitur. Femora quoque antica apice plerumque latius nigricantia quam in præcedente. Pleuræ rufo-flavæ, vitta laterali fusca plerumque, & macula sterni nigra semper, perspicuis. — Reliqua ut in *O. distincta*, cujus varietas juvenilis vix habenda.

Obs. *Opomyza consobrina* nobis Ins. Lapp. 762. 2. sine dubio tantum ut varietas *Geomyzæ combinatæ* infra habenda. — *Opomyzam bifasciellam* Fall. *Colobeææ* generi subjeci. — Pleræque Meigenianæ species *Opomyzæ*, eæ nempe seta utrinque mystacina, & seta antennarum plumata l. saltem distincte pubescente præditæ, sub genere *Geomyza*, ut mihi videtur melius militant & ibi citius inveniuntur.

---

169. TANYPEZA Fall.

Corpus mediæ magnitudinis, elongatum, angustatum, nitidum, parum pubescens, setis in frontis postico thoracisque lateribus paucis, scutellique margine 4. Caput subhemisphæricum. Frons in utroque sexu modice lata, subangustata, non puberula, antice haud prominens. Antennæ subincumbentes, breves, articulis basalibus brevissimis, ultimo oblongo-ovato, compresso, basi seta dorsali nudiuscula. Epistoma subperpendiculare, modice latum, planiusculum, in medio leniter carinatum; totum nudum, infra oculos non descendens, apice non reflexum.

Genæ haud elongatæ. Palpi subexserti, compressi, extrorsum leniter dilatati. Proboscis mediocris, subexserta. Oculi magni, oblongi, subparalleliter distantes, nudi, non picti. Thorax ad latera sutura transversa. Abdomen thorace nonnihil longius, angustatum, 6-annulatum, segmentis subæque longis, ultimo minori. Alæ longitudine circiter abdominis, modice latæ, incumbentes. Nervi: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, a secundario ad apicem remotus; longitudinales: 2:dus elongatus rectus, 3:tius & 4:tus in apice l. mox pone apicem alæ leniter convergentes, 5:tus & 6:tus fere ad marginem interiorem continuati; transversi perpendiculares, modice remoti, horum ordinarius nonnihil ante medium areæ ultimæ sublanceolatæ insertus, medius apici auxiliaris oppositus. Areolæ basales æqvales. Costa nuda; spinula nulla. Alulæ distinctæ. Squamæ parvæ, ciliatæ. Pedes simplices, præsertim posteriores longiusculi. Tarsi omnes elongati. *Color* niger. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in foliis fruticum & arborum. *Metamorphosis* latet. *Differentia sexus; mas:* oculis non late remotis, abdomine lineari, cauda cylindrica oblonga (longitudine fere segmentorum 2 ultimorum) articulata deflexa l. inflexa opaca filum longitudine caudæ emittente; *femina:* oculis paullo latius remotis, abdomine lanceolato, oviductu exserto articulato subulato.

1. T. *longimana:* nigra, capite albo, macula media oblonga atra; alis hyalinis; pedibus flavis brunneo-maculatis. ♂♀. (Long. var. a. ♂ 2—$2\frac{1}{4}$, ♀ $2\frac{1}{4}$—fere 3 lin.; var. b. ♂ $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Opomyzid. 5. 1. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 374. 1. ♂♀. T. 52. f. 13 ♂. f. 14 ♀. — Macq. Buff. 2. 489. 1. ♂♀. T. 20. f. 7. ♀.

Hab. in foliis fruticum & arborum præsertim Populi tremulæ & Betulæ albæ, per Scandinaviam imprimis meridionalem & mediam, Jul. Aug. passim, in copula

quoque deprehensa; scilicet in Scania ad Räften prope Lund, Fogelsång, Lindholmen, Tranås, Esperöd &c., non parce; in Smolandia, *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena &c., sat frequens; in Westrogothia, *Gyllenhal* & *Wahlberg;* in Jemtlandia ad Faxelfven rarissime; in Norwegia ad Thynæs & Levanger, haud raro; in Dania passim, D. *Stæger.*

♂♀. Habitus fere *Calobatæ.* Nigra nitida. Frons atra opaca, vertice & macula antica utrinque ante antennas ad oculos oblonga argenteo-micantibus. Antennæ nigræ l. fuscæ, seta concolore, microscopice puberula. Epistoma & genæ argentea, hæ albo-pubescentes. Proboscis flava. Palpi nigri. Oculi in viva ferruginei æneo-submicantes; in mortua brunnei. Macula pectoralis a sterno (supra coxas intermedias) ad humeros oblique ducta majuscula argentea & albo-pubescens. Abdomen tenuiter obscure pubescens. Cauda masculorum, quando pendula, emittit filum fuscum biarticulatum. In cauda inflexa hoc filum haud observandum. Alæ hyalinæ, ima basi albidæ. Nervus costalis ab apice auxiliaris ad apicem alæ obscurus. Squamæ & halteres alba. Pedes nudi inermes flavi; antici: coxis albido-flavis, femoribus ante apicem annulo lato brunneo, tarsis articulo 1:mo apice reliquisque totis nigricantibus; intermedii: coxis basi obscuris, tarsis totis nigricantibus; postici: coxis basi obscuris, tibiis basi late apiceque brunneis, tarsis fere totis nigricantibus. Femora postica supra ad apicem sæpe etiam brunnescunt. Metatarsus omnium pedum longitudine articulorum reliquorum simul sumtorum.

Var. b. ♂. duplo minor, pedibus pallidis parum brunneo-maculatis, nec aliter discrepans. Ad Abusa Scaniæ & Hagalund prope Wadstena Ostrogothiæ.

170. CHYLIZA Fall.

Corpus mediæ raro minoris magnitudinis, elongatum, angustatum, nitidum, breviter pubescens, setis in vertice thoracisque postico perpaucis, in scutello subquatuor. Frons in utroque sexu lata, puberula, antice non prominula. Antennæ deflexæ, longiusculæ, epistomate tamen nonnihil breviores, articulis basalibus brevibus, ultimo oblongo, compresso, ante basin seta dorsali breviter pubescente. Epistoma perpendiculare, modice & paralleliter latum, planiusculum l. in medio leniter subretusum; totum nudum, infra oculos non descendens, nec apice reflexum sed marginatum. Genæ haud elongatæ. Organa cibaria retracta; palpi extrorsum sublatiusculi; proboscis parva. Oculi magni, oblongi, late & paralleliter distantes, nudi. Thorax absque sutura transversa perspicua. Scutellum subquadrisetosum, in apice setis binis ut vulgariter validioribus. Abdomen thorace paullo longius, angustatum, 6-annulatum, inerme. Alæ longitudine abdominis, haud latæ, incumbentes. Nervi: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, simplex seu a secundario non remotus; longitudinales omnes recti, horum 3 & 4 paralleli, 5 & 6 fere ad marginem interiorem continuati; transversi perpendiculares, sat late remoti, horum ordinarius fere in medio areæ insertus, medius apici auxiliaris oppositus. Areolæ basales inæqualiter longæ. Costa nuda; spinula nulla. Alulæ distinctæ. Squamæ parvæ, ciliatæ. Pedes modice longi, simplices, validi, nudi, inermes. *Color* niger. *Motu* sat agilis. *Habitatio* in foliis fruticum, succum haurientes. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* abdomine lineari, apice obtuso, cauda inflexa absque filo terminali; *femina:* abdomine lanceolato, oviductu exserto, articulato, acuto. Cum *Tanypeza* multum commune habet, sed antennis paullo longioribus, fronte latiore, alarum nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, nec apice convergentibus, auxiliari simplici, areis basalibus inæqualibus, & pedibus brevioribus recedit. Nuditas corporis & pedum mox a *Cordylura Chylizam* distingvit. *Typus* generis: *Chyliza leptogaster.*

1. *C. leptogaster:* nigra, epistomate albicante; antennis, fronte antice, scutello fere toto, pedibusque immaculatis, flavis; alis cinereo-hyalinis, apice fuscis. ♂♀. (Long. ♂ 2 – 2½, ♀ 2¼ fere 2¾ lin.).

Fall. Opomyzid. 7. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 5. 368. 1. ♂. Macq. Buff. 2. 379. 1. ♂♀. *Musca* Panz. Fn. Germ. 54. f. 19. ♂. *Sargus scutellatus* Fabr. Ent. Syst. Suppl. 567. 5. & Antl. 257. 8.

Hab. in foliis fruticum per hortos, sæpes vivas & prata Scandinaviæ meridionalis & mediæ, a medio Junii usque ad finem Julii, passim; scilicet in Scania ad Lund (in horto botanico & Paradislyckan), Allerum prope Helsingborg, Tranås, Esperöd &c., non parce; in Gottlandia: ad diversorium Bopparfve in paroecia Ejsta, D. *Wahlberg*, ad Sanda, Fardhem & Rohne, ipse; in Dania rarius, D. *Stæger*. (E S:t Sever Galliæ etiam a Nobiliss. D. *Leon Dufour* in utroque sexu communicata.).

♂♀. Angustata, nigra, nitida, pube brevissima grisea imprimis in thoracis dorso obducta. Frons nigra, ante antennas lunatim flava. Macula verticis sæpe ferruginea. Antennæ flavæ, in ♂ immaculatæ, in ♀ superne plerumque fuscanæ, seta in utroque sexu fusca, pubescente. Epistoma albicans l. pallidissime flavum, in ♂ immaculatum, in ♀ in medio lineolis 2 brevibus sæpe confluentibus, nigris. Proboscis testacea l. fusca. Palpi atri. Caput postice nigrum, orbita oculorum flava. Genæ nigræ, albo-villosulæ. Oculi in viva ferruginei, parte inferiori præcipue virescente. Scutellum in ♂ fere totum flavum, basi anguste nigrum, in ♀ nigrum, apice plus minus late flavum. Abdomen subdepressum, in ♂ sublineare, in ♀ lanceolatum. Alæ cinereo-hyalinæ, apice sat late indeterminate leniter fuscanæ. Nervus transversus medius apici auxiliaris oppositus. Squamæ & halteres alba. Pedes cum coxis toti pallide flavi immaculati, femoribus versus apicem saturatius flavis.

2. *C. annulipes:* nigra, epistomate albicante; antennis, fronte antice, scutelli apice pedibusque flavis, femoribus ad apicem annulo lato nigricante; alis cinereo-hyalinis, costa ante apicem macula fusca obsoleta. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

Macq. Buff. 2. 380. 2. ♀. Meig. Dipt. 7. 359. 5. (e descriptione Macqvarti transscripta).

Hab. in foliis fruticum præsertim Alni, Coryli & Betulæ, per Sveciam mediam Jun. Jul. minus frequens; scilicet in Ostrogothia: ad Gusum *(Wahlberg)*, villam Sjökumla prope Wadstena (Doct. *Engström)*, Rismarken juxta Wadstena *(Dahlbom)*, & Lärketorp, ipse; in Westrogothia *(Gyllenhal)*; in Uplandia ad Holmiam *(Wahlberg)*.

♂♀. Priori valde similis & affinis etiam quoad notas discrepantes diversi sexus, sed scutello latius nigricante, macula alarum dilute fusca in costa ante apicem, nec in apice alæ, sita, & præcipue femorum annulo apicali nigricante distincto, vere diversa. Antennæ in ♂ flavæ, immaculatæ, in ♀ superne fuscæ. Epistoma in medio in ♀ nigro-bilineatum, in ♂ immaculatum. Alæ in utroque sexu cinereo-hyalinæ, interstitio inter costam & nervum longitudinalem 2:dum præsertim ad apicem hujus nervi dilute fuscano. Pedes flavi, femoribus omnibus ab apice & fere ad medium annulo nigro-brunneo, in femoribus posterioribus integro, in anticis superne tantum indicato. Reliqua ut in præcedente.

Obs. Hæc species hactenus quantum noverim solummodo inventa est in Svecia media, & præcipue in Ostrogothia, ubi *Chyl. leptogaster* non observata fuit. Nam specimina, quæ a Prof. *Fallèn* l. c. ut "in Lärketorp Ostrogothiæ capta" dicuntur, non ad *Chyl. leptogastr.*, sed ad *annulipedem* certe pertinent. Neque *Chyl. annulipes* in Dania umquam deprehensa fuerit, teste D. *Stæger*. *Chyl. annulipes* jam 1829 a me de-

tecta fuit & tunc temporis sub nomine: *Chyl. femorata* inter Amicos entomologicos divulgata.

3. *C. ustulata:* nigra, epistomate albicante; antennis fusco-testaceis; fronte antice pedibusque flavis, femoribus posticis apice brunnescentibus; alis hyalinis, summo apice dilute fusco. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{2}$, ♀ 2 lin.).

Wahlberg in litteris 1811.

Hab. in Svecia superiori Jul. Aug. rarius; scilicet in Smolandia, D. *Ljungh;* in foliis Qvercus ad Lärketorp & Wadstena Ostrogothiæ unicum marem & qvinque feminas 1826—1831 inveni; in Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila in frutice Populi tremulæ 21 Aug. 1810 unicam feminam legit D. *Dahlbom;* etiam e Gusum Ostrogothiæ individuum femineum in foliis Coryli deprehensum communicavit D. Professor *Wahlberg.*

♂♀. *Tetanuræ* generi (n:o 167) proxima, sed alarum nervis transversis magis remotis, &c., recedens. A *Chyliza leptogast.*, cui affinis & similis, magnitudine duplo minore, præsertim angustiore, antennis subfuscis, nec pure flavis, scutello toto nigro, alis hyalinis, apice dilutius & angustius fuscanis, nervo auxiliari breviori, transverso medio paullo pone apicem auxiliaris ducto, nec apici opposito, areis basalibus subæque longis, femoribus posticis ad apicem dilute brunneis, & tandem ano in ♂ aliter constructo, abunde dignota. Caput nigrum, fronte lata, antice flava. Antennæ breves subrotundatæ, in ♂ totæ læte flavæ, in ♀ basi flavæ, articulo ultimo fuscescente l. sordide testaceo, seta in utroque sexu subnuda, pallescente. Epistoma infra antennas valde angustum, pallidum, orbitis oculorum albis. Proboscis pallescens. Palpi nigri. Oculi magni rotundati. Thorax supra griseo-pubescens, humeris piceis. Scutellum nigrum. Abdomen: in ♂ subfiliforme, ano deflexo apice appendicibus 2 brevibus nigris & filo elongato articulato pallescente instructo; in ♀ anguste

lanceolatum, apice sat longe acutum. Alæ subhyalinæ, apice leniter infuscatæ. Nervi transversi modice remoti, horum ordinarius paullo longius ante medium areæ ultimæ insertus quam in prioribus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio fere duplo brevius evadat. Nervus costalis crassus, nigricans. Halteres albi. Pedes cum coxis simplices, mediocres, flavi, femoribus posticis ad apicem præsertim superne dilute brunneis.

Obs. Specimina Ostrogothica, quæ jam ante 20 annos collegi, in collectione mea sub nomine: *Chyliza filata* asservavi. In determinationem a Cel. *Wahlberg* datam libenter tamen mutavi.

Obs. *Chyliza loxocerina* Fall. generi *Lissæ* n:o 158 p. 2307 in hoc opere subjecta est.

171. COLOBÆA Zett.

Corpus parvum, lineare, breve, antice posticeque obtusum; opacum, parum pubescens, setis in vertice thoracisque postico paucis, in scutello 4. Caput subtransversum, thorace paullo latius. Frons in utroque sexu lata, non puberula, nec antice prominens. Antennæ oblique subdeflexæ, breves, articulo ultimo ovato, compresso, basi seta dorsali plumata. Epistoma perpendiculare, latum, nudum, infra oculos parum descendens, margine antico non reflexo, area media triangulari, orbitis oculorum perspicuis. Apertura oris sat ampla, rotundata. Proboscis parva & palpi retracta. Genæ mediocres. Oculi majusculi, ovato-rotundati, nudi. Thorax subquadratus absque sutura transversa perspicua. Abdomen thorace fere brevius, distincte angustius, 5-annulatum. Alæ abdomine paullo longiores, modice latæ, incumbentes. Nervi: auxiliaris ad 3:tiam costæ partem extensus, a secundario anguste separatus; longitudinales recti, horum 3 & 4 paralleli, 5:tus fere ad marginem interio-

rem productus, 6:tus abbreviatus; transversi perpendiculares, non longe remoti, horum ordinarius paullo ante medium areæ ultimæ insertus, & sat prope ad marginem alæ retractus, medius apici auxiliaris oppositus. Areolæ basales parvæ retractæ subæqvales. Costa nuda; spinula nulla. Alulæ distinctæ. Squamæ rudimentariæ. Pedes simplices, modice longi, validiusculi, inermes, fere glabri. *Color* testaceus, pictura thoracis lineata, alarum fasciata. *Motus* Sciomyzæ. *Habitatio* in paludosis. *Differentia sexus; mas:* ano parvo rotundato, non inflexo; *femina:* ano acutiusculo.

1. *C. bifasciella:* pallide testacea, nigro-lineata; alis albidis, nigro-bifasciatis; pedibus flavis, anticorum femoribus, tibiis & tarsis, posteriorumque femoribus macula apicali, nigro-fuscis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$—1 lin., raro ultra).

Zett. Ins. Lapp. 762. 1. ♂. *Opomyza bifasciella* Fall. Opomyzid. 12. 3. ♀. Meig. Dipt. 6. 103. 2. (e descriptione Falleni transscripta, at nomine: "*Geomyza bifasciella* Fall." erronee designata). — *Sziomyza concentrica* Meig. Dipt. 6. 12. 4.

Hab. in paludosis per Sveciam & Lapponiam Jun. Jul. rarius; scilicet in Scania in convalle paludosa ad Sliparehögen prope Lund 17 Jun. 1835 a D. *Dahlbom* in unico exemplo femineo capta; in Ostrogothia ad Häradshammar, D. *Stenhammar;* in Westrogothia, D. *Boheman*, & ad Sparresäter tempore autumnali rarissime, D. *Eb. Rosenschöld;* in Gottlandia ad Kjellunge 27 Jul. 1819 a me detecta; in Lapponia Umensi ad novacculum Umenäs non longe ab alpe Brattiksfjell situm, masculum inveni; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D. Prof. *Wahlberg*.

♂♀. Parva, glabricula, opaca. Frons flava, postice setosa, puncto ocellorum nigro. Antennæ obliquæ l. subporrectæ, testaceæ, apice summo sæpe fuscescente, seta non longe plumata, fusca. Epistomatis area media flava, orbitis oculorum latiusculis, albis. Proboscis & palpi sordide testacea. Genæ albæ. Oculi in viva rufi, unicolores. Thorax dorso testaceus, lineis 4 nigris, quarum intermediis obsoletioribus; lateribus & postice parce setulosus. Pleuræ flavæ, linea utrinque a capite ad abdomen ducta nigra determinata. Scutellum testaceum, macula l. vitta longitudinali media obscura. Abdomen sordide testaceum, vitta dorsali lata indeterminata fusca. Venter utrinque linea nigra h. e. linea pectorali in ventre continuata. Anus flavus. Alæ albescentes, pone medium fasciis 2 arcuatis introrsum flexis nigricantibus, quarum antica nervum transversum ordinarium transit, postica in medio inter fasciam anticam & apicem alæ sita. Nervus transversus medius etiam infuscatus. Præterea vitta elongata cunneiformis nervum longitudinalem cingit. Halteres pallidi. Pedes flavi, antici toti, exceptis coxis, nigri; posteriores femoribus ad apicem anguste brunneis. Metatarsi postici sæpe quoque dilute infuscati. Variat rarius femoribus anticis in medio pallescentibus. — Habitus *Sciomyzæ glabriculæ* & *nanæ*.

Famil. 33. HETEROMYZIDES.

172. HELOMYZA Fall.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, ovato oblongum, parum pubescens, setis in frontis postico thoracisque dorso haud paucis, scutelloque 4, omnibus sat validis. Caput subrotundatum. Frons in utroque sexu lata, antice non prominens. Antennæ subdeflexæ, breves, articulis basalibus brevissimis, ulti-

mo rotundato l. ovali, compresso, basi seta dorsali longiuscula plumata aut nuda. Epistoma perpendiculare, longitudine paullo latius, infra oculos nonnihil descendens, apice non reflexum (in *Hel. pallida* n:o 1 apice subreflexum), setis utrinque mystacinis una l. pluribus munitum. Genæ mediocres. Apertura oris mediocris. Haustellum geniculatum. Proboscis mediocris carnosa pubescens intra os plerumque retracta. Palpi sæpius subcylindrici, pilosuli, interdum extrorsum sublatiores. Oculi non magni, rotundi, nudi, in vivis rufi l. brunnei æneomicantes, unicolores. Thorax ad latera vestigio suturæ transversæ. Scutellum planum. Abdomen longitudine thoracis, 6-annulatum. Alæ abdomine paullo longiores, modice latæ, incumbentes. Nervi: auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, a secundario nonnihil remotus; longitudinales rectiusculi, horum 2:dus elongatus, 3 & 4 paralleli; 5:tus fere, 6:tus non usque, ad marginem alæ continuati; transversi perpendiculares, recti, modice distantes, horum ordinarius paullulum ante medium areæ ultimæ insertus, medius apici auxiliaris oppositus. Areolæ basales parvæ retractæ subæquales. Costa setosa (nota generis priva). Alulæ distinctæ. Squamæ parvæ, ciliatæ. Pedes in ♀ simplices, in ♂ femoribus crassiusculis, in utroque sexu mediocriter longi, validiusculi, breviter puberuli, femoribus præsertim anticis posticisque setulosis; inermes, tibiis intermediis apice bicalcaratis, anticis posticisque ad apicem unisetosis. Metatarsus posticus simplex, nec incrassatus. *Color* pallescens aut obscurus. *Motu* haud agilis; reptatu sæpius quam volatu aufugit. *Habitatio* in foliis plantarum, graminosis & fungis, libenter locis uliginosis l. umbrosis occultis putridis; in fenestris quoque interdum errabunda occurrit. *Odorem* virosum & foetidum (fere ut in nido Picorum avium), e nutrimento putrido oriundum pleræque imagines spargunt etiam longe post mortem. *Larvæ* in fungis, stercoratis & putridis vivunt. (Cfr. *Leon Dufour* in Annal. des Scienc. Natur. 2. Tom. 12. 1839. Extr. n:o 3. p. 40—48, & *Bouché* Naturg. der Ins. 1834. 1. p. 100. 92). *Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore subcylindrico, subclavato, ano ro-

tundato, femoribus sæpissime incrassatis, saltem semper validioribus; *femina:* abdomine lanceolato, ano acuto, femoribus simplicibus. *Typi* generis: *Hel. pallida* & *serrata* n:ris 1 & 17.

A. Corpus totum flavum l. ferrugineum (in *H. flavifronte* n:o 15 griseum; *H. myopina* rufescens, thoracis dorso tantum canescente, in subdivisione B. sub n:o 27 invenienda).

*) seta antennarum plumata aut subplumata, interdum pubescente. Antennæ articulo ultimo ovato l. ovali, nec exacte orbiculari. *Helomyza* Macq. *Suillia* Rob. Desvoid.

† alis immaculatis.

1 *pallida* Fall. (var. a., b., c., d., e. seu *Heterom. bicolor* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 2 *atricornis* Meig. ♂♀.

†† alis maculatis.

α) nervis transversis tantum infuscatis.

3 *testacea* Zett. Ins. Lapp. (*H. pallida* var. Fall. — An *Hel. olens* Meig.?) ♂♀. 4 *Nemorum* Meig. ♂♀. 5 *affinis* Meig. ♂♀. 6 *hilaris* Zett. nov. sp. ♂♀.

β) nervis transversis apiceque alarum infuscatis.

7 *rufa* Fall. ♂♀. 8 *flava* Meig. (*H. rufa* Fall. ex parte) ♂♀. 9 *præusta* Meig. ♂♀. 10 *tigrina* Meig. (non Fall. — *Hel. flava* Zett. Ins. Lapp.) ♂♀.

**) seta antennarum nuda. Antennæ articulo ultimo sæpe orbiculari. *Blephariptera* Macq. *Leria* Rob. Desv.

11 *longiseta* Meig. (var. a. est *Hel. flavo-testacea* Zett. Ins. Lapp. — b.) ♂♀. 12 *silvatica* Meig. ♀. 13 *microphthalma* Zett. n. sp. (vix *Hel. microps* Meig.?) ♂♀. 14 *obscuriventris* Zett. n. sp. ♀. 15 *flavifrons* Zett. Ins. Lapp. (var. a. b.) ♂♀. 16 *ustulata* Meig.

B. Thorax obscurus: cinerascens, grisescens vel nigricans (in *H. myopina* n:o 27 corpus cum partibus rufescens tantum thoracis dorso cano. *Hel. flavifrons* var. a. thoracis dorso griseo, abdomine cinereo sub n:o 15 qværenda). Antennarum articulus ultimus orbicularis, seta nuda aut nudiuscula. *Blepharíptera* Macq. *Leria* Rob. Desv.

a. setis mystacinis utrinque pluribus; fronte antice non prominente.

17 *serrata* Linn. (vix eadem Meig. — *Musca latrinarum* Degeer) ♂♀. 18 *geniculata* Zett. Ins. Lapp. ♂♀.

b. seta mystacina utrinque unica.

* fronte antice nonnihil prominente.

19 *læta* Meig. Zett. (*Hel. serrata* var. Fall. — *Heterom. rufipes* var. Zett. Ins. Lapp.) ♂♀.

** fronte non prominente.

α) antennarum seta modice longa.

† alis immaculatis.

20 *ruficeps* Zett. Ins. Lapp. (*Helom. serrata* Meig.?) ♂♀. 21

humeralis Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 22 *ruficauda* Stæg. ♂. 23 *tibialis* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 24 *minuta* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 25 *fuscinervis* Zett. n. sp. ♂♀.

†† alarum nervis transversis infuscatis.

β) antennarum seta elongata vel longissima.

26 *scutellaris* Zett. Ins. Lapp. (var. a. *Musca serrata* Fabr.? — var. b. *Helomyz. cæsia* Meig.?) ♀. 27 *myopina* Zett. n. sp. ♂. 28 *fenestralis* Fall. ♂♀.

Helomyza.

A. Corpus totum flavum l. ferrugineum (in *H. flavifronte* n:o 15 griseum; *H. myopina* n:o 27 rufescens, thoracis dorso tantum canescente, in subdivisione B. invenienda).

*) seta antennarum plumata aut subplumata, interdum pubescente. Antennæ articulo ultimo ovato l. ovali, nec exacte orbiculari. *Helomyza* Macq. *Suillia* Rob. Desvoid.

† alis immaculatis.

1. *H. pallida:* pallide flava, inodora, epistomate albicante; abdominis incisuris tenuissime, tarsorumque apice, fuscis; alis cinereo-hyalinis, costa breviter setulosa; antennis rotundatis, seta breviter plumata. ♂♀. (Long. 2 fere 3 lin.).

Fall. Heteromyzides Svec. Dissert. Lund. 1820. p. 3. n:o 1. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 50. 5. ♂♀. T. 57. f. 31. ♂. — Macq. Buff. 2. 411. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 761. 1. ♂♀.

(*Cordylura pallida* Fall. Scatomyzid. 8. 4. ♂. specimen Scanense etiam sub hac specie latet).

Hab. in foliis fruticum Betulæ, Salicis, Qvercus, etiam in graminosis, plerumque locis umbrosis & humidis, nec non in fungis terrestribus subputrescentibus, per Scandinaviam mensib. Jul. Aug. Sept. vulgaris, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania, Smolandia & Ostrogothia ubique frequens; in Gottlandia ad Garde; in Bahusia; in Nericia ad Laxbro; in Gestricia ad Hamrånge; in Helsingia ad Färila; in Jemtlandia ad Rätan, Upland, Hofverberget, Berge (in Alsen), Ristansfors, alpes Åreskutan & Mullfjellen, usque ad Stalltjernstugan, copiose; in Bottnia; in Lapponiis: Umensi ad Stensele rarius, Lulensi, D. *Andersson*, Tornensi ad Kengis & Muonioniska parce; in Norwegia ad Næs Værdaliæ, Evenæs, Giebostad & Hacksten Nordlandiæ, atque Bossekop & Kautokeino Finmarkiæ frequens; in Dania, D. *Stæger*. (In Pinetis ad Neuenkirchen prope Gryphiam Sept. 1844 in utroque sexu a D. *Dahlbom* non raro lecta. E S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* quoque missa).

♂♀. Pallide flava, interdum ferrugineo-flava, subnitens, setis ordinariis semper nigris. Frons flava, antice brevissime puberula. Antennarum articulus ultimus ovato-rotundatus, seta antenna saltem duplo longiore, breviter plumata l. distincte pubescente fusca. Epistoma albicans, margine apicali reflexo, utrinque seta mystacina nigra. Proboscis flava. Palpi filiformes. Genæ albicantes. Oculi in viva rufo-ferruginei, æneo-micantes, unicolores. Thorax ferrugineo-flavus, sterno pallescenti-l. nigricanti-villoso præsertim in ♂. Scutellum planum, pallide flavum. Abdomen testaceo-flavum, incisuris mediis plerumque infuscatis, distincte setosis præsertim in ♂. Alæ cinereo-hyalinæ, parum flavidæ, nervis non infuscatis. Nervus longitu-

dinalis 3:tius in summo apice alæ excurrit. Costa brevissime ciliata, ciliis cum setis non longis sed sat densis immixtis. Halteres pallidi. Pedes pallide flavi, tarsis apice plus minus late nigricantibus; femoribus in ♂ distincte incrassatis, impricis anticis subtus dense pallide l. nigro-villosis. Femora in ♀ simplicia non villosa.

Var. a. ♂♀. Antennæ totæ pallide flavæ, seta breviter plumata fusca. Palpi toti pallide flavi. Alæ cinereo-hyalinæ, flavedine parum tinctæ. Pedes pallide flavi, tarsorum articulis duobus ultimis nigricantibus, femoribus anticis in ♂ subtus pallide villosis; frequentissima.

Var. b. ♂. Similis var. a., at antennæ sordide flavæ, femora antica subtus & sternum obscure villosa, pedum posticorum genicula brunnea & tarsorum articuli 3 ultimi nigricantes. Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. Hab. in Svecia boreali & Lapponia passim, ex. gr. in Dalecarlia ad Östansbo; in Jemtlandia ad Mullfjellet & Åreskutan, & in Lapponia Umensi ad Lycksele raro.

Var. c. ♀. *fuscicornis*. Similis var. a., sed antennarum articulus ultimus vel totus dilute fuscus vel saltem superne obscurus, seta pubescente, palpi apice nigricantes, pedes ut in var. b., sed tarsi antici etiam sæpe toti nigricantes. Thorax interdum lineolis dorsalibus unica vel tribus brunneis, sed plerumque parum perspicuis. In Jemtlandia boreali ut ad Hofverberget, Mullfjellet, Åreskutan & Stalltjernstugan cum var. a. frequenter; in Lapponia Lulensi ad Qvickjock, D. *Boheman;* e Dania ut "*Helom. pallidæ* varietas" a D. *Stæger* quoque communicata; in Svecia meridionali a me non observata nisi in Scania ad Lindholmen semel.

Var. d. ♂♀. Similis iterum var. a., sed duplo major & alis hyalinis, corpore opaco, nec nitente. In Scania ad Lund 14 Jun. 1838 in unico specimine, utriusque sexus, in Smolandia ♂ rarissime, & in Jemtlandia ad diversorium Berge (in Alsen) 8 Aug. 1840 semel lecta (♂). Oculi in viva rufi, unicolores.

Var. e. ♂♀. Similis var. b., sed abdominis incisuris mediis & sæpe etiam ano in ♂ nigricantibus, atque abdominis postico

in ♀ obscuro. Alarum costa distincte ciliata, sed parum setulosa. *Heteromyza bicolor* Zett. Ins. Lapp. 764. 4. ♂♀.

Hab. var. e. in Svecia & Lapponia Jul. Aug. rarius; in copula; scilicet in Ostrogothia ad Wadstena semel; in Dalecarlia ad diversorium Östansbo parce; in Helsingia ad Arbrä & diversorium Kárböle; in Norwegiæ septentrionalis insula parva Hacksten prope Schiervoe Nordlandiæ unicum par in copula junctum inveni.

Obs. Caveas ne hanc speciem cum *Cordylura pallida* hujus operis pag. 2008 n:o 12 valde simili & affini confundas.

2. *H. atricornis:* ferrugineo-flava, nitida, epistomate albicante; antennis rotundatis atris, seta breviter plumata; tarsis apice fuscis; alis flavido-hyalinis, costa breviter setulosa. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. 51. 13.

Hab. in Scandinavia Jul. Aug. minus frequens; scilicet in Ostrogothia ad Lärketorp utrumque sexum legi, ad Gusum quoque a D. *Wahlberg* reperta; in Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila a D. *Dahlbom* parce capta; in Norwegia ad Oestre Næs rarissime; e Dania in utroque sexu a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Simillima priori, plerumque nonnihil minor, magis nitida, & antennis atris mox distincta. Frons flava. Antennæ ovales, totæ atræ, seta breviter sed sat dense subplumata, obscura. Palpi & proboscis flava. Abdomen immaculatum. Alarum costa vage setulosa, setulis parcis & brevibus, sed perspicuis. Pedes pallide flavi, tarsis apice (vix nisi articulo ultimo) obscuris. De cetero ut in priori.

†† alis maculatis.

α) nervis transversis tantum infuscatis.

3. *H. testacea:* testacea, odora, epistomate albicante; fronte flava; antennis rotundatis fulvis l. luteis, seta pubescente; pedibus pallide flavis, abdominis incisuris tenuissime, tarsorumque apice, fuscis; alis flavido-hyalinis, costa distincte setulosa, nervis transversis leniter infuscatis. ♂♀. (Long. $2\frac{1}{2}$—3 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 765. 2. ♂♀. *Hel. pallida* Fall. Heteromyz. 3. 1. Descript.: "var. corpore testaceo, alarum costa longe setosa".— An *Helom. olens* Meig. Dipt. 6. 50. 4? ♀.

Hab. in foliis fruticum per hortos, prata & silvas Scandinaviæ præsertim versus autumnum (Jul.—Septemb.) vulgaris, in nuptiis sæpe capta; insectum vivum odorem ut in ave Pico spirat; occurrit in Scania ad Lund, Skarhult, Silfåkra, Esperöd (in paroecia Tranås, Widtsköfle *(von Borck)* &c., sat copiose; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena & aliis locis frequens; in Gottlandia ad Gothem & Stenkyrka; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila; in Jemtlandia ad Säther prope Krokumselfven parce; in Lapponia rarissime; in Norwegia ad Suul Værdalhæ, raro; in Dania passim, D. *Stæger.* (Ad Neuenkirchen prope Gryphiam in pinetis Septemb. 1844, D. *Dahlbom).*

♂♀. Proxima *Hel. pallidæ* (1), a qua colore sordide flavo l. testaceo, nec pallido, antennis saturatius flavis, costa alarum nonnihil distinctius setulosa, nervis transversis paullo infuscatis, &c., dignota. Odorem virosum quoque spirat insectum. — A sequente nervis transversis minus distincte infuscatis præcipue dignoscitur. Opaca. Antennarum seta tantum pubescens, nec plumata. Alarum costa vage perspicue setosa. Nervus transversus ordinarius leniter infuscatus, medius obscurus, sed vix fuscedine obumbratus. Reliqua omnino ut in *H pallida*

etiam quoad discrimen sexus. *Hel. olenti* Meig. valde similis, an eadem?

4. *H. Nemorum:* ferruginea, epistomate albicante; fronte flava; antennis rotundatis luteis, seta breviter pubescente; pedibus flavis, abdominis incisuris tenuissime, tarsorumque apice, fuscis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis perspicue infuscatis, costa modice setulosa. ♂♀. (Long. 2½—3 lin.).

Meig. Dipt. 6. 52. 9. ♀.

Hab. in foliis fruticum per prata & silvas Scandinaviæ Jul.—Sept. passim; in copula pluries observata; scilicet in Scania ad Lund, utrumque Esperöd, Widtsköfle &c., sat frequens; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Herjedalia ad Öfver-Hogdal rarius; in Jemtlandia ad Östersund parce; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina rarissime; in Norwegia ad Suul Værdaliæ semel; ex Hafnia ut rarissima Daniæ incola ♀ in unico specimine sub nomine: "*H. nemorum* Meig." etiam a D. *Stæger* communicata. Specimina borealia paullo minora sunt & pallidiora.

♂♀. Priori simillima, sed corpore sordide subferrugineo l. paullo saturatius testaceo, antennarum seta fere tenuius pubescente, & præsertim atque constanter nervis ambobus transversis perspicue & distincte fuscedine cinctis, sine dubio diversa, nec nisi similem cum simili in copula junctam deprehendi. Variat abdomine immaculato, vel incisuris mediis tenuissime fuscis. Antennarum articulus ultimus rotundus. De cetero ut in præcedente.

5. *H. affinis:* ferruginea, epistomate flavo-albicante; fronte flava; antennis rotundatis luteis, seta longe non dense plumata; pedibus flavis, tibiarum tarsorumque apice fuscis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis per-

spicue infuscatis, costa distincte setulosa. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Meig. Dipt. 6. 51. 6. Macq. Buff. 2. 411. 6.

Hab. in graminosis & foliis fruticum libenter locis uliginosis, per hortos & prata Scandinaviæ meridionalis & mediæ Jun.—Aug. passim, in copula etiam lecta; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd in parocc. Tranås, &c.; in Gottlandia ad Gothem & Lärbro rarius; e Dania in utroque sexu a D. *Stæger* missa.

♂♀. Ab *H. Nemorum*, cui valde affinis & similis, antennarum seta longe plumata, & tibiis apice fuscis mox & vere dignoscitur. Antennæ fulvescentes, seta imprimis in medio longe plumata, fusca. Epistoma flavidum. Proboscis & palpi flava. Thorax, scutellum & abdomen ferrugineo-testacea. Alæ sordide hyalinæ, nervis transversis distincte infuscatis. Nervi longitudinales 2, 3 & 4 apice umbra fusca leniter cincti. Costa perspicue setosa. Halteres albidi. Pedes flavi, femoribus præsertim anticis posticisque apice dilute fuscis. Tarsi omnes apice (articulis 3 ultimis) obscuri.

6. *H. hilaris:* flava, epistomate albicante; antennis rotundato-ovalibus, seta sat longe & dense plumata; tarsis apice leniter fuscis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis infuscatis; costa distincte setulosa. ♂♀. (Long. 3 lin.).

Hab. in pratis silvaticis Sveciæ meridionalis rarissime; in Scania nempe unicum marem 28 Aug. 1838 ad Silfåkra, unicamque feminam in silva Lindholmen 10 Jul., inveni. Inodora.

♂♀. Simillima iterum priori, sed colore totius corporis pallidiore, seta modice longe at fere densius plumata, ut & tibiis immaculatis, nec apice fuscis, diversa. Opaca. Antennæ rotun-

dato-ovales, fulvescentes, seta distincte plumata, fusca. Epistoma, pleuræ & coxæ anticæ pallidissima fere albicantia. Alarum nervi longitudinales apice vix fusco-obumbrati. Pedes pallide flavi, tarsis apice testaceis, sed haud infuscatis.

β) nervis transversis apiceque alarum infuscatis.

7. *H. rufa:* ferruginea, capite pedibusque flavis; antennis rotundato-ovalibus luteis, seta longe non dense plumata; abdominis incisuris tenuiter, tarsisque apice, nigricantibus; alis cinereis, nervis transversis perspicue infuscatis, costa distincte setulosa apiceque obsolete fuscanis, hoc maculis duabus albido-hyalinis. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Fall. Heteromyz. 4. 2. ♂♀. (e parte & exclus. syn. Panz., quod ad *Tetanoceram rufam*, hujus operis p. 2141. n:o 15., pertinet). — Meig. Dipt. 6. 49. 2. ♂♀. videtur. — Macq. Buff. 2. 410. 2. ♂♀. *Suillia fungorum* Rob. Desv.

Hab. in Scandinavia meridionali & media a fine Junii ad Augustum mihi obvia minus frequens; scilicet in Scania rarius; in Ostrogothia ad Gusum, teste D. *Wahlberg*; in Gottlandia ad Garde, Nähr, Gothem & Stenkyrka.

♂♀. Testaceo-ferruginea, opaca. Frons flava. Antennarum seta imprimis in medio sat longe, sed non dense plumata. Epistoma albido-flavum. Proboscis & palpi flava. Thorax linea dorsali media fusca obsoleta. Abdominis incisuræ in ♂ tenuiter, in ♀ magis perspicue nigricantes. Alæ sordide cinereæ, nervis transversis luculenter infuscatis. Costa & apex alæ lenissime fuscana, maculis 2 apicalibus albido- l. cinereo-hyalinis. Exacte dictum nervi longitudinales 2, 3 & 4 ad apicem fuscedine

cincti, hæc vero fuscedo plerumque ita dilatata, ut fere totus apex alæ evadat obsolete fuscanus, relictis in interstitiis nervorum ad ipsum apicem maculis 2 indeterminatis cinereo- l. albido-hyalinis. Costa vage & distincte setulosa. Halteres albidi. Pedes flavi, articulis tarsorum 3 ultimis nigricantibus. Tibiæ anticæ posticæque apice leniter fuscæ. Genicula postica summa quoque brunnescentia. An varietas *H. affinis* (5)? a qua vix nisi linea thoracis obscura & alarum costa apiceque subfuscanis, hoc maculis albidis sæpe minus perspicuis, differt.

Obs. Specimina duo, quorum unum masculum & alterum femineum, magnitudine nonnihil minore, alarum nervis transversis paullo latius infuscatis, maculis illis tribus apicalibus subconfluentibus saturatius fuscis, maculis duabus terminalibus albis evidentioribus, costa brevius setulosa, & denique tibiis apice haud fuscis prædita, in omnibus reliquis nostræ *H. rufæ* simillima, sub nomine: "*Hel. trigrina* Meig." a Nobil. D. *Leon Dufour* e S:t Sever Galliæ nuper obtinui. Hæc vero individua cum descriptione Meigeniana *Helom. rufæ* exacte conveniunt & genuinam ejus speciem sine dubio constituunt. Si ita est, species Meigeniana & Falleniana diversæ sunt.

8. *H. flava:* flava, epistomate albicante; antennis rotundatis fulvo-flavis, seta sat longe plumata; abdominis incisuris tenuissime nigricantibus; alis pallide hyalinis, nervis transversis punctisque tribus apicis fuscis, costa distincte setulosa. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. 50. 3. ♂. Macq. Buff. 2. 411. 3. ♂♀. *H. rufa* Fall. Heteromyzid. 4. 2. ♂♀. (e parte). — *H. rufa* Zett. Ins. Lapp. 765. 3. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ pratis & silvis Jul. Aug. passim, in copula etiam capta; scilicet in Scania ad Esperöd &c.; in Smolandia *(Ljungh)*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena; in Uplandia ad Holmiam,

D. *Wahlberg;* in Bottniæ borealis silva Sangils prope Torneå, raro.

♂♀. Valde similis priori, a qua vero magnitudine plerumque paullo minore, colore totius corporis pallidiore, epistomate albicante, & imprimis alarum punctis tribus separatis minoribus obsoletis, ut & costa non fuscana. Frons & antennæ flavæ, seta fusca. Thorax pallide ochraceus immaculatus. Abdominis incisuræ mediæ anguste obscuræ. Alarum nervi transversi modice infuscati, longitudinales 2, 3 & 4 apice puncto majori l. macula fusca. Pedes toti pallide flavi, tarsis apice parum fuscis. Reliqua ut in præcedente.

9. *H. præusta:* flava, epistomate albicante; antennis oblongiusculis fulvo-flavis, seta sat longe plumata; abdominis incisuris tenuissime nigricantibus; alis pallide hyalinis, nervis transversis apiceque toto fuscis, costa distincte setulosa. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. 52. 10. — (Sub *Hel. rufa* Fall. Heteromyz. 4. 2. etiam latet).

Hab. in Scandinavia meridionali & media, Jul.—Sept., passim; scilicet in Scania ad Lindholmen, Widtsköfle, &c., haud rara; in Gottlandia ad Stenkyrka parce; e Dania sub nomine: "*H. rufa* Fall. (*H. flava* Meig. var.)" marem a D. *Stæger* quoque obtinui. (In pinetis ad Neuenkirchen prope Gryphiam Septembr. 1811 in utroque sexu a D. *Dahlbom* quoque lecta).

♂♀. Simillima *H. flavæ*, sed antennis paullo magis oblongis, nec rotundatis, ut & alarum apice toto fusco, maculis scilicet in apice nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 majoribus & confluentibus, nec discretis, differre videtur.

10. *H. tigrina:* ferruginea, fronte antice epistomateque albicantibus; antennis rotundatis fulvescentibus, seta breviter plumata; abdominis incisuris tenuiter, tarsorumque apice nigricantibus; alis pallide l. cinereo-hyalinis, nervis transversis maculisque tribus apicis fuscis, costa distincte setulosa. ♂♀. (Long. 2—2½ lin.).

Meig. Dipt. 6. 53. 11. certe. (exclus. syn. Fall. quod ad *Heteromyzam tigrinam* nobis pertinet). — Macq. Buff. 2. 412. 8. *Helom. flava* Zett. Ins. Lapp. 765. 4. ♂♀. *Hel. rufa* Fall. Heteromyz. 4. 2. (e parte).

Hab. in graminosis & foliis plantarum locis umbrosis, per hortos, prata & silvas Scandinaviæ, nec non in fungis terrestribus, a medio mensis Junii usque ad finem Septembris, vulgatissima, in copula multoties deprehensa; scilicet in Scania ubique copiose præsertim versus autumnum vigens; in Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia quoque vulgaris; in Gottlandia ad Ruthe, Nähr, Stenkyrka, Westö &c., frequens; in Bahusia; in Nericia ad Kärr; in Dalecarlia ex. gr. ad Rörshyttan; in Helsingia ad Arbrå; in Jemtlandia ad Faxelfven, Åreskutan, Mullfjellet &c. haud rara; in Ångermannia ad Hernösand; in Bottnia boreali ad Johannis Ro; in Lapponiis: Umensi ad Stensele, Tornensi ad Kengis, rarius; in Norwegia a Thynæs & Næs Værdaliæ usque ad Bossekop Finmarkiæ sat frequens; in Dania a D. D. *Stæger* & *Dahlbom* non parce lecta. (E Trawemündia, Hamburgo & Elisenheine (prope Gryphiam) a D. *Dahlbom*, & ut "*Hel. rufa* Macq." e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, communicata).

♂♀. Tribus proxime antecedentibus magnopere similis. *Hel. rufæ* (7) magnitudine & colore valde accedit & cum illa fa-

cile confundi potest, nisi ad setam antennarum multo brevius plumatam, nec longe radiatam & frontem antice albo-nitentem, attendas. Ab *H. flava* & *præusta* facile quoque dignoscitur, nempe ab illa alarum apice trimaculato, nec tripunctato, ab hac alarum maculis apicalibus discretis, nec confluentibus, & ab utraque colore corporis saturatius ferrugineo l. ochraceo, nec pallidius flavo, fronte antice albo-micante, ut & seta antennarum ut dictum breviter tantum plumata. — Inodora. Antennæ rotundato-ovatæ l. ovales. Frons antice indeterminate albida, subnitida. Thorax ad radicem setarum nigrarum puncto minuto nigro. Oculi in vira rufo-ferruginei l. sæpe miniati, leniter æneo-micantes, in cantho superiori lineola transversa maculiformi purpurea. Pedes in ♂ distincte hirti, femoribus perspicue incrassatis.

Obs. Sub *Helom. rufa* Fall. l. c. nostræ species: *H. rufa, flava, præusta* & *tigrina* latent. — *Helomyza tigrina* Fall. Heteromyz. 4. 3. costa nuda, nec setulosa, ne ciliata quidem, *Heteromyzæ* generi rectius subjicienda.

**) seta antennarum nuda. Antennæ articulo ultimo sæpe orbiculari. *Blephariptera* Macq. *Leria* Rob. Desvoid.

11. *H. longiseta:* flavo-testacea, epistomate albicante; antennis orbiculatis fulvis, seta elongata; oculis mediocribus; pedibus flavis, tarsis apice obscuris; alis cinereo-hyalinis, costa modice setulosa. ♂♀. (Long. 2—2¾ lin.).

Var. a. ♂♀. 2 lin. longa, thorace immaculato, abdomine in medio glaucescente, incisuris tenuiter nigricantibus.

Meig. Dipt. 6. 60. 31. *Hel. flavo-testacea* Zett. Ins. Lapp. 765. 5. ♂♀.

Var. b. ♂♀. 2½ fere 3 lin. longa, thoracis disco dorsali vittis 2 abbreviatis griseo-cinereis l. brunneis, posti-

ce interdum confluentibus, abdomine aut in medio lenissime glaucescente, incisuris obscurioribus, aut subimmaculato.

Hab. in graminosis & foliis fruticum, per Scandinaviam Jul. Aug. minus frequens: scilicet var. a. in Dania ad Hafniam a D. *Stæger* rarissime capta mihique in specimine masculo communicata; in Jemtlandia ad radicem alpis Mullfjellet utrumque sexum inveni; in Lapponia Umensi in monte subalpino Stöttingsfjellet etiam in utroque sexu deprehensa; varietatem b. tantum in Ostrogothia ad Wadstena parce legi.

♂♀. Rufo- l. flavo-testacea, subopaca, tenuiter pubescens, nigro-setosa. Frons flava. Antennæ breves orbiculares seu lenticulares fulvæ l. luteæ, seta capite paullo longiore, nuda, obscura. Epistoma albicans, seta utrinque mystacina ut in prioribus unica nigra. Organa oris flava. Abdomen in medio plerumque plus minus fuscescens, præsertim in ♂. Anus in ♂ distincte inflexus. Alæ subhyalinæ, nervis transversis interdum lenissime subinfuscatis. Halteres & pedes pallide flavi, tarsis apice obscuris.

12. *H. silvatica:* testacea, epistomate albicante; antennis orbiculatis fulvis, seta modice longa; oculis mediocribus; abdomine serie dorsali punctorum fuscorum; pedibus flavis, tarsis apice obscuris; alis cinereo-hyalinis, costa modice setulosa. ♀. (Long. 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. 60. 32. ♀.

Hab. in Scandinavia meridionali valde rara; e Dania a D. *Stæger* mihi missa.

♀. Similis priori, sed antennarum seta paullo breviore (longitudine scilicet fere capitis), colore corporis magis testaceo, ut

& abdominis dorso linea longitudinali media interrupta fusca, differt. Femina ovipara, ova oblonga alba.

13. *H. microphthalma:* ferrugineo-flava, epistomate pallescente; antennis orbiculatis, articulo ultimo obscuro, seta elongata; oculis parvis; pedibus flavis, tarsis nigris; alis subhyalinis, costa tenuiter setulosa. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania feminam unicam ad Lund 1 Jul., & utrumque sexum in silva Lindholmen 10 Jul., inveni.

♂♀. A proxime præcedentibus, quibus affinis, abunde dignoscitur: magnitudine duplo minore, epistomate infra oculos parvos longe descendente, genis elongatis, antennarum articulo ultimo nigricante, seta longissima, (longitudine nempe totius capitis & dimidii thoracis), & tandem tibiarum summo apice tarsisque totis nigricantibus. Proboscis nigricans l. fusca. — Cum *H. myopina* infra n:o 27 non confundenda.

Obs. Hel. microps Meig. Dipt. 6. 61. 33: "pallida; thorace cano", vix cum nostra identica.

14. *H. obscuriventris:* ferruginea, epistomate albicante; antennis orbiculatis luteis, seta modice longa; oculis mediocribus; abdomine nigricante; pedibus flavis, tarsis nigris; alis subhyalinis, costa tenuiter setulosa. ♀. (Long. $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Lapponia rarissime, mihi numquam obvia, sed in Lapponia Lulensi ad Qvickjock a D. Prof. *Boheman* inventa mecumque in unico exemplo pro descriptione communicata.

♀. Magnitudo prioris eique affinis, sed ab hac & ab omnibus antecedentibus abdomine toto nigro mox dignota. Frons & antennæ flavæ, seta longitudine capitis, nuda, obscura. Episto-

ma albicans, modice infra oculos descendens, seta utrinque mystacina unica nigra. Proboscis apice fusca. Genæ longiusculæ. Oculi mediocres. Thorax rufo-flavus, nigro-setosus, opacus, in disco dorsali macula dilute brunnea indeterminata. Scutellum flavum. Abdomen oblongum, nigrum, pubescens, opacum, apice acuminatum. Alæ cinereo-hyalinæ, setulis costalibus paucis (10—12), distantibus, non fortibus. Halteres albidi. Pedes flavi, pubescentes, tarsis totis nigris.

15. *H. flavifrons:* obscure ferruginea aut grisea; epistomate albicante; fronte lutea, antice flava; antennis orbiculatis fulvis, seta modice longa; oculis mediocribus; scutello, ano pedibusque rufis, femoribus anticis glaucescentibus; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis infuscatis, costa modice setulosa. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Var. a. ♂♀. thorace rufescenti griseo, abdomine, ano excepto, glauco.

Zett. Ins. Lapp. 766. 6. ♂♀.

Var. b. ♂♀. thorace abdomineque rufo-testaceis.

Hab. var. a. & b. promiscue in floribus Salicis, etiam succum exstillantem arborum sauciarum Betulæ quærens, libenter locis paludosis, per Scandinaviam præsertim borealem, ab ineunte Majo usque ad finem Julii, passim; scilicet in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Badstuguträsk & Almsele frequens, Lulensi, D. *Andersson*, & Tornensi ad pagum Wittangi & cataractam Pulkapola; e Lapponia in provincias inferiores descendit, & ad Johannis Ro Bottniæ borealis, ad Hernösand Ångermanniæ, ad Mullfjellet & Skalstugan Jemtlandiæ, atque ad Holmiam Uplandiæ (*Wahlberg*), parcius lecta; in Smolandia, collectio *Ljunghii;* in Scania ad Räften prope Lund semel etiam inveni; in Norwegia ad Dovre a D. *Boheman* observata;

e Dania a D. *Stæger* in unico specimine nuper communicata. (E Finlandia a Profess. *Sahlberg* missa).

♂♀. Similis & affinis *H. silvaticæ* (12), sed colore corporis obscuriore, pedibus rufescentibus, nec flavis, femoribus anticis glaucis, & nervis transversis infuscatis, certe diversa. Opaca. Frons fulva, antice flava, postice maculis 3 griseis. Antennarum seta longitudine fere capitis, fusca. Epistoma & genæ ut in priori. Instrumenta cibaria testacea. Oculi mediocres. Thorax rufescens, dorso aut griseo, certo situ vestigio linearum 2 (l. 3) brunnearum, aut ferruginante; setis nigris. Scutellum flavum. Abdomen plerumque cinereum l. glaucum, ano semper rufo; interdum totum rufescens; in ♂ subcylindricum, clavatum, cauda magna subtumida rufa subnitida; in ♀ lanceolatum, ano acuto. Pedes flavo-rufi, tarsis concoloribus, femoribus anticis plus minus glaucescentibus. A priori, cui proxime accedit, differt: alarum nervis transversis infuscatis, tarsis rufis, nec nigris, ut & ano rufo.

16. *H. ustulata:* "ferruginosa, epistomate albo; pedibus rufis: tarsis anticis maris ciliatis; alis nervis transversis apiceque fuscis, macula apicali trigona albida. (Long. 4 lin.)."

Meig. Dipt. 6. 54. 11. T. 57. f. 30. *Blephariptera* eadem Macq. Buff. 2. 412. 1.

Hab. in Dania, teste D. *Stæger;* mihi in Svecia numquam obvia.

"Frons flavo-testacea. Antennæ obscure brunneæ, articulo ultimo elliptico, subtus ferrugineo. Scutellum linea pallida. Alæ brunnescentes, costa rufo-flava. Nervi transversi infuscati. Apex alæ quoque fuscus, macula trigona alba inter apicem nervorum longitudinalium 2:di & 3:tii. Pedes ferruginei, tarsis apice fuscis. In mare pedes antice longe ciliati; tibiæ intermediæ intus, imprimis ad apicem nigro-pilosæ; femora postica subtus spinulosa". *Meigen* l. c.

B. Thorax obscurus: cinerascens, grisescens l. nigricans, (in *H. myopina* n:o 27 corpus cum partibus rufescens, tantum thoracis dorsum canum. *H. flavifrons* var. a. thoracis dorso griseo, abdomine cinereo, sub n:o 15 quærenda). Antennarum articulus ultimus orbicularis, seta nuda aut nudiuscula. *Blephariptera* Macq. *Leria* Rob. Desv.

a) setis mystacinis utrinque pluribus; fronte antice non prominente.

17. *H. serrata:* cinerascens, epistomate rufescenti albo; fronte antice fulva; antennis nigris, basi rufis, seta longiuscula; abdomine pedibusque ferrugineo-testaceis, tarsis apice obscuris; alis hyalinis immaculatis, costa distincte setosa. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Fall. Heteromyz. 4. 4. ♂♀. in diagnosi certe, (sub descriptione vero adjecta plures sequentium species latent, ut etiam e collectione Falleniana patet). — Vix Meig. Dipt. 6. 55. 15? Zett. Ins. Lapp. 766. 7. ♂♀. var. a. — *Musca serrata* Linn. Fn. Sv. n:o 1847. *Musca latrinarum* De Geer Ins. 6. p. 31. 10. T. 1. f. 15. ♀.

Hab. in latrinis, fungis putridis, fenestris, parietibus, nec non sub cortice Pini, (ubi etiam individua hybernare vidi), per Scandinaviam, a primo vere usque ad autumnum, vulgatissima, in copula etiam multoties observata; larvæ in stercoratis & sordidis degunt. Status pupæ 8—10 diebus. Occurrit nempe in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostrogothia, Uplandia, Jemtlandia (ad Ristansfors, Åreskutan, Mullfjellet & Skalstugan), Ångermannia & Bottniis occidentali atque boreali, ubique frequens; in

Lapponiis Umensi & Tornensi usque ad lacum Torneträsk & Muonioniska procedens, haud parce; in alpibus vero a me non observata; in Norwegia ad Christiania *(Moë)*, Garnæs & Suul Værdaliæ freq.; in Dania, D. *Dahlbom*.

♂♀. Opaca, pubescens, nigro-setosa. Frons fulva, antice flava, postice vertice ad oculos lineola utrinque cinerea. Orbitæ oculorum tenuissimæ, albæ. Occiput cinereum. Antennæ brevissimæ, articulis basalibus rufis, pilosis, ultimo nigricante l. obscure brunneo, seta capite fere paullo longiore, obscura, nuda, capillari, ima basi incrassata. Epistoma perpendiculare, rufescens, albo-micans, setis utrinque mystacinis nigris 3—4, superiori majori. Proboscis & palpi cylindrici flavo-testacea. Oculi mediocres, brunnei. Genæ longiusculæ, albidæ. Thorax cinereus l. schistaceus, lineolis subquinis fuscis, quarum 3 mediis plerumque perspicuioribus. Scutellum totum cinereum. Abdomen rufo-ferrugineum, segmentis præsertim posticis margine apicali nigro-setosis; in ♂ oblongum subdepressum, ano parvo rotundato, in ♀ lanceolatum apice sat longe acutum. Alæ abdomine multo longiores, hyalinæ, immaculatæ, costa distincte setosa. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes validiusculi, pubescentes, rufo-ferruginei, tarsis obscuris, metatarso rufo. Femora antica superne sæpe fusca.

18. *H. geniculata:* cinerascens, epistomate rufescenti albo; fronte antice fulva; antennis nigris, basi rufis, seta longiuscula; abdomine pedibusque ferrugineo-fuscis, ano plerumque geniculisque dilutioribus, tarsis apice obscuris; alis hyalinis immaculatis, costa mediocriter setosa. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 767. 13. ♀. Stæg. in Kröyers Tidsskrift 1845. p. 366. 50. ♂♀. *H. serrata* var. b. minor Zett. l. c. 766. 7. ♂♀.

Hab. in Scandinavia præsertim boreali Jun.—Aug., vulgaris, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund rarius; in Smolandia parce; in Jemtlandia ad Skalstugan copiose; in Lapponiis Svecicis frequens, nempe in Umensi ad Lycksele, Umenäs &c., Lulensi, D. ***Andersson***, Tornensi ad Juckasjervi. (E Grönlandia per D. ***Westermann*** mecum communicata).

♂♀. Simillima priori, sed magnitudine minore, & abdomine pedibusque obscurioribus distincta. Antennarum seta forte nonnihil breviore quam in præcedente. Punctum supra antennas album. Thorax & scutellum totum obscure cinerea, lineolis dorsalibus tribus fuscis parum perspicuis. Abdomen aut fusco-ferrugineum, aut sæpius fuscum apice ferrugineum, aut denique (præsertim in ♂) totum cinereum. Pedes imprimis antici fusco-ferruginei l. fusci, geniculis dilutioribus. Tarsi apice semper obscuri. Variat pedibus posticis sordide tantum ferrugineis. Reliqua ut in *H. serrata.*

b) seta mystacina utrinque unica.

* fronte antice nonnihil prominente.

19. *H. læta:* canescens, epistomate albo; fronte lutescente; antennis fuscis; scutelli summo apice pallescente; abdomine rufo-testaceo; pedibus flavis, tarsis obscuris; alis hyalinis immaculatis, costa breviter setulosa. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 58. 25. ♀. Zett. Ins. Lapp. 766. 8. ♂♀. — ***Helom. serrata*** variet. "thorace canescente & costa parum perspicue setulosa" Fall. Heteromyz. 4. 4. descript. — ***Heteromyza rufipes*** Zett. Ins. Lapp. 764. 3. ♂♀.

Hab. in fungis, parietibus, etiam in fenestris, per Scandinaviam a primo vere usque ad autumnum vulga-

ris; scilicet in Scania frequentissime; in Smolandia & Ostrogothia passim; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Jemtlandia ad Åreskutan, Mullfjellet & Stalltjernstugan non parce; in Ångermannia ad Hernösand; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele & Wilhelmina passim, & Tornensi ad Kengis & Juckasjervi rarius; in Dania, D. *Stæger*.

♂♀. Similis *H. serratæ* (17), sed differt præcipue: thorace lætius cinereo, scutelli apice summo pallescente, fronte nonnihil magis prominula, seta utrinque mystacina vix nisi unica, pedibus flavis, nec rufis, ut & costa multo brevius, nec distincte, setulosa. Frons leniter prominula, lutea, orbitis oculorum albidis, vertice & puncto ocellorum cinereis. Antennæ mediocres, subporrectæ, rotundæ, basi interdum rufescentes, articulo ultimo fusco l. nigro-fusco, seta modice longa, nuda. Epistoma infra oculos paullo descendens, albidum. Seta mystacina utrinque unica distincta, infra quam setulæ aliquot valde exiguæ. Genæ longæ, albidæ. Oculi minusculi rotundi, in viva læte rufi. Occiput canum. Thorax canus, antice lineolis 2 obscuris, vix ultra medium dorsi continuatis, interdum obsoletis. Scutellum canum, summo margine apicali testaceo. Metathorax canus. Abdomen rufo-testaceum, parum setosum, secundum sexum ut in *H. serrata* constructum. Alæ hyalinæ, costa breviter setulosa, setulis in mortua sæpe inflexis & tunc ægre nec nisi certo situ observandis. Squamæ parvæ & halteres alba. Pedes flavi, tarsis obscuris, metatarso testaceo. Femora antica sæpe subcanescentia. — An *Heteromyzæ* generi potius inserenda? *Heteromyzæ* certe prope accedit.

** fronte non prominente.

α) antennarum seta modice longa.

† alis immaculatis.

20. *H. ruficeps:* cinerea, epistomate albo; fronte lutea; antennis fulvis; abdomine rufo-testaceo; pedibus flavis, tarsis apice fuscis; alarum costa mediocriter setulosa. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 767. 9. ♂♀. *Hel. serrata* Fall. Heteromyz. 4. 4. descript. variet. "antennis luteis". — *Hel. serrata* Meig. Dipt. 6. 55. 15. videtur, exclus. synon. *Blephariptera serrata* Macq. Buff. 2. 413. 2? Leon Dufour Annal. des Scienc. Natur. 2. 12. Zool. 1839. p. 40. n:o 11?

Hab. in fungis, succo exstillante arborum, foliis fruticum &c., Aug. Sept., vulgaris, in copula quoque observata; scilicet in Scania ad Lund, Kjeflinge, Lackalänga, Abusa, Tranås, Esperöd &c., frequens; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena non parce; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan semel; in Svecia boreali rarissime.

♂♀. *H. serratæ* (17) valde similis & affinis, sed plerumque paullo minor, & antennis fulvis, nec obscuris, setis mystacinis paucioribus, thorace scutelloque lætius cinereis, pedibus pallidioribus, alarum costa brevius setulosa præsertim in ♀, &c. differt. Antennæ suborbiculares, fulvæ, seta nuda fusca. Thoracis dorsum antice lineis subtribus fuscis plerumque valde obsoletis vix conspiciendis. Halteres albidi. Pedes flavi, tarsorum articulis ultimis obscuris. *Mas:* ano crassiusculo, rotundato, inflexo, alarum costa mediocriter setulosa, femoribus incrassatis; *femina:* ano acuto, alarum costa breviter setulosa, femoribus simplicibus.

Var. a. ♂♀ abdomine rufo, in medio transversim fusco-maculato.

Var. b. ♂♀ abdomine rufo immaculato.

Obs. Marem hujus speciei in copula cum femina *Dryomyzæ flaveolæ* in succo exstillante arboris mense Majo ad Abusa Scaniæ semel inveni.

21. *H. humeralis:* cinerea, modice pubescens, epistomate albido; antennis, fronte, humeris, pleuris antice, scutello abdomineque ruso-testaceis; pedibus ruso-flavis, tarsis obscuris; alarum costa breviter setulosa. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 767. 10. ♂♀.

Hab. in graminosis & foliis fruticum per Scandinaviam Jul. Aug. passim; feminæ in cadaveribus Eqvi & Strigis Ululæ sæpe inventæ; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd in paroecia Tranås &c.; in Jemtlandia ad Skalstugan; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina, Frederica & Stöttingsfjellet, Lulensi ad Qvickjock, D. *Boheman*; in Norwegia ad Suul in jugo alpino freq. *(Dahlbom)*, atque in inferalpinis Noidlandiæ Finmarkiæque ex. gr. ad Finkrog & Bossekop non parce; e Dania ♀ sub nomine: "*Blephariptera ruficauda* var. *Hel. humeralis* Zett.?" quoque missa.

♂♀. A priori, cui similis, differt: antennis magis sordide rufis, nec pure fulvis, humeris thoraceque antice subtus rufis, ut & abdomine sæpe magis infuscato. — Opaca, mediocriter pubescens. Frons lutescens, orbitis oculorum albicantibus. Vertex & occiput cinerea. Antennæ orbiculares, rufo-testaceæ, seta nigra. Epistoma rufescenti album. Oculi in viva rufi. Thorax griseo-cinereus, supra setosus immaculatus, subtus nudus. Humeri semper, & pleuri antice plerumque præsertim in ♂ rufescentes. Scutellum rufum, in ♀ interdum cinerascens. Abdomen aut rufo-testaceum (plerumque in ♂), aut sæpe fuscum basi apiceque rufum, aut (plerumque in ♀) fuscum incisuris anoque rufo-testaceis. Alarum costa in ♂ modice, in ♀ breviter & parum perspicue setulosa. Pedes rufo-flavi, tarsis plus minus obscuris. Femora maris crassiuscula.

22. *H. ruficauda:* cinerea, distincte pubescens, epistomate albido; antennis, fronte anoque rufo-testaceis; pedibus rufo-flavis, tarsis obscuris; alarum costa perspicue setosa. ♂. (Long. circiter 1½ lin.).

Stæg. in litteris 5 Aug. 1843.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius, duo exempla mascula mecum communicata a Cel. *Stæger*, qui simul indicavit se quoque feminam in Dania invenisse.

♂. Valde affinis priori & ejus varietati "abdomine fusco" præsertim similis, sed abdomine distinctius setoso, thorace scutelloque griseo-cinereis immaculatis, nec callo humerali pectoreque antice rufis, abdomine cinereo, ano tantum rufo, ut & costa saltem in ♂ longius & distinctius setosa, differre videtur. Thoracis dorsum griseo-cinereum pubescens & setosum, certo situ lineolis subqvatuor fuscis obsoletis. Pectus cinereum, nudum. Scutellum cinereum, nudum, setis 4 ordinariis validis nigris. Abdomen pubescens, ad incisuras præsertim ad latera nigro-setosum; cinereum, ano rufo. Abdominis basi in altero exemplo rufescens. Alarum costa setosa. De cetero ut in præcedente. An solummodo ejus varietas?

23. *H. tibialis:* cinerea, immaculata, epistomate albido; antennis, fronte, cauda (♂), geniculis tibiisque rufo-testaceis, tarsis obscuris; alarum costa setulosa. ♂♀. (Long. 1¼ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 767. 12. ♂. Stæg. in Kröyers Tidsskrift 1845. p. 366. 49. ♂♀.

Hab. in Lapponia Tornensi rarissime; ad Kengis 22 Aug. 1821 in unico specimine inventa. In Scania ad Lund semel quoque deprehendi. (In Grönlandia, D. *Stæger.*)

♂. A priori, cui alias similis, dignoscitur: magnitudine nonnihil minore, abdominis incisuris minus setosis, setis nempe tantum postice ad latera paucis, cauda inflexa solummodo rufa, nec abdominis toto apice rufo, femoribus anticis totis & posterioribus superne cinereis. Punctum supra antennas albidum. Alarum costa breviter setulosa. Nervi transversi leniter subinfuscati.

♀ a D. *Stæger* l. c. nominatur, mihi de cetero ignota. Antennæ in speciminibus grönlandicis articulo ultimo nigro.

24. *H. minuta:* cinerea, epistomate albido; antennis, fronte, cauda pedibusque rufo-testaceis, tarsis obscuris; alarum costa brevissime setulosa. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 768. 11. ♀.

Hab. in Scandinavia boreali & Lapponia Jul. Aug. minus frequens, in copula deprehensa; scilicet in Lapponia Umensi ad Wilhelmina & Frederica; in Norwegia ad Suulstuen in jugo alpino situm rarius.

♂♀. Similis iterum *H. humerali* (21) & *tibiali* (23), sed ab illa thorace toto, scutello abdomineque cinereis, hujus apice summo tantum rufescente, ab hac femoribus rufo-flavis, nec cinereis, & nervis transversis ne lenissime quidem infuscatis, & ab utraque magnitudine minore & costa adhuc tenuius & brevius setulosa, differt. Femora antica interdum dilute subcinerascentia.

Obs. In Lapponia Lulensi ad Qvickjock Cel. Prof. *Boheman* par unicum copulatum invenit, cujus individua a nostra *H. minuta* non differunt nisi magnitudine nonnihil majore & antennarum articulo ultimo obscuro.

†† alarum nervis transversis infuscatis.

25. *H. fuscinervis:* læte cinerea, epistomate albicante; antennis fronteque luteis; scutello abdomineque

rufo-testaceis; pedibus rufo-flavis, tarsis apice obscuris; alarum costa distincte setulosa, nervis transversis infuscatis. ♂♀. (Long. 2 lin.).

Mas: thorace toto cinereo, abdomine lineari rufo-ferrugineo, dorso toto pube erecta sat densa fusca & setulis ad incisuras laterales aliquot nigris vestito, ano rotundato, pedibus fusco-pubescentibus;

Fem.: thorace læte cinereo, lateribus & pectore antice rufescentibus, abdomine lanceolato rufo-testaceo subnudo, setulis aliquot ad incisuras laterales nigricantibus, pedibus parum pubescentibus, sed femoribus antice pilis aliquot nigris vestitis.

Hab. in Svecia valde rara; duo tantum specimina lustravi, masculum nempe in Scania a me deprehensum, & femineum in Gottlandiæ insula Fårön ad cumulum arenosum Olle Hau dictum 24 Jul. 1811 a D. *Dahlbom* inventum.

♂♀. Proxime præcedentibus major. Frons luteo-flava, orbitis oculorum albidis. Antennæ orbiculares, fulvo-luteæ, seta mediocri, nuda, nigra. Thoracis dorsum certo situ vestigio lineolarum fuscarum. Scutellum planum, in ♂ rufo-cinereum, in ♀ rufum. Alæ costa distincte setosa, nervis transversis perspicue fuscedine cinctis. Halteres albidi. Tarsi apice leniter infuscati.

β) antennarum seta elongata l. longissima.

26. *H. scutellaris:* cinerea, epistomate albicante; antennis fronteque luteis; thoracis maculis sex fuscis; scutello anoque rufis; pedibus rufo-flavis, tarsis nigricantibus; alis immaculatis, costa distincte setosa. ♀. (Long. $2\frac{1}{2}$ fere 3 lin.).

Var. a. abdomine toto rufo-ferrugineo.

Zett Ins. Lapp. 767. 11. ♀. *Musca serrata* Fabr. Antl. 305. 103 (exclus. synonymis)?

Var. b. abdomine cinereo, ano rufo.

Helom. cæsia Meig. Dipt. 6. 56. 17?

Hab. in Scandinavia rarius; varietatem a. in Lapponia Umensi ad Tresunda 11 Jul. 1832 in unico exemplo inveni, & talem quoque sub nomine: "*Hel. serrata* Meig. non Fall." e Dania a D. *Stæger* obtinui; e variet. b. etiam tantum duo specimina vidi, alterum ad radicem alpis Åreskutan 1 Aug. a me lectum, alterum a D. *Stæger* ut variet. *Hel. serratæ* missum. In Ostrogothia ad Gusum, & in Kinnekulle Westrogothiæ ad Råbäck hæc species a Prof. *Wahlberg* quoque capta fuerit.

♀. In hoc genere magna. Frons lata fulva. Antennæ orbiculatæ luteæ, seta capite fere longiore nuda nigra basi leniter & indeterminate incrassata. Epistoma rufescenti albicans. Seta mystacina utrinque solitaria valida nigra. Proboscis ferruginea. Palpi flavi, extrorsum dilatati. Thorax cinereus, supra parce fortiter nigro-setosus, dorso in illæsis lineolis 2 remotis fuscis valde interruptis, relictis tantum in disco utrinque maculis 3 oblongis; in vetustis thorax supra obscure cinereus immaculatus, qualis in Insect. Lapponicis l. c. describatur. Calli humerales interdum rufescentes. Abdomen oblongum acutum puberulum ad incisuras parce setulosum; aut rufo-ferrugineum lineola dorsali interrupta nigra obsoleta, aut cinereum, ano rufo. Alæ hyalinæ, immaculatæ, basi flavicantes. Halteres albidi. Pedes validiusculi, puberuli, rufo-flavi, tarsis nigricantibus, metatarsis posterioribus rufis.

27. *H. myopina:* rufo-testacea, thoracis dorso canescente, maculis sex fuscis obsoletis; epistomate elongato albicante; antennarum articulo ultimo obscuro; oculis

parvis; tarsis fuscis; alarum costa modice setosa. ♂. (Long. $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania loco paludoso ad Esperöd in paroecia Tranås d. 30 Aug. 1820 duo specimina inveni.

♂. Affinis *H. microphthalmæ* n:o 13, sed magnitudine paullo majore, capite subbuccato, thorace supra cinereo, &c., certe distincta, Meigeni *Hel. pallescenti* & *microps* atque Macqvarti *Blephar. macrostylæ* accedens. Opaca. Frons lata flava, puncto ocellorum nigricante. Antennæ basi rufæ, articulo ultimo orbiculari obscuro l. nigricante, seta capite fere duplo longiore, nuda, fusca, basi vix incrassata. Epistoma perpendiculare, longe descendens, albicans, seta mystacina utrinque solitaria, validiuscula, nigra. Proboscis fusco-testacea. Palpi retracti flavi. Oculi parvi. Thorax rufo-testaceus, dorso cinereo, maculis 6 fuscis ut in priori picto, sed in *myopina* sat obsoletis. Macula pectoralis cinerascens. Humeri rufi. Scutellum rufum, basi cinerascens. Abdomen rufo-testaceum, ad incisuras posticas nigro-pilosum. Anus inflexus. Halteres albidi. Pedes ut in præcedente.

28. *H. fenestralis:* grisea, epistomate albicante; fronte, scutello, ano pedibusque rufo-flavis; antennis obscuris, basi rufis; oculis parvis; tarsis fuscis; alarum costa distincte setosa. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Heteromyz. 5. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 18 (secundum Fallén descripta).

Hab. in graminosis, foliis fruticum, fenestris, &c., per Scandinaviam meridionalem & mediam a mense Aprili & Majo usque ad Novembrem vulgaris, in copula sæpe capta; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Tranås, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, in Uplandia ad Holmiam & Upsaliam,

D. *Marklin*, sed supra hanc provinciam haud observata; e Dania a D. *Stæger* missa.

♂♀. Duabus proxime præcedentibus affinis & similis, sed differt: ab *H. scutellari* antennarum articulo ultimo obscuro l. nigricante, nec fulvo, seta paullo longiori, oculis nonnihil minoribus, thorace sordide griseo, nec canescenti cinereo, subimmaculato seu lineolis dorsalibus tantum rudimentariis, ab *H. myopina* thorace toto griseo, nec subtus & lateribus rufescente, epistomate in medio subretuso, nec subconvexo, & ab utraque magnitudine paullo minore. Oculi in viva rufo-ferruginei, orbitis albidis. Vertex setosus. Occiput cinereum. Proboscis magna fusca. Palpi flavi. Humeri sæpe rufescentes. Alarum costa evidenter setosa. Nervi transversi interdum leniter infuscati. Pedes præsertim tibiæ parce spinulosæ. Anus maris rotundatus inflexus rufus.

---

173. HETEROMYZA Fall.

Corpus mediæ aut minoris magnitudinis, ovato-oblongum, molliusculum, parum pubescens, setis in frontis postico thoracisque dorso ordinariis, scutelloque 4, omnibus validiusculis. Caput subrotundatum. Frons in utroque sexu lata (in *H. oculata* angusta), antice non prominula. Antennæ oblique porrectæ, breves, articulo ultimo orbiculato compresso, basi seta dorsali modice longa nuda. Epistoma perpendiculare, infra oculos nonnihil descendens, apice non reflexum, seta mystacina utrinque sæpissime unica (in *H. buccata* nulla). Haustellum geniculatum. Proboscis & palpi ut in *Helomyza*. Oculi parvi (in *H. oculata* magni), rotundi, nudi, in viva rufo-ferruginei, æneo-micantes, unicolores. Thorax, scutellum & abdomen ut in *Helomyza*. Alæ quoque ut in illa, sed nervus auxiliaris plerumque ad medium fere costæ extensus (unde nervus trans-

versus medius nonnihil ante apicem nervi auxiliaris situs), a secundario distincte remotus, in *H. hilarella* n:o 6 subsimplex. Costa omnino nuda, nec setosa. Squamæ parvæ ciliatæ. Pedes ut in *Helomyza* etiam secundum sexum. *Color* cinereus aut pallidus. *Motu* haud agilis; reptatu sæpius quam volatu aufugit. *Habitatio* in foliis fruticum, graminosis, truncis arborum, floribus, fenestris. *Metamorphosis* forte ut in genere præcedente (cfr. *Heteromyza buccata*). *Differentia sexus; mas:* abdomine angustato subcylindrico, ano rotundato, femoribus sæpissime nonnihil incrassatis, saltem semper validis; *femina:* abdomine lanceolato, ano acuto, femoribus simplicibus. Genus valde affine *Helomyzæ* & ab illa vix nisi alarum nervo auxiliari longius extenso & costa inermi minime setulosa diversum. *Typi: Heteromyza buccata* & *flavipes.*

A. Oculi saltem in mare magni oblongiusculi in fronte approximati.

1 *oculata* Fall. ♂.

B. Oculi in utroque sexu late distantes.

a) ore non mystacino.

2 *buccata* Fall. ♂♀.

b) ore seta mystacina utrinque instructo.

* thorace cinereo.

3 *flavipes* Zett. Ins. Lapp. (*Helom. serratæ* var. Fall.) ♂♀. 4 *tarsalis* Wahlb. ♂.

** thorace pallido.

5 *tigrina* Fall. ♂♀. 6 *hilarella* Zett. n. sp. ♂.

Heteromyza.

A. Oculi saltem maris magni oblongiusculi, in fronte approximati.

1. *H. oculata:* thorace griseo-cinerascente supra brunneo-maculato; epistomate albicante; antennis fuscescentibus; fronte, scutello pedibusque luteis; tarsis obscuris; alis cinereo-hyalinis immaculatis. ♂. (Long. 3 lin.).

Fall. Heteromyz. 2. 1. ♂ (♀ ibi descripta & in collectione defuncti Viri asservata tantum individuum masculum paullo læsum videtur). — Apud Meigen & Macqvart tantum e descriptione Falleni transscripta est.

Hab. in Svecia rarissime, duo tantum specimina hactenus cognita, unum in Wermelandia ad villam Årås a me 1814 detectum, & alterum in Scania ad Esperöd in fenestra a beato *Fallèn* inventum.

♂. Per oculos magnos, suboblongos, in frontis postico fere cohærentes a reliquis hujus generis statim dignoscenda. Frons lutea, antice modice lata posterius sensim angusta. Vertex setosus. Antennæ subporrectæ, fusco-luteæ, articulis basalibus brevibus, ultimo mediocri orbiculari, seta modice longa. Epistoma ad latera striatum, inferne dilatatum. Seta mystacina mediocris nigra. Proboscis sordide lutea. Palpi subcylindrici, lutei, apice pilosuli. Oculi fere tota capitis latera implent. Thorax cinerascens, dorso vittis 4 latiusculis brunnescentibus, mediis integris, lateralibus subinterruptis. Scutellum flavo-cinerascens, macula media brunnea. Abdomen thorace angustius, flavo-testaceum, nigro-pilosum præsertim ad incisuras. Alarum nervi: auxiliaris fere ultra medium costæ extensus, transversus medius evidenter ante apicem auxiliaris insertus. Pedes simplices, mutici, flavi, tarsis nigricantibus, posticis basi flavidis. Femora antica lutea, pilosa.

B. Oculi in utroque sexu late distantes.

a) ore non mystacino.

2. *H. buccata:* thorace cinereo; capite buccato, abdomine pedibusque rufo-flavis; antennis fuscis; tarsis obscuris; alis immaculatis. ♂♀. (Long. 1½—fere 2½ lin.).

Fall. Heteromyz. 2. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 47. 4. (e descriptione Falleniana transscripta). — Zett. Ins. Lapp. 763. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum, floribus Umbellatarum & Compositarum, fenestris, &c., etiam in litoribus marinis ubi sub fuscis rejectis metamorphosin subit, a mense Majo usque ad Octobrem, per Scandinaviam præsertim meridionalem & mediam vulgaris; scilicet in Scania & interiore & litorali ubique sat copiose; in Ölandiæ & Gottlandiæ litoribus marinis non parce; in Bahusia ad Marstrand, D. *Wahlberg;* in Uplandia, D. *Marklin;* in Jemtlandia ad Åreskutan rarius; in Norwegia ad Thynæs &c. passim; in Dania freq., D. *Stæger.* (In insula Helgolandia in utroque sexu a D. *Dahlbom* etiam frequenter lecta).

♂♀. *Helomyz. serratæ* (17) similis, sed sæpe paullo major & capite subbuccato, alarum costa inermi oreque setis mystacinis destituto, mox dignota. Frons rufo-flava. Antennæ proportione parvæ, rufescentes, articulo ultimo l. toto l. saltem extrorsum obscuro aut fusco-luteo, seta modice longa. Epistoma rufescenti albo-corneum, descendens, setulis oris minutissimis, at mystacibus nullis instructum. Genæ elongatæ. Oculi rotundi, parvi. Thorax cinereus l. griseus, callo humerali sæpe rufescente. Scutellum cinereum. Abdomen rufo-testaceum, pubescens præsertim in ♂. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis transversis leniter subinfuscatis. Nervus transversus medius mox ante apicem auxiliaris ductus. Halteres albi. Pedes rufo-flavi, pube-

scentes imprimis in ♂; parum spinulosi, tarsis obscuris. Femora ♂ valida, ♀ simpliciora.

Obs. Hæc species vix *Helomyz. læta* Meig., quæ setam mystacinam habet, esse potest. Conferatur interea Meigen. Dipt. 7. p. 366.

b) ore seta mystacina utrinque instructo.

* thorace cinereo.

3. *H. flavipes:* thorace cinereo, epistomate albicante; fronte, antennis, scutello abdomineque rufo-testaceis; pedibus flavis, tarsis obscuris; alis hyalinis, nervo transverso ordinario leniter infuscato, costa versus basin puncto fuscano obsoletissimo. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 763. 2. ♂♀. — Sub variet. *Helomyz. serratæ* Fall. Heteromyz. 4. 4. in descriptione: "alarum costa setis vix conspicuis", latet.

Hab. in foliis fruticum, graminosis &c., per hortos & prata Scandinaviæ a mense Junio usque ad Octobrem vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Tranås, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena, non parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad radicem Åreskutan rarius; in Bottnia boreali ad Karungi; in Norwegia ad Garnæs & Suul Værdalhæ; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Similis & affinis *Helom. serratæ* (17) & *lætæ* (19), sed ab illa seta mystacina utrinque unica distincta, ab hac scutello plerumque fere toto rufo, & ab utraque nervo transverso ordinario subinfuscato, costa omnino mutica, & macula parva in interstitio inter apices nervi auxiliaris & secundarii fuscana sæpius valde obsoleta, differt. Ab *Heterom. buccata*, cui etiam similis, capite non buccato & ore mystacino abunde

dignoscitur. Antennæ orbiculares rufæ l. fusco-rufæ, seta mediocriter longa, nuda, obscura. Humeri interdum rufescentes. Macula alarum costalis fuscana ad apicem nervi secundarii sita. Pedes rufo-flavi, tarsis obscuris, metatarsis posticis rufis. Femora antica interdum cinerascentia.

4. *H. tarsalis:* thorace cinereo, epistomate albicante; fronte, antennis, scutello abdomineque rufo-testaceis; pedibus flavis, tarsis obscuris, horum anticis in ♂ dilatatis; femoribus anticis supra fusco-lineatis; alis hyalinis, nervis transversis leniter infuscatis. ♂. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Wahlberg in litteris.

Hab. in Svecia media, ubi in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam a Cel. Prof. *Wahlberg* detecta, a me numquam capta.

♂. Priori simillima, sed paullo minor & antennarum seta distincte biarticulata, articulo 1:mo & basi 2:di incrassatis, dein capillari. Tarsi antici distincte dilatati nigri. Antennæ pallide testaceæ, articulis basalibus brevissimis. Femora antica supra linea nigro-fusca. Scutellum pallidum, basi cinerascens. (*Wahlberg*).

Obs. *Heteromyza rufipes* Zett. Ins. Lapp. 764. 3. adcuratiori examini subjecta, non nisi varietas *Helomyzæ lætæ* esse jam mihi videtur.

** thorace pallido.

5. *H. tigrina:* pallide flava; vitta pectorali abdominisque segmentis basi brunneis; alis maculis subtribus fuscis. ♂♀. (Long. 2—$3\frac{1}{4}$ lin.).

Fall. Heteromyz. 4. 3. ♂♀. genuina.

Hab. in Svecia media valde rara; qvatuor tantum specimina nempe 3 mascula & 1 femineum lustravi; horum 2 mares in fenestra ad diversorium Barnarp prope Junecopiam Smolandiæ 21 Aug. 1841 a D. *Dahlbom* capti; in Ostrogothia ad Lärketorp uterque sexus a me inventus; in cubiculo ad Gusum atque in Holmia a Prof. *Wahlberg* quoque capta.

♂♀. Per picturam pleurarum, abdominis alarumque ab aliis facile dignota, cum *Helomyza tigrina* Auctorum & nobis, pag. 2444 descripta, costa setosa instructa, vix confundenda. Magnitudine variat. Tota pallide flava, opaca, setis ordinariis sat validis nigris. Frons minime prominens per totam longitudinem utrinque serie simplici nigro-setosa. Antennæ minusculæ, rotundæ, flavæ, articulo ultimo interdum in ♂ lenissime subfuscano; seta modice longa pubescens fusca. Epistoma flavoalbicans, seta utrinque mystacina valida nigra, sub qua alia parva. Palpi cylindrici & proboscis pallide flava. Genæ elongatæ. Oculi majusculi rotundi. Vitta pectoralis lanceolata dilute brunnea ab humeris ad radicem alarum ducta. Scutellum pallidum, 6-setosum. Metathorax brunneo-maculatus. Abdomen flavum parce nigro-setosum, segmentis basi sat late brunnescentibus, mediis basi nigricantibus; in ♂ angustum cylindricum, ano rotundato inflexo, in ♀ lanceolatum. Alæ pallescentes, maculis 3 magnis brunneis, harum 1:ma in costa ad apicem nervorum auxiliaris & secundarii sita, 2:da nervum transv. ordinarium late transit, & 3:tia terminalis apices nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 cingit & in tres sæpe divisa, quarum costalis major saturatior. Alula magna. Squamæ vix ullæ. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, tarsis concoloribus; tenuissime nigro-puberuli. Femora antica in ♂ subtus brevissime nigro-setulosa, in ♀ nigro-pilosa.

6. *H. hilarella:* flava, abdominis segmentis mediis

brunneo-maculatis; alis pallidis, immaculatis, nervo auxiliari subsimplici. ♂. (Long. fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Norwegia rarissime; ad diversorium Suulstuen in jugo alpino 12 Jul. 1840 individuum descriptum inveni.

♂. Nervo auxiliari fere simplici seu a secundario vix l. parum remoto, ab antecedentibus essentialiter diversa. Habitus *Cordyluræ*, sed antennis orbiculatis &c. mox dignota. Parva, tota flava, subnitida. Frons postice nigro-setosa. Antennæ majusculæ, subsessiles, saturate flavæ, seta modice longa, nudiuscula, obscura. Epistoma flavo-albicans, margine apicali non reflexo, seta utrinque mystacina solitaria longiuscula nigra. Palpi & proboscis flava. Oculi minusculi rotundi. Scutellum 4-setosum. Abdomen longitudine thoracis, sublineare, puberulum, sed vix setosum, flavo-testaceum, segmentis dorsalibus 3 & 4 indeterminate brunneo-maculatis. Anus rotundatus. Alæ abdomine paullo longiores, pallescentes. Nervi: auxiliaris subsimplex fere ad medium costæ ciliatæ extensus; transversus medius apici auxiliaris præcise oppositus. Squamæ parvæ & halteres albida. Pedes toti flavi, puberuli, sed haud setulosi. Femora crassiuscula.

Obs. *Heterom. bicolor* Zett. Ins. Lapp. 764. 4. sub *Helomyza pallida* var. e. hujus operis pag. 2436 n:o 1 invenienda.

---

174. ACTORA Meig.

Corpus majoris magnitudinis, oblongum breviter puberulum opacum, setis in vertice thoracisque lateribus & postico paucis, scutelloque 4. Caput subrotundatum. Frons in utroque sexu latissima, antice leniter prominula. Antennæ sub margine frontis antico insertæ, parvæ, late distantes, articulis basalibus brevibus, latis, ultimo subgloboso, seta dorsali haud longa nu-

da, basi validiuscula. Epistoma perpendiculare sat longe descendens, antice emarginatum, absque setis mystacinis. Palpi leniter clavati, extus distincte pilosi. Haustellum geniculatum, proboscide crassa. Oculi minusculi, rotundi, nudi. Thorax in medio laterum rudimento suturæ transversæ. Scutellum subconvexum. Abdomen segmentis 6, subæque longis, 2:do nonnihil longiori, ultimo minori. Alæ abdomine paullo longiores, incumbentes. Nervi: auxiliaris paullo ultra medium costæ extensus, ad apicem a secundario sat late remotus; longitudinales simplices subparalleli, 6:tus usque ad marginem interiorem productus; transversi: ordinarius subperpendicularis rectus ad marginem retractus, in medio l. mox ante medium areæ ultimæ insertus, medius nonnihil ante apicem auxiliaris ductus. Areolæ basales æque longæ. Costa in medio brevissime & parce setulosa. Alulæ majusculæ. Squamæ parvæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, subinermes, tibiis præsertim intermediis parce setulosis, apice calcaratis. *Color* cinereus. *Motu* non vivax: volatu brevi perterrita aufugit. *Habitatio* in litoribus marinis, ubi *metamorphosin* sub Fucis subit, observante Cel. *Dahlbom*. *Differentia sexus; mas:* ano parvo rotundato parum inflexo, abdomine pedibusque villosis; *femina:* ano acutiusculo, abdomine pedibusque breviter puberulis.

1. *A. æstuum:* cinerea, epistomate albicante; antennis nigris; alis albidis, nervo transverso medio infuscato; tibiis tarsisque sordide testaceis. ♂♀. (Long. 3 fere 4 lin.).

Meig. Dipt. 5. 403. 1. ♂♀. Tab. 54. f. 19. 20. Macq. Buff. 2. 500. 1. ♂♀. T. 20. f. 14. ♂.

Hab. in litore boreali Selandiæ, D. *Stæger*. (In litoribus marinis insulæ Helgolandiæ Jul. 1838 in utroque sexu a D. *Dahlbom* copiose lecta. Etiam e Kilia a D. *Boije* mihi communicata).

♂♀. Habitus *Copromyzæ* & *Orygmæ*, sed multo major & diversa. Supra griseo-cinerea, subtus & abdomine glaucescens.

Frons plana, pube brevissima depressa nigra. Antennæ nigræ. Epistoma albicans, tenuissime nigro-puberulum. Palpi & proboscis obscura. Pectus vitta longitudinali grisea. Scutellum cinereum, maculis 2 griseis. Alæ albidæ, nervis sordide albis, transverso medio distincte infuscato. Squamæ & halteres alba. Pedes cinerei, tibiis & tarsis albido-testaceis.

---

175. ORYGMA Meig.

Corpus mediæ magnitudinis oblongo-ovale subdepressum opacum pubescens, setis in fronte & thorace paucioribus, scutelloque 4, distinctioribus. Caput subtriangulare. Frons in utroque sexu latissima, plana, antice paullo prominens. Antennæ brevissimæ, parvæ, sat late distantes, sub margine frontali insertæ, articulo ultimo rotundato-ovali compresso, basi seta dorsali mediocri, nuda. Epistoma valde reclinatum convexum nitidum, sub antennis bifoveolatum, area media æque lata, inferne setis mystacinis paucis spuriis. Palpi & proboscis retracta. Genæ elongatæ. Oculi parvi ovales horizontales. Thorax ad latera rudimento suturæ transversæ. Abdomen ovale 6-annulatum pubescens & setulosum. Alæ longitudine abdominis. Nervi: auxiliaris fere ad medium costæ extensus, a secundario nonnihil remotus; longitudinales paralleli, horum 6:tus abbreviatus non ad marginem interiorem productus; transversi non late remoti, perpendiculares, recti, horum ordinarius paullo ante medium areæ ultimæ insertus, medius apici auxiliaris oppositus. Areolæ basales inæque longæ. Costa nuda. Alulæ parvæ. Squamæ rudimentariæ. Pedes validi pubescentes & toti parce setosi. *Color* niger. *Motus* ut in *Heteromyza* & *Actora*. *Habitatio* in Fucis marinis sub quibus in litore rejectis metamorphosin subit. *Differentia sexus; mas:* abdomine paullo angustiore, ano majusculo rotundato, cauda cornea inflexa; *femina:* ano simplici acutiusculo.

1. *O. luctuosa:* sordide nigra opaca, epistomatis area media ferruginea; antennarum basi, tibiis tarsisque piceo-testaceis. ♂♀. (Long. circiter 2½ lin.).

Meig. Dipt. 6. 6. 1. ♂. T. 55. f. 17. Macq. Buff. 2. 419. 1. ♂. T. 18. f. 18. Zett. Ins. Lapp. 768. 1. ♂♀.

Hab. in litoribus arenosis & lapidosis ubi Fuci rejecti ad mare boreale & glaciale Norwegiæ, Jun. Jul. passim copiose, in copula etiam sæpe observata; scilicet in toto litore Norwegico a Trondhjem usque ad Nordcap frequens. In litore maris Bahusiæ ad Marstrand a Cel. Prof. *Wahlberg* quoque inventa. (In Helgolandia, D. *Dahlbom).*

♂♀. Circiter 1 lin. lata. Ovalis subdepressa, utrinque subobtusa, tota nigra opaca pubescens & setosa. Antennæ piceæ, articulo ultimo nigro, seta nuda fusca. Setæ 3—4 utrinque ad os, parvæ, æque longæ. Thorax subquadratus. Alæ subfusco-hyalinæ, nervis validiusculis obscuris. Squamæ sordide albæ. Halteres albi. Pedes nitidi, in nuper exclusis toti fusco-testacei l. lividi, in adultioribus testacei, femoribus nigris.

---

176. COELOPA Meig.

Corpus minoris magnitudinis oblongum depressum setosum. Caput parvum. Frons in utroque sexu latissima, setosa, antice leniter prominula. Antennæ deflexæ, parvæ, articulo 1 minuto, 2 majori cyathiformi, ultimo orbiculari, in medio dorsi seta mediocri, nuda. Epistoma antice breve, excisum, lateribus infra oculos paullo descendens; pilosum, ore prominulo, setis mystacinis pluribus. Proboscis magna, sæpius prominens. Palpi parvi. Oculi transversim ovales l. subrotundi. Thorax subqua-

dratus, in medio nonnihil latior, lateribus parce setosus. Scutellum setis 4, horum 2 basalibus minutis. Abdomen oblongum depressum, segmentis distinctis 5 subæqualibus. Alæ abdomine nonnihil longiores. Nervi longitudinales omnes recti & ad marginem alæ extensi, horum auxiliaris a secundario subsejunctus, ad medium costæ productus; 3 & 4 paralleli. Nervi transversi modice remoti, perpendiculares, ordinarius nonnihil ante medium areæ ultimæ insertus. Areolæ basales inæque longæ. Costa omnino nuda, & spinula nulla. Squamæ rudimentariæ. Pedes validi pilosi & sat dense setosi, femoribus subincrassatis, metatarso postico simplici, nec abbreviato nec insigniter incrassato. *Color* niger. *Motu* agilis: perterrita celeriter currit, breviter volat. *Habitatio* in stercoratis, sub foliis deciduis putridis, Fucis e mare rejectis, &c. *Differentia sexus; mas:* abdomine paullo angustiore, apice distinctius setoso, ano obtuso; *femina:* abdomine saltem magis nitido, ano acutiori. *Typus* generis *C. frigida.*

1. *C. frigida:* nigricans subopaca, antennarum basi pedibusque obscure testaceis; alarum nervo longitudinali 5:to non exacte usque ad summum marginem extenso; pedibus spinosissimis. ♂♀. (Long. circiter 2 lin.).

Meig. Dipt. 6. 8. 1. ♂♀. T. 56. f. 5. — Macq. Buff. 2. 502. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 769. 1. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 307. 116. var. junior. — *Copromyza* Fall. Heteromyz. 6. 1. ♂♀.

Hab. in stercoratis & Fucis rejectis ad litora marina, saltem in vicinitate litorum, per Scandinaviam meridionalem & mediam, ab initio Junii usque ad Octobrem, passim copiose; scilicet in Scaniæ litoribus ubique; in Blekingia; in Ölandia; in Gottlandia ad Hoburg &c.; in Bahusia ad Marstrand, & in Uplandia ad Holmiam (in florib. Salicis Capreæ), D. *Wahlberg*; in Dania ad Hafniam vulgaris, D. *Stæger*; in Norwegia, teste *Fabricio.*

(In insula insigni Helgolandia a D. *Dahlbom* Jul. 1838 frequenter lecta).

♂♀. Nigricans, mas opacus, femina subnitens, præsertim abdomine. Caput undique setosum, prælabro prominulo glabro cinereo l. griseo. Antennæ basi obscure testaceæ, articulo ultimo nigro. Proboscis testacea l. fusca. Thorax dorso glaber, striis 3 tenuissimis nigris; lateribus setosus. Scutellum glabrum, setis 2 apicalibus distinctis. Abdomen nudiusculum, postice præsertim in ♂ setosum. Alæ sordide hyalinæ, nervis transversis leniter subinfuscatis. Nervus longitudinalis 5:tus paullo infra transversum ordinarium evanescens, non omnino in summum marginem alæ interiorem descendens. Alula distincta. Squamæ & halteres nudi, alba. Pedes picei, plerumque testacei, femoribus anticis sæpe obscurioribus; toti pilosi & spinosi. — Individuum "lividum", quod *Fabricius* l. c. descripsit, verosimiliter varietas nuper exclusa. Qvalia interdum ipse legerim.

2. *C. nitidula:* nigra subnitens, pedibus obscure testaceis; alarum nervo longitudinali 5:to usque ad marginem extenso; pedibus pilosis, parce setosis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Scandinaviæ meridionalis & mediæ pratis & pascuis, plerumque in vicinitate litorum maritimorum, Jun.—Sept. passim, e nympha etiam aliquoties mihi exclusa; scilicet in Scania: in litore maris balthici ad Esperöd, sed præsertim ad Smye Fiskläge (in maxime meridionali promontorio Sveciæ) in Urtica, Atriplice aliisque plantis litoralibus sat copiose; in Ölandia; in Gottlandia ad Öja, Nähr &c.; in Norwegia ad Thynäs in utroque sexu capta; in Dania etiam lecta. (Ad Stubbenkammer Rügiæ & in Helgolandia a D. *Dahlbom* frequenter inventa).

♂♀. Priori valde similis & affinis, sed magnitudine duplo minore, corpore præsertim feminæ forte nonnihil magis nitente, alarum nervo longitudinali 5:to usque in summum marginem interiorem descendente, ut & pedibus villosis l. pilosis, parce tantum setosis, nec spinosis, mihi distincta videtur. Antennarum basis quoque plerumque obscurior. Cetera ut in *C. frigida.*

3. *C. Fucorum:* grisea opaca, thoracis dorso pilosulo; pedibus flavis; abdomine livido, medio (♂), aut incisuris (♀) obscuris; alarum nervo longitudinali 5:to fere ad marginem extenso; pedibus breviter pilosulis. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Wahlberg in litteris.

Hab. in Bahusiæ litore marino, ubi sub Fucis a Cel. Prof. *Wahlberg* detecta, mihique ♀ in unico exemplo communicata; marem in Svecia ipse deprehendi.

♂♀. Affinis priori ejusque individuis minoribus æqvalis; sed thoracis dorso griseo, opaco, toto distincte licet breviter setuloso, abdomine sordide testaceo, incisuris nigricantibus, &c., sine dubio diversa. Caput fusco-testaceum, epistomate pallidiore. Antennæ nigræ, basi testaceæ. Abdomen apud marem in medio, apud feminam incisuris tenuiter, obscurum. Alæ cinereo-hyalinæ. Pedes flavo-testacei, sat crebre & breviter pubescentes, sed non spinulosi neque setosi; antici tibiis apice tarsisque totis obscuris; postici tarsis apice fuscis.

Obs. An specimina seniora obscuriora sunt? Generi *Therinæ* Meig. hæc species quodammodo accedere videtur.

177. COPROMYZA Fall.

Corpus minoris magnitudinis aut parvum, oblongo-ovatum subdepressum parce puberulum & setulosum. Caput thorace paullo angustius, subrotundatum. Frons in utroque sexu latissima, setosa, antice leniter prominula. Antennæ subdeflexæ, parvæ, subsessiles, orbiculatæ, seta dorsali longa capillari nuda aut subnuda. Epistoma breve impressum subnudum, setis mystacinis utrinque unica l. paucis. Prælabrum prominulum. Apertura oris ampla. Proboscidis capitulum magnum. Oculi parvi rotundi, in viva nigro-ferruginei, unicolores. Thorax oblongo-quadratus, callis humeralibus distinctis; lateribus setosus, pubescentia dorsali brevi in lineas digesta. Scutellum 4-setosum. Abdomen oblongum depressum, segmentis 5 plus minus inæqualibus. Alæ abdomine paullo longiores (in exoticorum *Apterina pedestri* nullæ). Nervi varie directi; longitudinales: recti aut subcurvati, horum aut omnes integri, aut jam (raro) 4:tus jam (sæpe) 5:tus (sed non uterque) abbreviatus; transversi perpendiculares, plerumque late remoti, interdum sat approximati, ordinarius in medio aut ante medium areæ insertus. Nervus auxiliaris brevis, sæpe vix 4:tam costæ partem attingens, a secundario haud remotus. Costa mutica. Pedes validi, sæpe spinulosi, metatarso postico brevi, incrassato, articulo 2:do etiam sæpe sequentibus crassiori. *Color* niger. *Motu* sat agilis: celeriter currit, breviter volat. *Habitatio* in stercoratis, graminosis humidis & Fucis, ubi sociatim interdum occurrunt. Victus larvarum in fimeto & limo riparum. *Differentia sexus; mas:* genitale parvo, inflexo, femoribus præsertim posticis sæpe crassioribus; *femina:* vagina anali articulata retractili. *Typus* generis: *Copromyza equina* n:o 3.

*). Alarum nervi longitudinales: 5:tus mox infra angulum nervi transversi ordinarii abruptus; 4:tus non abbreviatus; transversi sat longe (in *C. vitripenni* n:o 11 valde) remoti. *Borborus* Meig. Macqv.

1 *nitida* Meig. ♂♀. 2 *nigra* Meig. (*Copr. eqvina* var. c. ♀. Zett. Ins. Lapp.) ♂♀. 3 *eqvina* Fall. (var. a. b.) ♂♀. 4 *geniculata* Macq. (*Copr. eqvina* var. β. Fall.) ♂♀. 5 *borealis* Zett. n. sp. ♂. 6 *fuscipennis* Stæg. (*Borb. fimetarius* Meig.??) ♂♀. 7 *tibialis* Zett. n. sp. (*Borb. stercorarius* Meig.??) ♂. 8 *costalis* Stæg. (vix *Borb. costatus* Meig.) ♂♀. 9 *sordida* Zett. n. sp. ♂♀. 10 *pallifrons* Fall. ♂♀. 11 *vitripennis* Meig. (*Coprom. eqvina* var. γ. Fall. — *Musca saniosa* Westring) ♂♀.

). Alarum nervi longitudinales 4:tus 5:tusque infra angulum nervi transversi ordinarii non abrupti. Nervi transversi in disco subapproximati. Antennarum seta nuda. ***Borborus* Meig. Macq.

12 *subsultans* Linn. (var. a. b.) ♂♀. 13 *denticulata* Meig. ♀. 14 *coronata* Zett. Ins. Lapp. ♀. 15 *crenata* Zett. n. sp. ♀. 16 *pusilla* Fall. (var. a. genuina; var. b. est *Copr. subsultans* var. β. Fall. — *Borb. pusillus* Meig. est alia species) ♂♀.

Copromyza.

*). Alarum nervi longitudinales: 5:tus mox infra angulum nervi transversi ordinarii abruptus; 4:tus non abbreviatus; transversi sat longe (in *C. vitripenni* n:o 11 valde) remoti.

1. *C. nitida:* nigra, nitida, alis ferruginanti-hyalinis; halteribus albis; antennarum seta pubescente; abdominis segmentis subæqualibus. ♂♀. (Long. fere 2 lin.).

Borborus Meig. Dipt. 6. 201. 4. T. 62. f. 18. Macq. Buff. 2. 566. 1. ♂♀.

Hab. in graminosis humidis per Scandinaviam meridionalem & mediam Aug. Sept. passim; scilicet in Scania ad Abusa, Esperöd, Widtsköfle *(von Borck)*, &c.; in Smolandia non raro, mus. *Ljunghii;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, Lärketorp frequens; in Jemtlandia ad Hofverberget rarissime; in Dania, D. *Stæger.*

♂♀. Antennarum seta distincte pubescens l. subplumata, corpus nitidum, alæ dilute brunnescentes, halteres albi, femora postica (in ♂) incurva &c., speciem designant. — Nigra, nitida, pilosula. Frons opaca setosa, macula media elongata lævi anterius acuta, nitente. Antennarum seta elongata. Epistoma nigricans, seta utrinque mystacina distincta. Abdominis segmentum 1:mum brevissimum, reliqua subæque longa. Nervi transversi late remoti, horum ordinarius in medio areæ insertus; longitudinales: 5:tus mox infra angulum transversi ordinarii abruptus, relicto plerumque acumine brevi; 6:tus curvatus versus marginem sensim evanescens. Costa mutica, parum puberula. Nervus costalis pone apicem auxiliaris crassiusculus niger. Nervi transversi sæpissime leniter subinfuscati. Pedes validi, pilosi, nigri, nitidi, tibiis intermediis prasertim versus apicem spinosis. Tarsi postici articulis 2 basalibus (præcipue in ♂) incrassatis. — *Mas:* femoribus posticis subincurvis, basi subtus dente acuto deflexo armatis. — Variat rarissime uterque sexus duplo minor.

2. *C. nigra:* nigra, subopaca, alis hyalinis; halteribus fuscis; antennarum seta pubescente; abdominis segmentis subæqvalibus. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Borborus Meig. Dipt. 6. 201. 6. Macq. Buff. 2. 566. 3. *Copr. eqvina* var. c. ♀. Zett. Ins. Lapp. 769.

Hab. in Svecia minus frequens; ex Holmia Uplandiæ ♂ sub nomine: *Copr. nitida* a D. *Wahlberg* communicatus; in Jemtlandia ad diversorium Forsa prope Mullfjellet utrumque sexum Jul. 1840 inveni; in Nordlandia Norwegica ad Tromsœ 24 Jul. 1821 semel capta.

♂♀. Priori valde similis, sed magnitudine plerumque nonnihil minore, corpore parum nitido, alis magis hyalinis, ut & halterum clava infuscata, diversa videtur. Nec dentem sub femoribus posticis basi in ♂ observavi. Pilosula. Frons atra, opaca, setosa, linea media lævi nitente. Prælabrum nigro-cinereum. Seta utrinque mystacina. Antennarum seta distincte pubescens. Abdominis segmenta: 1:mum brevissimum, reliqua subæque longa, ante incisuras linea transversa angusta impressa. Alæ subhyalinæ, nervis ut in priori directis. Halterum clava sordide alba l. fusca. Pedes ut in præcedente.

3. *C. eqvina:* æneo-nigricans, subnitida; fronte antice tibiisque testaceis; alis sordide hyalinis, halteribus albidis; antennarum seta nuda; abdominis segmento 2:do maximo. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Var. a. ♂♀, pedibus obscuris, tibiis aut saltem geniculis testaceis.

Fall. Heteromyzid. 6. 2. var. *α.* vera. ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 769. 1. var. a. ♂♀. — *Borborus* Meig. Dipt. 6. 201. 5. Macq. Buff. 2. 566. 2. ♂♀. Ahrens. Fn. Eur., 15. t. 25.

Var. b. ♂♀. juvenilis, pedibus totis pallidis.

Zett. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in stercoratis præsertim eqvinis, graminosis paludosis, ripis fluminum &c., tota æstate vulgatissima; in copula multoties visa; in cloacis, glacie & nive ipsis mensibus Decemb. & Januar. sæpe etiam deprehensa;

scilicet in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia, Gottlandia, Nericia, Uplandia & Jemtlandia usque ad Äreskutan, Mullfjellen & Skalstugan, ubique copiose; in Lapponiis omnibus usque ad alpes adscendens; in Norwegia a Christiania ad Næs & Kong Carl Johans Klev, Værdaliæ, atque Björkvik Nordlandiæ, valde frequens; in Dania etiam copiose. (E Finlandia, Gryphia, Lübeca, Glogavia etiam missa).

♂♀. Per colorem corporis olivaceo-nigricantem, frontis anticæ tibiarumque testaceum, halterumque albidum, antennarum setam nudam, alarum nervos ferruginantes, ut & abdominis subnitidi segmentum 2:dum maximum, hæc species ab aliis dignoscitur. Caput fusco-nigricans, opacum. Frons antice flava. Antennæ nigræ, seta elongata. Seta mystacina utrinque unica. Prælabrum sæpe testaceum. Apertura oris ampla. Proboscis magna saccata obscura. Thoracis dorsum in bene conservatis lineis 4 obscuris. Abdominis segmenta ante incisuras linea transversa impressa. Alæ sordide hyalinæ, nervis ut in priori directis; transverso ordinario in medio areæ inserto; costali ferrugineo. Halteres pallidi. Pedes nigri, geniculis, tibiis tarsorumque basi testaceis. Femora postica sæpe fusca, apice, & tarsi postici articulis 2 basalibus (præsertim in ♂) dilatatis, plerumque obscura. Femora antica imprimis in ♂ crassiora. Pedes omnes puberuli, parum pilosi & vix setulosi. *Mas:* ano subtus denticulis 2 munito. — Variat tibiis apice tarsisque totis obscuris.

Obs. In cadaveribus Corvi cornicis individua feminea hujus speciei præsertim variet. b. in Svecia & in Norwegia ad Næs pluries vidi.

4. *C. geniculata:* nigra, nitens glabricula, thorace ænescenti nigro; fronte antice, coxis, geniculis summis, tarsorum intermediorum articulis 2 basalibus, halteribusque, flavis; alis sordide hyalinis, nervo costali in medio

nigro; antennarum seta nuda; abdominis segmento 2:do majori. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Borborus Macq. Buff. 2. 567. 6. ♂♀. Meig. Dipt. 7. 408. 29 (e descript. Macquarti transscriptus). — *Copr. eqvina* var. *β.* Fall. Heteromyz. pag. 7.

Hab. in graminosis, per Scandinaviam meridionalem vulgaris, borealem passim, ab initio Julii ad medium Octobris obvia, in copula capta, etiam 9 Novembr. exclusa; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan (prope Lund), Kjeflinge *(Dahlbom)*, Esperöd &c., frequens; in Blekingia *(von Borck)*; in Ostrogothia ad Lärketorp; in Jemtlandia ad Åsarne, Mullfjellen & Skalstugan non parce; in jugo alpino Norwegiæ ad Kong Carl Johans Klev Værdaliæ rarius; e Dania & Hafnia a D. *Stæger* in utroque sexu missa.

♂♀. Magnitudine media l. minore, corpore glabriculo, nitido nigro, thorace subænescente, frontis margine antico, coxis, tibiarum omnium tarsorumque intermediorum basi flavis, pedibus nudis, femoribus anticis crassis, halteribus albis, ut & alarum nervo costali in medio nigro, ab aliis bene distingvitur. — Nigra. Caput opacum, macula frontali triangulari nitida. Margo frontis anticus testaceus. Abdominis segmentum 2:dum singulo reliquorum paullo majus. Venter interdum ferrugineus. Alæ sordide hyalinæ, nervis ferruginantibus l. dilute fuscis, basi præsertim in ♀ flavidis; omnibus ut in priori directis. Nervus costalis ab apice nervi auxiliaris & ad medium costæ niger. Costa nuda. Halteres albidi. Pedes nigri, glabriculi, coxis præsertim anticis, aut totis aut plerumque saltem apice, trochanteribus, tibiarum omnium basi anguste, tarsorumque intermediorum articulis 2 primis, flavis. Femora antica valde incrassata. Oculi in viva obscure ferruginei. — Variat junior pedibus totis fusco-testaceis.

Obs. Hanc speciem sub nomine: *Copr. lævipes*, inter amicos entomologicos olim divulgavi.

5. *C. borealis:* ænescenti nigra, nitida, parum pilosula; fronte antice flava; halteribus obscuris; alis subhyalinis, nervo costali pone apicem auxiliaris nigro; seta antennarum nuda; abdominis segmento 2:do paullo majori. ♂. (Long. $1\frac{1}{2}$ – $1\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia septentrionali, Bottnia boreali & Lapponia Jun.—Aug. rarius; scilicet in Jemtlandia ad Åreskutan; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson;* in Tornensi, D. *Frigelius.*

♂. Duabus proxime præcedentibus similis, sed a *C. eqvina* nervo costali nigriore, segmento abdominis 2:do mediocriter magno, nec maximo, a *C. geniculata* magnitudine duplo majore, & ab utraque halteribus obscuris & pedibus totis nigris, vere diversa. — Nigra nitida, subglabra. Caput opacum, macula frontis triangulari nitida, sulculo utrinque inclusa. Frons parcissime pilosa. Prælabrum griseum. Proboscis magna saccata totam aperturam oris implens. Thorax subænescens. Abdomen ænescenti nigrum, linea transversa impressa ante incisuras. Alæ subhyalinæ, nervis ut in *C. eqvina* directis. Nervus costalis ab apice auxiliaris ad medium costæ crassiusculus ater. Costa nuda l. microscopice tantum ciliata. Halteres albidi, clava obscura. Pedes nigri, glabriculi l. breviter tantum puberuli. Tibiæ præsertim anticæ basi angustissime flavæ. Tibiæ intermediæ versus apicem subspinulosæ. Tarsi postici fusci, articulis 2 basalibus latioribus nigricantibus. Femora antica valde, & postica modice, incrassata.

6. *C. fuscipennis:* atra, nitida, parce pilosa; halteribus albis; alis fusco hyalinis, nervo-costali breviter subciliato, in medio nigro; seta antennarum nuda; abdominis segmentis æqualibus. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ vix $1\frac{1}{2}$ lin.).

Borborus fuscipennis Stæg. in litt. 5 Aug. 1843 ♂. (etiam sub nomine: *Copr. umbripennis* olim missa).

Hab. in Scandinavia minus frequens; scilicet in Scania locis umbrosis in Plantatione Paradislyckan ad Lund 15 Sept. 1838 feminam legi; in Lapponia Umensi ad Novaccolum Umenås marem d. 8 Aug. 1832 invenit D. *Dahlbom*; ex Hafnia Danorum marem quoque communicavit D. *Stæger*.

♂♀. Per colorem totius corporis & omnium partium nigrum, nitidum, halteres pallidos, pubescentiam parciorem, alas leniter infuscanas, nervo costali puberulo in medio nigro, ut & femora tantum antica crassiuscula, ab aliis hujus generis dignoscitur. Tota atra nitida. Frons parce setosa, opaca, macula trigona nitida. Oculi in viva brunnei, unicolores. Segmenta abdominis præter 1:mum brevissimum æque longa. Alæ sordide hyalinæ seu subfuscanæ, nervis ut in *C. eqvina* directis. Nervi transversi interdum leniter infuscati; costalis pubescens ab apice auxiliaris ad medium costæ niger. Halteres albidi. Pedes toti nigri, parce pilosuli, tibiis intermediis parce leniter spinulosis. Femora antica distincte incrassata.

Obs. Valde affinis & similis *Borboro fimetario* Meig. Dipt. 6. 202. 8, sed per brevem & insufficientem Auctoris descriptionem ille magnitudine paullo majore & corpore nudiusculo a nostra specie differre videtur.

7. *C. tibialis:* atra, nitida, parce pilosa; halteribus albis; coxis, tibiis tarsisque testaceis; alis cinereo-hyalinis, nervo costali nudiusculo fusco-ferrugineo; seta antennarum nuda; abdominis segmentis æqualibus. ♂. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinavia meridionali mens. Septembri rarius, mihi sub nomine: "*Borbor. stercorarius* Meig."

adjecto signo interrogationis, a D. *Stæger* ex Hafnia communicata.

♂. Nigra, nitida. Caput totum nigricans subopacum, macula frontali trigona nitida. Frons parce setulosa, margine antico summo in altero specimine angustissime testaceo. Antennæ majusculæ, atræ. Prælabrum grisescens. Alæ subhyalinæ, nervis ut in *C. eqvina* directis, sat distinctis, obscuris. Nervus costalis reliquis vix crassior & vix obscurior, fere nudus. Halteres pallidi. Pedes subnudi, coxis anticis & trochanteribus omnibus flavis. Femora antica distincte incrassata, postica etiam valida, omnia nigra, nitida. Tibiæ testaceæ, posticæ apice fuscæ. Tarsi fusco-testacei, posticorum articulis 2 basalibus modice crassis, obscuris; omnes apice fusci.

Obs. Magnitudo minor & caput nigrum, nec "testaceum" obstare videntur quominus nostra *C. tibialis* cum *Borboro stercorario* Meig. identica sit.

8. *C. costalis:* nigra, subnitida, pilosula; halteribus albis; geniculis fuscis; alis sordide hyalinis, nervo costali basi subciliato pone apicem auxiliaris nigro; seta antennarum pubescente; abdominis segmentis subæqualibus. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Stæg. in litt. 5 Aug. 1843. (Vix *Borbor. costatus* Meig. Dipt. 7. 408. 32).

Hab. in Dania forte rarissime, mihi in Scandinavia non obvia, sed ex Hafnia in utroque sexu pro comparatione a D. *Stæger* missa.

♂♀. Colore corporis partiumque nigro, halterum albo, antennarum seta pubescente, nec nuda, pedibus pilosulis, alarum nervo costali præsertim basi ciliato, pone auxiliarem nigro, ab aliis affinibus distingvitur. Parva. Frons setulosa opaca. Antennæ mediocres. Thorax & abdomen parum pilosula. Alæ subhyalinæ, nervis tenuibus subferrugineis, ut in *C. eqvina*

directis. Nervus costalis a basi ad apicem auxiliaris ciliatus tenuis, deinde paullo crassior, niger parum ciliatus. Halteres albi. Pedes nigri, pilosuli, geniculis summis fuscis; tarsi etiam apice paullo dilutiores. Femora antica reliquis parum crassiora. Metatarsus posticus distincte dilatatus; articulus 2:dus ceteris etiam nonnihil crassior.

Obs. *Borb. costatus* Meig. l. c. per magnitudinem majorem (1½ lin. long.), & nervum transversum medium infuscatum a nostra differre videtur.

9. *C. sordida:* obscure grisea, opaca, parum pilosula; halteribus albis; pedibus fuscescentibus; alis sordide hyalinis, nervo costali subnudo; seta antennarum nuda; abdominis segmento 2:do paullo majori. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime.

♂♀. Per colorem corporis grisescentem, pedumque fuscescentem, & nervum costalem nudiusculum subferrugineum (nec nigrum), præcipue dignota. — Pusilla. Opaca. Caput griseum. Frons setulosa. Antennæ nigræ. Thorax griseus, dorso certo situ obscure lineatus. Abdomen nigricans. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis ferrugineis, ut in priori directis. Nervus costalis nudus, reliquis parum obscurior. Pedes parum pilosi, fusci l. fusco-testacei, tarsis paullo obscurioribus. Femora antica posterioribus vix crassiora. Metatarsi postici articulis sequentibus paullulum tantum majores.

Obs. Specimen masculum huic simillimum, sed paullo obscurius fere nigricans, fronte thoracisque dorso tantum obscure grisescentibus, pedibus totis nigris, sub nomine *Copr. nigritella* in Museo meo adest, in Scania ad Esperöd captum; sed ex hoc unico individuo, ante plures annos invento, dijudicare non audeo, an tantum *C. sordidæ* varietatem seniorem vel novam speciem ante oculos habeam.

10. C. *pallifrons:* nigra, nitida, parum pilosa; halteribus albis; epistomate flavo-ferrugineo; ventre rufescente; coxis flavis, geniculis testaceis; tibiis tarsisque setulosis; alis sordide hyalinis, nervis pallescentibus, costali parum ciliato; seta antennarum nuda; abdominis segmentis subæqualibus. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Heteromyz. 7. 4. ♂♀. *Borborus pallifrons* Meig. Dipt. 6. 205. 19. (e descriptione Falleni transscripta). — *Borbor. pallidifrons* Macq. Buff. 2. 569. 17.

Hab. in graminosis & fimetis Sveciæ meridionalis & mediæ passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Gusum; in Gottlandia ad Klinte d. 3 Maj. 1821, D. *B. F. Fries;* in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg.*

♂♀. Corpore minuto nigro, epistomate rufescente cito distingvitur. Caput nigrum, nitidum. Frons antice interdum anguste ferruginea. Antennæ mediocres, subtus plerumque testaceæ. Epistoma flavidum nitidum. Proboscis testacea. Oculi ferruginei. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis tenuibus pallidis ut in *C. eqvina* directis. Nervus costalis reliquis parum obscurior & vix ciliatus. Halteres albi. Pedes nigri, pilosuli, coxis anticis, trochanteribusque & geniculis omnibus anguste, flavis. Tarsi sæpius fusci. Tibiæ & tarsi posteriora setulosa. Metatarsus posticus paullo dilatatus. Femora antica crassa, postica valida.

11. C. *vitripennis:* nigra, nitida, parum pilosa; halteribus albis; pedibus fusco-testaceoque variis; alis subhyalinis, nervis pallescentibus, transversis longe remotis, costali parum ciliato; seta antennarum nuda; abdominis segmentis subæqualibus. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Var. a. ♂♀. nigra, pedibus testaceis, femorum tibiarumque apice, tarsorumque posticorum basi obscuris, tarsis fuscis.

Borborus vitripennis Meig. Dipt. 6. 206. 20?

Var. b. ♂♀. nigra, fronte antice flava, pedibus flavis, femorum medio tibiarumque apice obscuro, tarsis posticis basi fuscis.

Var. c. ♂♀. pedibus totis flavidis.

Var. d. ♂♀. tota sordide flavida, antennis metatarsisque posticis plerumque obscurioribus.

Coprom. eqvina var. γ. Fall. Heteromyz. p. 7. certe secundum specimina typica in museo Falleniano. — *Musca saniosa* Westring. Act. Holm. 1814. p. 51. T. 4. f. a—f. teste *Fallèn.*

Hab. omnes varietates promiscue in fimetis, graminosis & uliginosis per Scandinaviam meridionalem & mediam Jul. Aug. passim; scilicet in Scania ad Tranås, Esperöd, Widtsköfle &c., non rara; in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena; in Dania, D. *Stæger.* Var. d. e larvis in vulnere sanioso mulieris morbosæ exclusa a D. *Westring.* Hæc var. d. juvenilis mihi in litore marino ad Esperöd mense Julio præsertim obvia.

♂♀. Per longam distantiam nervorum transversorum in alis hæc species bene dignoscitur. Parva, nitida. Antennæ mediocres. Frons in capite nigro sæpe macula trigona rufescente. Alæ sordide hyalinæ. Nervi ut in *C. eqvina* directi, sed transversi longius remoti, horum nempe ordinario paullo pone medium, nec in medio, areæ inserto, & medio ad basin alæ nonnihil propius retracto. Nervi omnes pallescentes, costalis reliquis in varietatibus nigris paullo obscurior. Nervus auxiliaris forte paullo brevior quam in *C. eqvina*, & transversus medius apici auxiliaris oppositus, nec ut in *C. eqvina* pone ejus apicem

ductus. Pedes pilosuli, ut in diagnosi varietatum variegati. Metatarsi postici modice dilatati. Femora antica & postica intermediis tantum paullo crassiora. Oculi in viva rufo-brunnei.
Obs. Qvando Cel. *Meigen* l. c. suum *Borb. vitripennem* tantum $\frac{2}{3}$ lin. longum & tibiarum posticarum calcare "paullo ante apicem tibiæ", nec in apice, sito, describit, dubium manet an Cel. Meigeni species cum nostra identica sit.

**. Alarum nervi longitudinales 4:tus & 5:tus infra angulum nervi transversi ordinarii non abrupti, sed usque ad marginem alæ continuati. Nervi transversi in disco subapproximati. Antennarum seta nuda.

12. *C. subsultans:* nigra, opaca, subnuda, alis halteribusque albidis; abdominis segmento 2:do maximo; pedibus crassis muticis varicoloribus; scutello inermi. ♂♀. (Long. 1—1⅓ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigris, coxis anticis, genubus anterioribus, trochanteribus omnibus tibiisque posticis, testaceis.

Fall. Heteromyz. 7. 3. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 770. 2. var. a. ♂♀. *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 993. 81. Schrank Austr. p. 463. 940. *Calobata* Fabr. Antl. 261. 17. *Borborus* Meig. 6. 200. 2. *Sphærocera* Macq. Buff. 2. 565. 1. ♂♀. T. 22. f. 17.

Var. b. ♂♀. pedibus aut totis testaceis, coxis anticis semper pallidioribus, aut testaceis, anticorum femoribus in medio tibiisque plus minus obscure brunneis.

Zett. Ins. Lapp. l. c. var. b. ♂♀.

Hab. in stercore præsertim eqvino a primo vere usque ad autumnum, per Scandinaviam vulgatissima, in copula multoties visa; scilicet in Scania, Blekingia, Smolan-

dia, Ostro- & Westrogothia, Nericia, & Uplandia frequens; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia ad radicem Åreskutan & Mullfjellen passim; in Lapponia ad Lycksele frequens; in Norwegia ad Thynæs; in Dania minime rara. Larva alba intra 18 dierum spatium metamorphosin subit. Imago saliendo volitat.

♂♀. Nigra, opaca, depressa, glabricula. Antennæ non magnæ, seta elongata, nuda. Setæ mystacinæ vix ullæ. Proboscis magna. Oculi in viva nigro-brunnei. Scutellum subquadrangulum muticum, absque setis. Abdomen lateribus & segmentorum apice sæpe tenuiter albo-marginatum. Alæ albidæ. Nervi: auxiliaris brevis; longitudinales omnes integri, horum 4:tus paullo curvatus, non vero ita distincte arcuatim flexus ac in figura Meigeni; transversi subapproximati, ordinarius scilicet sat longe a margine alæ remotus aperte ante medium areæ insertus, medius paullo pone apicem auxiliaris ductus. Costa subnuda. Pedes validi mutici, femoribus præsertim posticis & præcipue in ♂ crassis; nigricantes, plus minus ferruginei aut testacei. Metatarsus posticus crassus. Tibiæ posticæ latiusculæ, apice intus calcare munito.

13. *C. denticulata:* nigra, opaca, subnuda, halteribus albis; alis albido-hyalinis; pedibus simplicibus muticis nigris; scutello subsexdenticulato. ♀. (Long. 1 lin.).

Borborus Meig. Dipt. 6. 200. 3. *Sphærocera* Macq. Buff. 2. 565. 2.

Hab. in Scandinavia rarissime, sub nomine allato e Dania a D. *Stæger* missa.

♀. Pedibus simplicibus & scutello crenulato a priori præsertim distingvitur. Tota opaca glabricula nigra. Frons subdepressa. Scutellum margine denticulis 6 minutissimis. Abdomen depressum, segmento 2:do, ut mihi videtur, 3:tio non multo majori. Alæ minus albidæ, quam in præcedente, cum qua fere

simili directione nervorum gaudet. Halteres albi. Pedes multo tenuiores, quam in priori, femoribus simplicibus; toti nudi, nigri, trochanteribus flavis. Metatarsus posticus magnus.

14. *C. coronata:* nigra, opaca, subnuda, halteribus concoloribus; alis albido-hyalinis; segmentis abdominis subæqualibus; pedibus simplicibus muticis nigris; scutello multidenticulato. ♀. (Long. 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 770. 4. ♀.

Hab. in Lapponia Umensi rarissime: ad novaccolum Nästansjö inventa; in Svecia inferiori etiam semel capta.

♀. Simillima priori, sed halteribus nigris imprimis diversa. Caput ut in præcedente. Oculi brunnei. Thorax subtiliter punctulatus. Scutellum late rotundatum, margine 7—8-denticulatum. Abdomen ovatum lateribus late marginatum, segmentis subæque magnis, ultimo abrupte minore subquadrato; totum nigrum opacum læve glabrum. Alæ albo-hyalinæ, nervis obscuris ut in priori omnino directis h. e. longitudinalibus 3 & 4 pone transversum ordinarium rectis & parallelis ad apicem leniter subdivergentibus, nec ut in *C. subsultante*, ubi nervus longit. 4:tus leniter arcuatim flectitur & versus apicem cum 3:tio lenissime convergit. Halteres, quatenus in specimine vetusto videre liceat, nigri. Pedes omnino ut in priori constructi & colorati.

15. *C. crenata:* nigra, opaca, subnuda, halteribus albis; alis albido-hyalinis; pedibus simplicibus muticis fusco-ferrugineis, tarsis obscurioribus; scutello multidenticulato. ♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime, ex Hafnia a D. *Stæger* communicata.

♀. Per pedes simplices obscure rufos, nec nigros, ab antecedentibus hujus subdivisionis in primis dignota. Similis *C. subsultanti*, minor. Scutellum crenulatum seu denticulis 6—8

minutis instructum. Abdomen ovatum depressum, segmentis anticis ægre distingvendis, sed 2:do, ut in individuis exsiccatis videtur, seqvente non multo majore. Alæ albido-hyalinæ, nervis ut in *C. subsultante* directis, at 4:to longitudinali paullo rectiore. Halteres albi. Pedes simplices, nudi, ferrugineo-testacei l. fusco-rufi, tibiarum apice tarsisque nigricantibus. Metatarsus posticus majusculus, niger.

16. *C. pusilla:* nigra, opaca, nuda, alis halteribusque albis; abdominis segmentis subæqvalibus; pedibus mediocribus, varicoloribus; scutello crenulato. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin.).

Var. a. ♂♀. pedibus nigricantibus, coxis anticis, & trochanteribus tibiisque omnibus ferrugineis.

Fall. Heteromyz. 8. 5. ♂♀. vera secundum specimina typica in museo Falleniano. — Zett. Ins. Lapp. 770. 3. ♂♀. (exclus. syn. Meig.).

Var. b. ♂♀. juvenilis, pedibus totis ferrugineis l. flavis, tarsis plerumque obscurioribus.

Copromyza subsultans var. *β.* "minuta, pedibus totis pallidis", Fall. Heteromyz. 8. 3.

Hab. in stercore præsertim bovino, per Scandinaviam Jul.—Octob. passim; scilicet in Scania ad Lund, Esperöd &c.; in Ostrogothia ad Lärketorp parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Mullfjellet & ad Skalstugan in jugo alpina rarius, D. *Dahlbom;* in Norwegia ad Næs Værdaliæ in Cadavere Corvi Cornicis haud parce ♀ visa. (Ad Neuenkirchen (in Mecklenburg Strelitz) jam 20 Maj. a D. *Dahlbom* lecta; & e Kilia a D. *Wiedemann* sub nomine: "*Coprom. pusilla*", propria manu designata missa).

♂♀. A *C. subsultante* (12), cui valde affinis & similis, magnitudine triplo minore, abdominis segmentis subæqualibus, pedibus tenuioribus &c., mox distingvitur. Scutellum obtusum, crenulatum seu denticulis 6—8 omnium minutissimis instructum. Abdomen ovatum depressum. Alæ sordide albæ, fusco-nervosæ, nervis ut in *C. crenata* directis. Costa tota nuda. Pedes nudi, ut in diagnosi varietatum picti. Metatarsus posticus majusculus. Femora postica in ♂ crassiuscula, in ♀ valida, anteriora in utroque sexu simplicia.

Obs. *Borborus pusillus* Meig. Dipt. 6. 206. 22. T. 62. f. 19., cui *Copromyz. pusillam* Fall. ut synonymon alligat Clar. *Meigen*, & *Heteroptera pusilla.* Macq. Buff. 2. 570. 1. T. 22. f. 19. (e descriptione Falleni ut videtur transscripta), alia certe est species, mihi non rite cognita. Per alas hyalinas, nec albidas, alarum nervum costalem a basi ad apicem auxiliaris ciliatum, nec nudum, nervum 4:tum longitudinalem abbreviatum, nec integrum, a nostra aperte differt. Nec talem in Svecia vidi, nisi *Limosinam acutangulam* mihi n:o 7 huc referre vellem.

---

178. LIMOSINA Macq.

Corpus parvum aut minutum, parum depressum, setulosum. Caput rotundatum. Frons latissima, setosa, non prominula. Antennæ mediocres, subsessiles, orbiculatæ, seta dorsali longa capillari nuda aut pubescente. Epistoma breve impressum subnudum, setis mystacinis utrinque unica l. paucis. Prælabrum interdum haud prominulum. Apertura oris ampla. Proboscidis capitulum magnum. Oculi parvi rotundi, in viva nigro-ferruginei, unicolores. Thorax oblongiusculus subconvexus, lateribus distincte setosus. Scutellum magnum, sæpe trigonum, planiusculum, margine semper 4-setosum. Abdomen oblongum, segmentis 5 æque longis. Alæ abdomine paullo longiores (in ultima specie nullæ). Nervi: longitudinales 2:dus paullo pone me-

dium costæ ductus ad apicem subcurvatus, 3:tius l. curvatim ante apicem alæ in costam flexus l. sæpe rectus in apice alæ excurrens, 4 & 5 mox infra transversum ordinarium semper abrupti (in *L. acutangula* n:o 7 tantum 4:tus abruptus), 6:tus vix conspiciendus; transversi perpendiculares sat approximati, horum ordinarius fere in medio alæ, & medius paullo pone apicem nervi auxiliaris brevis subsimplicis, situs. Costa submutica, a basi ad apicem nervi auxiliaris plerumque ciliata. In specie ultima alæ nullæ. Pedes mediocres, simplices, spinulosi (præsertim intermedii), metatarso postico brevi subincrassato. Tibiæ posticæ apice calcare nullo. *Color* niger. *Motu* agilis: cursu celeri, volatu brevi. *Habitatio* in stercoratis, sordidis, graminosis &c., libenter locis humidis, sæpe in litoribus & ripis. *Differentia sexus; mas:* genitale parvo inflexo; *femina:* vagina anali articulata retracta. *Typus* generis: *L. fontinalis* n:o 1.

a). Alatæ: alis completis: *Borborus* Meig. *Copromyza* Fall.

*. Halteres albi vel pallidi.

1 *fontinalis* Fall. ♂♀. 2 *limosa* Fall. ♂♀. 3 *Pumilio* Meig. ♂♀. 4 *Pusio* Zett. n. sp. ♂♀. 5 *ochripes* Meig. (*Agromyza abbreviata* Fall.). var. a. b. c. ♂♀. 6 *pullula* Zett. n. sp. ♂♀. 7 *acutangula* Zett. (*Borb. pusillus* Meig.? exclus. synon. Fall., quod non huc sed ad *Copromyz. pusillam* nobis n:o 16 pertinet) ♂.

**. Halteres nigri vel fusci.

8 *silvatica* Meig. ♂♀. 9 *flaviceps* Zett. n. sp. ♂. 10 *setulosa* Zett. n. sp. ♀. 11 *lugubrina* Zett. n. sp ♀. 12 *pygmæa* Zett. Ins. Lapp. (*Limos. lugubris* Dufour) ♂♀. 13 *fenestralis* Fall. ♂♀. 14 *vitripennis* Zett. n. sp. (vix

Limos. pygmæa Meig. Dipt. 7. 410. 11? — An *Limos. minima* Macq.?) ♂♀. 15 *minutissima* Zett. n. sp. ♂.

b). Aptera: alis rudimentariis. *Borborus* Meig. *Apterina* Macq.

16 *pedestris* Meig. ♂♀.

Limosina.

a). Alatæ: alis completis.

*. Halteres albi l. pallidi.

1. *L. fontinalis:* subænescenti nigra, subnitida; pedibus nigro-piceis; alis subhyalinis, costa basi longe pilosa, nervo longitudinali 3:tio paullo ante apicem alæ versus costam inflexo. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Copromyza Fall. Heteromyz. Supplement. 2:dum. Anno 1826. p. 16. ♂♀. — Zett. Ins. Lapp. 770. 5. ♂♀.

Hab. in graminosis umbrosis uliginosis, etiam ad margines fossarum aqvarum stagnantium, in ripis fluminum & sub lapidibus locis arenosis humidis, per Scandinaviam, tota æstate vulgaris, in copula quoque observata; scilicet in Scania (ad Esperöd in nemore valde umbroso ad sic dictum *fontem professoris* primum a Prof. *Fallèn* 1821 inventa, deinde in Paradislyckan prope Lund copiose visa), Blekingia, Smolandia, Ostrogothia (ad Wadstena, Fylla-Skog, & Gusum), & Uplandia (ad Holmiam), frequens; in Herjedalia ad Öfver-Hogdal; in Jemtlandia ad Åreskutan rarius; in Bottnia boreali ad Luleå; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, Tornensi ad Wittangi, Juckasjervi, Muonio & Karesuando, non parce, & Kemensi,

D. *Deutsch* haud raro; in Norwegia ad Christiania (D. *Moë)*, & Næs (in cadavere Corvi Cornicis); in Dania frequens. (In Germania ad Neuenkirchen 20 Maj. 1812 & ad Stetinum 23 Jul. 1815 a D. *Dahlbom* lecta, e Lübeca a D. D. *Behrens* & *Milde* & e Finlandia a D. *Sahlberg*, communicata).

♂♀. Color corporis æneseenti niger seu metallice nitens nitidus, alarum costa basi distincte pilosa & nervus longitudinalis 3:tius aperte ante apicem (nec in apice l. prope apicem) alæ arcuatim excurrens, speciem in primis denotant. Caput subopacum nigrum, epistomate cinerascente. Antennarum seta nuda. Seta mystacina utrinque unica distincta. Thorax setosus. Scutellum setis 7 marginalibus longis. Abdomen ovatum, subnudum. Alæ sordide hyalinæ, nervis sordidis costali fusco, longitudinalibus 2 & 3 versus costam leniter flexis. Segmentum costæ 2·dum 3:tio dimidio longius. Halteres albidi. Pedes nigricantes, trochanteribus, geniculis & tarsorum basi plerumque ferrugineis l. piceis. Tibiæ & tarsi intermedia distincte spinulosa. Metatarsus posticus parum incrassatus. Variat pedibus fere totis piceis. — Segmenta abdominis 5 distincta, 6:to seu anali parvo retracto. — Celeriter currit uti *Trineura*. — Variat duplo minor, in Scania: in graminosis ad Lund & Björnstorp ut & in Pinetis ad Lackalänga frequens.

2. *L. limosa:* nigra, opaca, pedibus concoloribus; alis subhyalinis, costa basi longe pilosa, nervo longitudinali 3:tio rectiusculo juxta apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Macq. Buff. 2. 572. 2. *Copromyza* Fall. Heteromyz. 8. 6. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 771. 6. ♂♀. *Borborus* Meig. Dipt. 6. 207. 23. T. 62. f. 20 (ala).

Hab. in stercoratis & graminosis nec non ad fossas aquarum, in ripis & litoribus &c., per totam Scandina-

viam a primo vere usque ad serum autumnum sæpe copiosissima, in copula etiam multoties visa; scilicet in Scania, Smolandia, Ostrogothia (ad Wadstena), Gottlandia (ad Wisby, Lummelund, Ahlskog, Storungs &c.), & Uplandia (ad Holmiam), vulgaris; in Lapponia Lulensi, D. *Andersson;* in Lapponia Tornensi rarius, in ipsas alpes adscendens, & in summo alpium Tornensium jugo in nive ambulans capta; in Dania, D. *Stæger.* (Ex Eldena prope Gryphiam & Helgolandia a D. *Dahlbom*, & e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour*, communicata). In Sveciæ fenestris cubiculorum errabunda, atque in cloacis nec non in nive & glacie ipsis mensibus Decembr. & Januar. specimina hujus sæpe deprehendi.

♂♀. Priori simillima, sed corpore magis opaco, parum, nitido, & alarum nervo longitudinali 3:tio fere recto, nec apice subflexo, fere in summo apice alæ, nec ante apicem, excurrente, facile dignota. Plerumque etiam præcedente nonnihil minor. Sordide nigra. Frons & thorax setulosa. Antennarum nigrarum seta nuda. Epistoma obscure cinerascens. Prælabrum sæpe prominulum. Seta mystacina utrinque unica. Oculi in viva ferruginei. Scutellum margine longe & fortiter 4-setosum. Abdomen apice parce pilosum. Nervi longitudinales 4 & 5 mox infra transversum ordinarium (paullo pone medium disci alæ situm) abrupti, at horum 4:ti certo situ vestigium apparet; 6 & 7 nulli. Costa basi longe setosa. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere duplo longius. Halteres albi. Pedes mediocres, nigri, tibiis tarsisque intermediis distincte setosis seu spinulosis.

Var. b. ♂♀. corpore subnitido; forte detrita; in Scania Sveciæ & ad Eldena Germaniæ frequenter lecta.

Var. c. ♀. pedibus piceis; in Scania rarius.

3. *L. Pumilio:* nigra, parum nitida, capite pedibusque concoloribus; alis subinfuscatis, costa subtiliter cilia-

ta, nervo longitudinali 3:tio recto fere in summo apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. circiter ½ lin.).

Macq. Buff. 2. 573. 8. *Borborus* Meig. Dipl. 6. 208. 27. *Copromyza* Zett. Ins. Lapp. 771. 9. ♂♀.

Hab. in graminosis, stercoratis, fungis putrescentibus, in fenestris etiam reptans, per Scandinaviam, tota æstate & præsertim versus autumnum vulgaris, in copula quoque deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Kjeflinge, Sjörup, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; deinde rarescit & in provinciis borealibus non nisi parcissime occurrit; e Dania a D. *Stæger* missa. (E Glogavia a D. *Zeller* communicata). — Celeriter currit.

♂♀. Minuta, nigra. Frons setosa. Antennarum seta longiuscula, nuda. Epistoma cinerascens. Seta utrinque mystacina. Oculi in viva ferrugineo-brunnei. Thorax supra paullo nitens. Abdomen subnitens. Alæ hyalinæ, versus costam leniter subfumatæ. Nervi longitudinales: 2:dus apice versus costam inflexus, 3:tius rectus fere in summo apice alæ excurrens, 4 & 5 abbreviati, sed 4:tus certo situ in rudimento observatur. Segmenta costæ: 1:mum tenuiter l. modice ciliatum; 2:dum & 3:tium subæque longa. Halteres albidi. Pedes simplices, nigri, interdum geniculis tarsisque plus minus obscure ferrugineis. Metatarsus posticus parum l. leniter tantum dilatatus. Tibiæ & tarsi intermedia setosa. — A *L. fenestrali* infra n:o 13 vix nisi halteribus albis, nec obscuris, recedit.

4. *L. Pusio:* nigra, subopaca, capite pedibusque concoloribus, tarsis rufo-flavidis; alis sordide albidis, costa subtiliter ciliata, nervo longitudinali 3:tio subrecto prope apicem alæ excurrente. ♂♀. (Long. ¼ lin.).

Habit. in litoribus marinis rarissime; in Scania ad Esperöd duo feminas inveni. (Marem in Helgolandia 12 Jul. 1838 legit D. *Dahlbom).*

♂♀. Minutissima, subopaca, nigra, parum setosa. Antennarum seta pubescens. Epistoma cinerascens. Alæ sordide albidæ. Nervi longitudinales: 3:tius non exactissime rectus, sed lenissime curvatus, non in summo apice, sed mox ante apicem alæ excurrens; 4 & 5 quidem abbreviati, sed eorum paullo infra nervum transversum ordinarium vestigium certo situ apparet. Segmenta costæ 2 & 3 subæque longa. Halteres pallescentes. Pedes mediocres, nigri, tarsis rufescentibus. Metatarsi postici non distincte dilatati. — In speciminum Esperödensium altero tibiæ obscure rufæ, at tarsi dilutiores, in altero tibiæ obscuræ, tarsi fusci observantur.

5. *L. ochripes:* nigra, subnitida, antennis concoloribus, capite pedibusque flavis; tarsis posticis fuscis; alis subhyalinis, costa basi mediocriter ciliata, nervo longitudinali 3:tio recto fere in summo apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. ½ lin.).

Macq. Buff. 2. 572. 5. *Borborus* Meig. Dipt. 6. 209. 29. *Copromyza* Zett. Ins. Lapp. 771. 10. ♂♀. *Agromyza abbreviata* Fall. Heteromyz. 5. 8. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 176. 30 (e descriptione Falleni transscripta).

Hab. in graminosis, sub muscis, etiam in Pinetis, per Scandinaviam Jul. Aug. Sept. sat vulgaris; scilicet in Scania ad Lund, Lackalänga (in Pinetis, D. *Dahlbom)*, Abusa, Tranås, Esperöd, &c., frequens; in Ostrogothia ad Gusum; in Gottlandia ad Fårön (in Pinu); in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponiis: Umensi ad Stensele, & Tornensi ad Kengis, rarius; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Colore capitis pedumque flavo ab aliis dignota. Pusilla. Caput totum flavum, epistomate pallidiore. Antennæ aut totæ nigræ, aut nigræ basi flavidæ, seta longiuscula nuda. Frons setulosa, puncto ocellorum nigro. Oculi in mortua nigro-ferruginei. Seta mystacina utrinque vix nisi unica distincta. Proboscis fusca. Thorax lateribus setulosus. Scutellum margine setis 4 elongatis. Abdomen nudiusculum, in ♂ subcylindricum, apice obtusum, in ♀ oblongum, apice subacutum, segmentis margine apicali in utroque sexu interdum tenuissime albidis. Alæ sordide hyalinæ, nervis ut in *L. Pumilione* (3) directis. Segmentum costæ 2:dum & 3:tium æque longa. Halteres albidi. Pedes validi, femoribus anticis præsertim in ♂ subcrassioribus; toti rufo-flavi, tibiis anticis apice late, & tarsis posticis basi, sæpe (non semper) nigricantibus l. fuscis. Tibiæ & tarsi intermedia tenuiter pilosula. Metatarsi postici parum latiores.

Var. b. ♂♀. junior tota rufescens l. rufo-testacea, capite pedibusque pallidioribus.

Var. c. ♂♀. similis var. a., sed fronte postice brunnea, pedibus testaceis, tarsis anticis apice, posticisque articulo 1:mo, fuscis recedit. Forte *Borb. ochripes* Meig. genuinus. In Scania ad Lund cum variet. a. rarius, mens. Septembri.

Obs. Nomen specificum: "*abbreviata*", *Agromyzæ* characteristicum; *Limosinæ* ineptum.

6. *L. pullula:* nigra, subnitida, capite concolore, epistomate pedibusque flavis; alis subhyalinis, costa basi mediocriter ciliata, nervo longitudinali 3:tio recto fere in summo apice alæ excurrente. ♂♀. (Long. ¼ lin.).

Hab. in Scania rarissime, in plantatione Paradislyckan juxta urbem Lund die 18 Sept. 1838 unicum marem, & 4 Octob. ejusdem anni unicam feminam deprehendi.

♂♀. Priori valde similis, sed magnitudine duplo minore & fronte tota nigra præcipue distingvitur. — Minutissima, nigricans.

Frons setosa. Epistoma rufo-flavum. Palpi & proboscis nigra. Oculi in viva ferruginei. Alæ hyalinæ ad costam leniter fumatæ, nervis subfuscis, ut in præcedente directis. Halteres pallidi. Pedes toti flavo-testacei.

7. *L. acutangula:* nigra, subopaca, capite pedibusque concoloribus, epistomate cinerascente; alis subhyalinis, costa basi mediocriter ciliata, nervo longitudinali 3:tio recto fere in summo apice alæ excurrente, 4:to abbreviato, transverso ordinario obliquo cum 5:to continuo angulum acutum in disco formante. ♂. (Long. ½ lin.).

Borborus pusillus Meig. Dipt. 6. 206. 22? (exclus. syn. Fall. quod ad *Coprom. pusillam* nob. n:o 16 pertinet). T. 62. f. 19. ala. — *Heteroptera pusilla* Macq. Buff. 2. 570. 1? (e descriptione Meigeni ut videtur transscripta). T. 22. f. 19. ala. —

Hab. in graminosis Sveciæ meridionalis rarissime; in Paradislyckan ad Lund Scaniæ medio mens. Sept. 1838 tria specimina mascula inveni in foliis herbarum locis umbrosis celeriter currentia.

♂. Per directionem nervorum in alis singularem & privam ab omnibus aliis facillime dignota. Minuta. Tota nigra, haud nitida. Seta antennarum longiuscula, nuda. Oculi in viva brunnei. Epistoma canescens, seta utrinque mystacina. Scutellum margine setis 4 elongatis. Abdomen subcylindricum, ano obtuso. Alæ sordide albo-hyalinæ. Nervi longitudinales: 3:tius rectus fere in summo apice excurrente, 4:tus abbreviatus, 5:tus fere in marginem interiorem continuatus; transversi: medius parvus perpendicularis, ordinarius obiter intuenti quasi deficiens, sed attente observanti obliquus cum 5:to longitudinali paullo pone discum alæ coiens ibique angulum acutiusculum formans. Costa basi subtiliter l. modice ciliata. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere dimidio longius. Alarum margo interi-

or a paullo pone apicem alæ & ad apicem nervi longitudinalis 5:ti distincte ciliatus, nota quoque singularis & huic speciei priva. Halteres albidi. Pedes mediocres, nigri, tarsis nigro-piceis. Tibiæ intermediæ setulosæ. Metatarsi postici breves, dilatati.

Obs. Hæc species minime est *Copr. pusilla* Fall.; nomen igitur a *Meigen* impositum in aliud mutare coactus fui.

**. Halteres nigri l. fusci.

8. *L. silvatica:* atra, nitidissima, halteribus nigricantibus; alis fumato-hyalinis, costa basi mediocriter ciliata, nervo 3:tio longitudinali recto fere in summo apice alæ excurrente; seta antennarum versus apicem pubescente. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: abdomine oblongo, ano obtuso utrinque fasciculo pilorum instructo; femoribus crassiusculis.

Fem.: abdomine oblongo-ovato, ano acutiusculo, mutico; femoribus subsimplicibus.

Macq. Buff. 2. 572. 1. ♂. T. 22. f. 20. ala. — *Borborus* Meig. Dipt. 6. 207. 24. T. 62. f. 20. ♂. — *Copromyza* Zett. Ins. Lapp. 771. 7. ♂.

Hab. in graminosis & foliis fruticum præsertim locis humidis umbrosis, per Scandinaviam, Jun.—Sept., passim minus frequens; scilicet in Scania rarissime; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena, D. *Dahlbom* & ipse; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Uplandia ad Norrbacke prope Holmiam, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila parce; in Jemtlandia ad diversorium Lund prope radicem alpis Åreskutan rarius; in Lapponia Umensi ad Lycksele semel;

e Dania sub nomine: "*Copr. curvipes*" specimen masculum d. 31 Jul. 1838 communicavit D. *Stæger*.

♂♀. Magnitudine majuscula, colore corporis nitido, antennarum pubescentia distinctiore, ut & apice abdominis in ♂ utrinque fasciculo setarum nigrarum munito, a ceteris hujus subdivisionis abunde diversa. — Tota nigra. Frons nitens, lineis 2 opacis; setulosa. Antennarum seta elongata, a medio ad apicem distincte pubescens. Epistoma sordide grisescens, l. fusco-testaceum, seta utrinque mystacina. Alæ sordide hyalinæ, nervis fere ut in *L. limosa* (2) directis, at costa basi modice tantum ciliata, nec longe pilosa. Segmentum costæ 2:dum subcrassius, atrum, 2:do paullo tenuiori æque longum. Halteres obscuri. Pedes pilosuli, tibiis intermediis distincte spinulosis. Tarsi postici: articulo 1:mo breviusculo paullo dilatato, 2:do modice crasso elongato.

9. *L. flaviceps:* atra, nitidissima, halteribus nigricantibus; capite coxisque anticis flavis; alis fumato-hyalinis, costa basi mediocriter ciliata, nervo 3:tio longitudinali recto fere in summo apice alæ excurrente. ♂. (Long. 1 lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania semel inventa.

♂. Valde similis priori, sed capite coxisque anterioribus flavis & alarum segmento costali 2:do 3:tio duplo longiore, certe distincta. Caput totum fulvo-flavum. Antennæ testaceæ, apice fuscæ, seta in nostro specimine deficiente. Proboscis fusca. Oculi ferruginei. Scutellum margine 4-setosum. Abdomen sublineare, glabriculum nigrum nitidum, margine laterali a basi ad medium subhiante pallido. Anus rotundatus. Alæ præsertim ad costam subfumatæ. Nervi longitudinales: 2:dus elongatus apice versus costam inflexus, 3:tius rectus, 4:tus obsoletissime infra transversum ordinarium continuatus, 5:tus mox infra nervum transversum abbreviatus, 6 & 7 omnino defici-

entes. Halteres obscuri. Pedes nigri nitidi glabriculi, coxis anticis totis trochanteribusque omnibus flavis. Femora antica & postica incrassata. Tibiæ intermediæ spinulosæ. Tarsi postici ut in præcedente.

10. *L. setulosa:* nigra, opaca, halteribus obscuris, pedibus piceis; alis subhyalinis, costa basi longe pilosa, nervo 3:tio longitudinali recto fere in summo apice alæ excurrente, segmento costali 2:do & 3:tio subæque longis. ♀. (Long. circiter $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Pinetis ad Östra Torp Scaniæ 16 Aug. 1838 in unico specimine deprehensa.

♀. Corpore setuloso opaco, alarum segmentis costalibus 2:do & 3:tio fere æque longis, 1:mo sat longe piloso, ut & pedibus fusco-rufescentibus dignota. Similis *L. Pumilioni*(3), sed forte nonnihil major, alarum costa basi distinctius ciliata, & halteribus obscuris diversa. Nigricans. Frons latissima opaca distincte setulosa. Antennarum seta elongata nuda. Epistoma breve, certo situ cinerascens, seta utrinque mystacina. Oculi parvi. Thorax saltem lateribus setosus. Scutellum margine rotundato setis 4 longiusculis. Abdomen ovatum. Alæ sordide hyalinæ, nervis longitudinalibus: 2:do recto nonnihil pone medium costæ extenso, 3:tio etiam recto fere in summo apice alæ excurrente, 4:to 5:toque abbreviatis seu brevissime tantum infra transversum ordinarium continuatis, reliquis nullis. Segmentum costæ 2:dum 3:tio vix l. tantum parum longius. Pedes mediocres, pilosuli, nigro-picei, tarsis dilutioribus l. rufescentibus, trochanteribus flavis. Tibiæ intermediæ spinulosæ. Metatarsi postici nonnihil latiores.

Obs. Affinis videtur *Limos. tristi* Meig. Dipt. 7. 410. 14., sed thorax postice vix foveolatus.

11. *L. lugubrina:* nigra, subopaca, halteribus obscuris, pedibus nigris; alis hyalinis, costa basi longe pi-

losa, nervo 3:tio longitudinali recto fere in summo apice alæ excurrente, segmento costali 2:do 3:tio fere duplo longiore. ♀. (Long. circiter ½ lin.).

Hab. in Svecia meridionali & media rarissime; ad prædium Elmhult Scaniæ Jul. 1844 a Cel. *Dahlbom* detecta; in Gottlandia ad Öja & Gothem 8—17 Jul. a me etiam lecta.

♀. A priore, cui alias similis, differt: colore corporis intensius nigro, pedibus totis nigris, alis forte magis hyalinis & præsertim segmento costæ 2:do 3:tio fere duplo longiore, nec segmentis his subæque longis. Reliqua ut in præcedente.

12. *L. pygmæa:* nigra, subopaca, halteribus obscuris, pedibus nigris; alis ad costam subfumatis, costa basi breviter ciliata, nervo 3:tio longitudinali recto fere in summo apice alæ excurrente, segmento costali 2:do 3:tio parum longiore. ♂♀. (Long. circiter ½ lin.).

Copromyza Zett. Ins. Lapp. anno 1838. 771. 8. ♂♀.

Hab. in graminosis libenter locis umbrosis, sub lapidibus, in fenestris &c., per Scandinaviam ab initio Maji usque ad autumnum, sat vulgaris, in copula quoque deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Paradislyckan, Kjeflinge, Björnstorp *(Dahlbom)*, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Wadstena parce; in Lapponia Umensi ad Stensele semel; in Tornensi rarissime; in Norwegia ad Christianiam, D. *Moë,* ad Thynæs rarius, ipse; e Dania utrumque sexum sub nomine: *Copr. fenestralis* Fall. a D. *Stæger* obtinui. (E Glogavia a D. *Zeller* sine synon. missa; e S:t Sever Galliæ sub nomine: "*Limos. lugubris* Duf." a D. *Leon Dufour* communicata).

♂♀. Similis duabus proxime præcedentibus, sed a *setulosa* pedibus nigris, a *lugubrina* alarum segmento costæ 2:do 3:tium vix l. tantum paullulum excedente, & ab utraque alarum costa basi non longe, sed modice tantum l. breviter ciliata. A *L. Pumilione* (3) halteribus nigris, nec albis, & a sequente pedibus totis nigris distingvitur.

Obs. An nostra cum *Limos. pygmæa* Meig. Dipt. anno 1838. 7. 410. 11. identica sit ob brevitatem descriptionis dijudicare non possum.

13. *L. fenestralis:* nigra, subnitida, halteribus fuscis, epistomate pallido, tibiis tarsisque rufescentibus, alis fusco-hyalinis, costa basi breviter ciliata, nervo 3:tio longitudinali mox ante apicem in costam lenissime curvatim flexo excurrente, segmento costali 2:do & 3:tio æque longis. ♂♀. (Long. fere $\frac{1}{2}$′ lin.).

Macq. Buff. 2. 573. 6? *Copromyza* Fall. Heteromyz. 8. 7. ♂♀. *Borborus* Meig. Dipt. 6. 207. 25?

Hab. in stercoratis, fungis putridis, sub lapidibus, etiam in fenestris deprehensa, per Scandinaviam meridionalem Aug. Sept. mihi parce obvia; scilicet in Scania ad Lund & Esperöd aliqvoties lecta.

♂♀. Valde similis priori, sed epistomate flavido, tibiis tarsisque testaceis, & nervo longitudinali 3:tio magis recto versus apicem l. mox ante apicem, nec in summo apice alæ, excurrente, dignota. Frons setulosa, nigra. Epistoma breve, albo-flavum. Antennæ non magnæ, nigræ, seta elongata nuda. Thorax supra nitens. Abdomen glabriculum. Alæ hyalinæ, ad costam leniter subfumatæ. Segmentum costæ 2:dum 3:tio fere brevius saltem non longius. Nervi longitudinales: 2:dus in medium costæ extenditur, 4:tus 5:tusque in medio alæ desinuntur, ita ut nervus transversus ordinarius apici longitudinalis 2:di præcise opponatur. Pedes aut testacei, femoribus nigricantibus, aut toti rufescentes. Tibiæ intermediæ extus versus apicem

setulosæ. Tarsorum posticorum articulus 1:mus brevis, incrassatus, 2:dus angustatus 1:mo fere duplo longior, 3:tius longitudine 1:mi, sed 2:do fere angustior.

14. *L. vitripennis:* nigra, subnitida, halteribus obscuris, pedibus nigris; alis hyalinis, costa basi breviter ciliata, nervo 3:tio longitudinali subrecto fere in apice alæ excurrente, segmento costali 2:do subcrassiori atro, 3:tio fere dimidio breviore. ♂♀. (Long. vix $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime; in Scania ad Esperöd utrumque sexum legi.

♂♀. Alæ hyalinæ & nervus costalis ab apice auxiliaris ad apicem 2:di longitudinalis breviusculus paullo crassior determinate niger speciem denotant. Pusilla. Nigra subnitens. Frons subopaca setulosa. Epistoma cinerascens. Alarum nervi fere ut in priori directi, at 2:dus longitudinalis paullo brevior, inde etiam segmentum costæ 2:dum 3:tio nonnihil brevius. Nervus longitudinalis 3:tius non exactissime rectus, sed lenissime subarcuatus in apicem alæ tendit. Costa basi exigue ciliata. Abdomen apice in ♂ subrotundatum, in ♀ acutum. Pedes simplices nigri glabriculi, tibiis intermediis leniter setulosis. Metatarsus posticus parum dilatatus.

Obs. Vix *Limos. pygmæa* Meig. Dipt. 7. 410. 11. ob corpus nitidulum, nec opacum. An *Lim. minima* Macq. Buff. 2. 573. 9.: "nigra. Pedes nigri. Alæ hyalinæ. $\frac{1}{3}$ lin. long."?

15. *L. minutissima:* nigra opaca, halteribus pedibusque concoloribus; alis albido-hyalinis, costa basi breviter ciliata, nervo 3:tio longitudinali recto fere in summo apice alæ excurrente, segmento costali 2:do & 3:tio subæque longis. ♂. (Long. $\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Scandinaviæ graminosis & fruticibus Maj.—Sept. minus frequens, in foliis celeriter cursitans; nempe in Scania ad Lund & Paradislyckan &c. locis umbrosis

passim; in Ostrogothia ad Wadstena parce; in Jemtlandiæ borealis alpe Åreskutan in ipsa nive repens rarissime.

♂. Omnium minutissima. Nigra opaca. Frontis setulæ exiguæ. Oculi brunnei. Alæ albidæ. Nervi longitudinales 4 & 5 abbreviati valde tenues. Segmentum costæ 2:dum 3:tio nonnihil longius. Halteres fusci. Pedes simplices nigri, vix setulosi. — Ob minutiem corporis & alas albescentes speciem hanc a *L. pygmæa*, cui valde propinqvam, distinctam puto.

b). Aptera: alis rudimentariis.

16. *L. pedestris:* nigra, subnitida, pilosa, halteribus nullis; pedibus nigris; alarum rudimento. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ —$1\frac{1}{2}$ lin.).

Borborus Meig. Dipl. 6. 209. 30. ♂♀. T. 62. f. 21. ♂. (figura bona). — *Apterina* Macq. Buff. 2. 574. 1. ♂♀. T. 22. f. 21. ♂. (nimis glabra).

Hab. in Norwegia valde rara; ad diversorium Thynæs prope litus maris 1—6 Jul. 1840 parcissime inveni. (E Lübeca a D. D. *Jac. Behrens & Milde* 1844, & e Glogavia a D. *Zeller* eodem anno etiam communicata).

♂♀. Per pilositatem corporis partiumque, defectum alarum halterumque ut & segmenti abdominis 2:di impressionem, ab omnibus aliis abunde diversa propriumque genus merito constituens. Tota nigra, subnitens. Caput rotundatum. Frons lata, setulosa, bistriata. Antennæ rotundatæ, sessiles, seta dorsali versus apicem subtiliter puberula. Oculi mediocres, subexserti, rotundi, nudi, ferruginei. Epistoma breviusculum, obscure cinerascens, seta utrinque mystacina. Prælabrum subprominulum. Proboscis magna, sæpe testacea. Thorax lateribus setosus, callis humeralibus subprominulis. Scutellum semi-orbiculatum, margine setis 4 mediocribus. Abdomen oblongum, nigro-pubescens l. subvillosum, segmento 2:do imprimis in ♂ elongato, in medio linea elevata ornato. Anus in ♂ obtusus, in ♀ acu-

tus. Alæ sordide albidæ in rudimento adsunt. Halteres non perspiciendi. Pedes nigri toti pubescentes seu villosi, postici elongati. Femora antica incrassata. Metatarsus posticus brevis modice dilatatus, articulus 2:dus paullo longior at angustior, sequentibus tamen paullo major.

Obs. Cum diversa nervorum in alis directio genera *Copromyzam* & *Limosinam* præcipue denotat difficile est dictu an huic l. illi generi inserenda sit nostra species; alis destituta *Limosinæ* de cetero magis propinqua videtur.

---

179. PIOPHILA Fall.

Corpus parvum, oblongo-ovatum, nitidum, glabriculum, nudum, setis verticis, thoracis laterum abdominisque apicis paucioribus. Caput rotundatum. Frons latiuscula, non prominula. Antennæ incumbentes, breviusculæ, articulo ultimo elliptico (in *P. Lonchæoides* rotundo) compresso, basi seta dorsali nuda. Epistoma subperpendiculare, breviusculum, latum, seta mystacina utrinque unica. Apertura oris mediocris rotundata. Partes oris retractæ. Oculi majusculi, rotundati, nudi. Thorax oblongus, ad latera vestigio lineæ impressæ. Scutellum mediocre l. parvum, trigonum, margine setis 4, apicalibus validioribus. Abdomen oblongo-ovatum, segmentis 5 subæque longis. Alæ abdomine nonnihil longiores, modice latæ. Nervi longitudinales: omnes recti & ad marginem alæ producti, 2:dus elongatus, 3:tius in summo apice excurrens, 4:tusque sæpius paralleli, 6:tus vero non usque ad marginem continuatus. Nervi: auxiliaris fere ad medium costæ extensus, interdum paullo brevior, simplex h. e. secundario nullo (in *P. Lonchæoides* duplex); transversi perpendiculares recti non longe remoti, horum ordinarius distincte ante medium areæ insertus, medius mox pone exitum auxiliaris ductus. Segmentum costæ

316

2:dum 3:tio triplo l. quadruplo, 3:tium 4:to dimidio longius; segmentum nervi longitudinalis 4:ti 2:dum 3:tio seu ultimo duplo brevius. Costa nuda. Squamæ duplicatæ parvæ. Halteres nudi. Pedes simplices, robusti, puberuli, mutici. *Color* niger, raro ferrugineus. *Motu* sat agilis. Volatus brevis. *Habitatio* imaginum in stercoratis, fungis putridis, cadaveribus &c., sæpe etiam in fenestris reptantium; larvæ ex obsoniis pingvibus, fungis &c. vivunt. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore, ano obtuso, hamulis 2 incurvatis munito; *femina:* vagina anali erumpente acuminato; oculis etiam maris in fronte plerumque paullo minus remotis quam in femina. *Typus* generis: *P. Casei.* A *Sepsi* & *Scatophaga* præsentia mystacum, & a *Geomyza* & *Drosophila* seta antennarum nuda, mox dignoscitur *Piophila.*

A. Alæ hyalinæ, immaculatæ. Corpus nigrum.

a) nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem parallelis vel lenissime subdivergentibus. Scutellum nigrum.

*. Epistoma flavum. Antennæ sæpissime flavæ vel ferrugineæ (in *P. pilosa* n:o 7 nigricantes).

1 *Casei* Fall. (*Musca putris* var. *β. Casei* Linn.) ♂♀. 2 *atrata* Fabr. (*Piophila vulgaris* Fall. e parte) ♂♀. 3 *affinis* Meig. (*P. vulgaris* Fall. e maxima parte. — *P. pygmæa* Zett. Ins. Lapp. ♀.) ♂♀. 4 *varipes* Meig.? ♂♀. 5 *nigrimana* Meig. ♀. 6 *pusilla* Meig. ♀. 7 *pilosa* Stæg.

Species dubiæ:

8 *pectoralis* Zett. n. sp. ♀? 9 *punctipennis* Zett. n. sp. ♀.

**. Epistoma nigrum. Antennæ aut ferrugineo-flavæ, aut nigræ.

10 *nigriceps* Meig. (*Pioph. vulgaris* var. in descriptione Fall.) ♂♀. 11 *cærulescens* Zett. n. sp. ♂♀. 12 *flavipes* Zett. n. sp. ♀. 13 *nigricornis* Meig. ♂♀. 14 *Lonchæoides* Zett. Ins. Lapp. ♂♀.

b) nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem non exacte parallelis, sed lenissime subconvergentibus. Seta utrinque mystacina unica brevis. Thorax opacus. Scutellum planum. Abdomen angustatum. Pedes graciles; antici in mare sublus breviter spinulosi. Sepsiformis. *Anisophysa* Macq. *Nemopoda* Macq. Meig. *Saltella* Löw. Rob. Desv.

15 *scutellaris* Fall. (var. a. b. c. d. — *Anisophysa* Macqv. — *Saltella* Löw. — *Nemopoda scutellata* Macqv. ♂. *Nemopod. ruficoxa* Ejusdem ♀.) ♂♀.

B. Alæ hyalinæ, puncto apicis nigro. Corpus rufum.

16 *bipunctata* Zett. Ins. Lapp. (*Geomyza* Fall. *Opomyza* Meig.) ♂♀.

Piophila.

A. Alæ hyalinæ immaculatæ. Corpus nigrum.

a) nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem parallelis l. lenissime subdivergentibus. Scutellum nigrum.

*. Epistoma flavum. Antennæ sæpissime flavæ l. ferrugineæ (in *P. pilosa* n:o 7 nigricantes).

1. *P. Casei:* subænescenti nigra, nitida, glabra, epistomate, antennis fronteque antice, flavis; pedibus nigricantibus, basi, geniculis tarsisque pallidis. ♂♀. (Long. 1 —$1\frac{1}{3}$ lin.).

Fall. Heteromyz. 9. 1. ♂♀. Bouchè Naturgesch. der Ins. p. 99. 90. (larva & pupa). — Meig. Dipt. 5. 395. 1. T. 51. f. 4. ♀. — Macq. Buff. 2. 541. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 772. 1. ♂♀. Dahlb. Skand. Ins. 323. 221. T. 2. f. 24. Stæg. in Kröyers Tidsskrift 1. 4. p. 368. 51. — *Musca putris* var. *β. Casei* Linn. Fn. Sv. n:o 1850.

Hab. in fungis putridis & caseo antiquo, in fenestris sæpe reptans; larva saliens; occurrit tota æstate per Sveciam, Lapponiam (alpibus exceptis), Norwegiam & Daniam, vulgaris, in copula sæpe deprehensa. (E Grönlandia etiam per D. *Westermann* communicata).

♂♀. Tota æneo-nigra, nitida, glabricula. Frons lata nigra, antice flava. Vertex setosus. Antennæ ovales, testaceæ, apice sæpe indeterminate fuscæ, seta elongata, nuda. Epistoma flavum, subpellucidum. Facies brevis. Instrumenta cibaria retracta, testacea. Genæ subdescendentes. Oculi subexserti. Alæ albido-hyalinæ, nervis pallidis. Nervus auxiliaris paullo ultra medium costæ & pone apicem secundarii extensus, costali intime junctus (unde auxiliaris & costalis quasi unum crassiusculum constituunt), excurrit. Nervi transversi: medius fere in medio & ordinarius paullo pone medium alæ (a margine tamen paullo remotus), siti. Squamæ & halteres alba. Pedes nigricantes; antici: coxis, femoribus basi, geniculis, & interdum tarsis basi, flavis; intermedii fere toti fusco-testacei, coxis & sæpe femoribus in medio, nigris; postici: femorum tibiarum apice tarsisque testaceis. — Cum *Sepsi putri*, cui habitu & colore si-

millima, sed præsentia setæ mystacinæ aperte diversa, non confundenda. — Variat sæpe tarsis anticis totis nigris. Interdum tarsi antici nigricantes, in medio testacei. Frons antice plus minus late flava.

2. *P. atrata:* subænescenti nigra, nitida, thorace subsericeo, epistomate, antennis, fronteque antice, flavis; pedibus nigricantibus, basi, geniculis tarsisque pallidis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Meig. Dipt. 5. 396. 2. Macq. Buff. 2. 512. 2. Zett. Ins. Lapp. 772. 2. ♂♀. *Musca* Fabr. Ent. Syst. 4. 333. 89. & *Tephritis* Fabr. Antl. 323. 33., teste Meig. — *Piophila vulgaris* Fall. Heteromyz. 9. 2. (e parte).

Hab. in cadaveribus, fungis putridis &c., cum præcedente passim, minus frequens; scilicet in Scania ad Lund, Sjörup &c.; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Jemtlandia ad diversorium Rätan; in Lapponia Umensi ad Wilhelmina; e Dania sub nomine: "*Pioph. atrata* Meig." femina etiam communicata a D. *Stæger.*

♂♀. Priori simillima & valde affinis, sed magnitudine nonnihil minore & thorace brevissime puberulo discrepare videtur. Pedes antici plerumque fere toti nigricantes, coxis geniculisque flavis. An a præcedente vere distincta?

3. *P. affinis:* subænescenti nigra, nitida, glabra, epistomate, antennis, fronte pedibusque posterioribus, flavis, horum femoribus apice nigricantibus. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ — 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 383. 9. *Pioph. pygmæa* Zett. Ins. Lapp. 772. 4. ♀. *Pioph. vulgaris* Fall. Heteromyz. 9. 2. ♂♀. (ad maximam partem).

Hab. in obsoniis pingvibus, cadaveribus, fungis putrescentibus, graminosis &c., interdum etiam in fenestris reptans, per totam Sveciam Jun.—Octob. vulgaris, in copula quoque observata; scilicet in Scania ad Lund, Skinnartorn, Räften *(Dahlbom)*, Sjörup *(Möller)*, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogotbia ad Lärketorp; in Ölandia ad Gärdslösa haud raro; in Jemtlandia ad diversorium Forsa prope radicem alpis Mullfjellet non parce; in paroecia Frederica Lapponiæ Umensis rarissime; in Dania passim. (E Finlandia a D. *Sahlberg* & ex Hamburgo a D. *Dahlbom* communicata. — Sub nomine: "*Pioph. nitidula* Duf." e S:t Sever Galliæ plura specimina a D. *Leon Dufour* etiam obtinui).

♂♀. Per magnitudinem minorem, frontem fere totam & pedes posteriores maxima ex parte flava a prioribus facile dignota. Nigra nitida, thorace atro certo situ lenissime æneo-submicante. Caput totum flavum, vertice plerumque nigricante, interdum relictis tantum punctis tribus l. solum puncto ocellorum nigris. Antennæ rotundatæ, flavæ. Oculi in viva brunnei æneomicantes. Scutellum convexum. Abdomen ovatum l. ovale. Alæ pallide nervosæ. Halteres pallidi. Pedes: antici nigri, coxis tibiarumque basi flavis; posteriores flavi, apice femorum intermediorum anguste, sæpe obsolete, posticorum late, nigricante l. brunneo. Variat sæpe pedibus intermediis totis flavis. Femora antica basi interdum flava, postica apice plus minus late nigricantia. Pedum posticorum tarsi apice sæpe infuscati. — Variat denique thorace abdomineque piceis.

Obs. Individua hujus speciei sub nomine: "*Pioph. vulgaris*", in museo Falleniano exstant.

4. *P. varipes:* nigra nitida, epistomate, antennis, fronteque antice late, flavis; pedibus anticis: nigris, coxis geniculisque flavis, posticis: flavis, apice femorum late,

tibiarum tarsorumque anguste, flavo; antennis apice fuscis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{8}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 381. 11? Macq. Buff. 2. 543. 7?

Hab. in Svecia & Lapponia Jul. Aug. minus frequens, in copula deprehensa; scilicet in Scania rarius; in Jemtlandia ad Åreskutan & Skalstugan non parce; in jugo alpino Norwegiæ ad diversorium Suul Værdaliæ in floribus Sorbi Aucupariæ 5—15 Jul. 1840 sat copiose lecta.

♂♀. Simillima priori, sed vertice latius nigro, & apice pedum posticorum femorum tarsorumque latius & magis determinate nigricante, forte diversa. Atra. Frons antice sat late flava, vertice nigro. Antennæ minusculæ, rotundatæ, fuscæ, basi indeterminate flavæ. Epistoma flavum. Scutellum convexum, certo situ submetallice nitens. Abdomen ovatum. Alæ ut in præcedente. Halteres albidi. Pedes: antici nigri, coxis totis, trochanteribus, geniculis summis & interdum tibiarum ima basi flavis; intermedii flavi, femoribus a medio ad apicem tarsorumque articulis 2 ultimis nigricantibus; postici flavi, femoribus latissime (ab apice ad medium & ultra), tarsorumque articulis 2—3 ultimis nigricantibus. — Variat pedibus intermediis flavis parum nigro-maculatis; variat quoque tibiarum posticarum summo apice fusco.

Obs. In nostra specie femora & tibiæ antica fere tota nigra, nec ut in specie Meigeni tantum a medio ad apicem nigra, unde dubium de identitate.

5. *P. nigrimana:* nigra, nitida, epistomate, antennis, fronte antice late, pedibusque flavis, horum anticis nigris, coxis flavis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 396. 3. ♀. T. 54. f. 5. — Macq. Buff. 2. 542. 3. ♀. T. 22. f. 4 (pedibus etiam anticis immerito flavo-coloratis; alis multoties justo longioribus; specimen masculum repræsentatum videtur.).

Hab. in Svecia meridionali Jul.—Sept. minus frequens; in Scania ad Lund in agris demessis 10 Sept. 1838 aliquot exempla feminea inveni; ad Sjörup, D. *Möller*; e Dania quoque missa.

♀. Pedes antici nigri & posteriores toti flavi speciem denotant. Atra. Caput fulvo-flavum, vertice anguste nigro. Antennæ ovales fulvo-flavæ. Oculi in viva ferruginei æneo-micantes unicolores. Scutellum convexum. Abdomen oblongo-ovatum, apice acutum. Alæ pallide nervosæ. Halteres pallide flavi. Pedes: antici nigri, coxis totis & interdum femoribus basi pallide flavis; postici toti rufo-flavi.

6. *P. pusilla:* nigra, nitida, epistomate, antennis, fronte antice late, pedibusque, flavis, femoribus anticis apice brunneis, tarsis anticis totis, posticisque apice, nigris. ♀. (Long. vix 1 lin.).

Meig. Dipt. 7. 360. 13. ♂.

Hab. - - - - In Svecia mihi nondum obvia, sed e Finlandia absque nomine a D. Prof. *Sahlberg* communicata.

♀. Nigra, nitida, glabricula, robusta. Frons fulva, vertice nigricante. Antennæ mediocres, rotundatæ, flavo-testaceæ, summo apice fuscescente. Epistoma fulvum. Proboscis fusca. Scutellum convexum. Abdomen rotundatum. Alæ pallide nervosæ. Halteres pallidi. Pedes flavi. Femora antica a medio ad apicem brunnescentia. Tarsi antici nigri, basi anguste pallidi. Tarsi posteriores articulis 2 ultimis obscuris. — Mas mihi ignotus.

7. *P. pilosa:* "subænescenti nigra," nitida, breviter pilosa; epistomate, vitta frontali, transversali genubusque rufis; alis hyalinis, nervis validis fuscis. ♂♀. (Long. 1½ lin.)." Stæg.

"*Mas:* cauda incurva, incrassata, hirsuta;

Fem.: abdomine angustato, acuminato, apice subcylindrico parce setoso."

Stæger in Naturh. Tidsskrift af Kröyer nov. ser. 1845. 1. IV. p. 368. 52. ♂♀.

Hab. in Grönlandia, e qua 1 marem & 4 feminas D. *Stæger* obtinuit & descripsit; a me neque deprehensa neque visa.

♂♀. Pilositate brevi, densa totius corporis (præsertim in ♂) & setis aliquot longioribus in segmentis abdominis duobus ultimis, ab aliis speciebus distincta. Epistoma & fascia transversalis angusta in frontis antico, rufo-flava. Antennæ totæ nigræ. Pedes nigri, genubus rufescentibus. Alarum nervi validiusculi obscuri. Stæg.

Species dubiæ:

8. *P. pectoralis:* ferruginea, nitida, thoracis dorso abdomineque piceis; antennis majusculis, epistomate pedibusque rufo-flavis, anticorum femoribus annulo apicali tarsisque totis nigro-brunneis. ♀? (Long. 1½ lin.).

Hab. in Svecia meridionali rarissime, in Scania ad Lund 1 Jun. specimen descriptum inveni.

♀? Affinis & similis *P. Casei*, sed aliter colorata & vix ejus individuum nuper exclusum. Caput totum flavo-ferrugineum, puncto ocellorum nigro. Antennæ majusculæ rotundatæ rufæ, superne infuscatæ. Proboscis fusca. Thorax dorso nigro-piceus, lateribus & pleuris ferrugineis, sterno nigricante. Scutellum convexiusculum piceo-ferrugineum. Abdomen ovale, nigro-piceum. Alæ ut in *P. Casei*. Halteres albidi. Pedes fulvo-flavi; antici: femoribus ante apicem annulo brunneo, tarsis totis nigricantibus; posteriores: tarsis apice dilute fuscis.

9. *P. punctipennis:* nigra, nitida, epistomate, antennis mediocribus, fronte antice late, pedibusque, pallide flavis; femoribus anticis posticisque in medio late dilute brunneis, tarsis anticis obscuris; alarum nervis pallidis, longitudinalibus 2, 3 & 4 apice lenissime infuscatis. ♀. (Long. $1\frac{1}{4}$ lin.).

Hab. in Svecia media rarissime; in Ostrogothia ad Lärketorp semel capta.

♂♀. Per capitis, antennarum pedumque pallidum colorem & nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 apicem puncto l. umbra dilute fusca notatum, a ceteris dignota videtur. Frons flava, vertice puncto ocellorum & lineolis 2 lateralibus nigricantibus. Antennæ mediocres, rotundæ, pallide flavæ, seta concolore. Epistoma cum proboscide & palpis pallide flavum. Thorax niger, dorso breviter cinereo-puberulus. Scutellum convexum nigrum. Abdomen oblongum, nigro-piceum, puberulum, apice acutiusculum. Alæ hyalinæ, nervis pallidis ut in *P. Casei* directis. Halteres albidi. Pedes pallide flavi; antici: femoribus fere totis valde dilute brunneis, tarsis totis dilute fuscis; intermedii: immaculati; postici: femoribus versus apicem valde dilute brunneis.

**. Epistoma nigrum. Antennæ aut ferrugineo-flavæ aut nigræ.

10. *P. nigriceps:* nigra, nitida, capite concolore; antennis rufis; fronte lævi, glabra; scutello planiusculo; pedibus: anticis nigris, coxis flavis; posterioribus flavis, femoribus in medio latissime nigricantibus. ♂♀. (Long. 1 fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 5. 397. 5. Zett. Ins. Lapp. 772. 3. ♂♀. *Piophila vulgaris* Fall. Heteromyz. 9. 2. var. in descriptione: "fronte (h. e. epistomate) tota nigra".

Hab. in cadaveribus & fungis putridis &c. per Scandinaviam Jun.—Sept. passim, in copula sæpe deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Sjörup, Esperöd &c. sat frequens; in Ostrogothia ad Gusum (*Wahlberg*) & Lärketorp; in Dalecarlia ad Rörshyttan parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime; in Dania. (E Finlandia a D. *Sahlberg*; e Neuenkirchen Germaniæ a D. *Dahlbom* (15—20 Maj. 1842 capta), & e Glogavia a D. *Zeller*, mecum quoque communicata).

♂♀. Caput totum nigrum nitidum. Frons lævis glabra, immediate supra antennas lineola sub-transversa incurva parum profunda impressa, sed foveola perspicua ("ein deutliches Grübchen" ut in *Pioph. foveolata* Meig.) nulla. Antennæ in excavatione minime profunda immediate sub fronte insertæ, minusculæ, rotundatæ, rufo-testaceæ, interdum superne leniter subinfuscatæ. Seta mystacina utrinque unica. Scutellum planum, sub lente visum subtiliter rugulosum l. punctulatum. Abdomen late ovatum, apice in mare rotundatum, in femina acutum. Alæ albo-hyalinæ, nervis albidis. Squamæ & halteres albida. Pedes antici: nigri, coxis, trochanteribus & geniculis summis flavis; intermedii: femoribus in medio latissime nigricantibus, tarsis apice dilute fuscis; postici: femoribus in medio latissime, fere totis, nigris, tibiis apice late infuscatis, tarsis apice dilute fuscis. Femora antica basi sæpe anguste flava.

Obs. Specimina, quæ e Dania a D. *Stæger* sub nomine: "*P. foveolata* Meig." obtinui, a nostra *P. nigriceps* in nihilo differunt.

11. *P. cærulescens:* cærulescenti atra, nitida, capite concolore; antennis sordide flavis; fronte lævi glabra; scutello convexiusculo; pedibus nigris, anticorum coxis apice, posticorumque geniculis & tarsis, flavis. ♂♀. (Long. 1 lin.).

Hab. in Scandinavia boreali Jul. Aug. minus frequens; scilicet in Jemtlandia ad radicem alpium Åreskutan & Mullfjellen parce; in Lapponia Umensi ad Lycksele rarissime; in Norwegia ad Næs semel.

♂♀. Similis priori, scutello magis convexo & pedibus obscurioribus imprimis dignota. Caput nigrum. Antennæ rotundatæ subtestaceæ. Thorax & abdomen rotundato-ovatum atra, subcæruleo-nitentia. Alæ hyalinæ, nervis albidis, costali a medio ad apicem obscuriori. Squamæ & halteres albida. Pedes nigri; antici: coxis apice plerumque, trochanteribus & sæpe geniculis summis flavis; posteriores: genubus tarsorumque basi late flavis.

Obs. In Svecia inferiori (Scania?) specimen unicum huic simillimum, at frontis disco flavido instructum, captum fuit; forte hujus juvenile.

12. *P. flavipes:* nigra, nitida, capite concolore, antennis obscure testaceis; pedibus flavis, anticis: annulo femorum apicali tarsisque nigricantibus. ♀. (Long. circiter 1 lin.).

Hab. in Svecia valde rara; in Westrogothia a D. *Boheman* capta; in Jemtlandia boreali ad diversorium Skalstugan d. 16 Jul. 1840 a me semel inventa.

♀. Atra. Caput nigrum. Frons subopaca, macula verticis nitida. Antennæ rotundatæ, rufo-piceæ. Scutellum convexum. Abdomen ovatum. Alæ albo-hyalinæ, nervis pallidis. Squamæ & halteres albida. Pedes flavi; antici: femoribus ad apicem tarsisque nigricantibus, horum articulo ultimo pallido.

13. *P. nigricornis:* nigra, nitida, capite antennisque concoloribus; scutello convexo; pedibus nigris, anticorum trochanteribus posteriorumque genubus & tarsis flavis. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 5. 397. 6. ♂. Macqv. Buff. 2. 542. 5. ♂.
Hab. in Scandinavia meridionali rarius; scilicet in Scania Jun. Jul. ad Lund &c., deprehensa; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Similis n:o 10 & 11, sed a *P. nigriceps* antennis nigris, nec rufis, & scutello convexo, nec plano, & a *P. cærulescente* colore corporis magis pure nigro, nec in cæruleum vergente, & antennis nigris, nec testaceis, discedit. Atra. Frons parum nitida. Abdomen ovatum. Alæ, squamæ & halteres ut in proxime præcedentibus. Pedes nigri; antici: trochanteribus & sæpe coxarum apice flavo; posteriores: trochanteribus, femoribus ima basi, genubus tarsisque flavis, horum apice sæpe dilute fusco. Tibiæ posteriores interdum basi flavæ.

14. *P. Lonchæoides:* oblongo-ovata, cærulescenti atra, nitida, capite concolore; antennis orbicularis ferrugineis; scutello convexo; alis albo-hyalinis, basi flavicantibus; pedibus nigris, geniculis flavis. ♂♀. (Long. 1½ fere 2 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 773. 5. ♂.

Hab. in Svecia boreali alpestri mense Julio minus frequens; scilicet in alpibus Dalecarlicis 1836 a D. *Boheman* detecta; dein 1840 a D. *Dahlbom* & me in Jemtlandia ad radicem alpium Mullfjellen, ut & ad diversorium Skalstugan in 5 individuis deprehensa. Tandem (1843) a D. Prof. *Wahlberg* in alpe Njammats prope Qvickjock Lapponiæ Lulensis quoque lecta.

♂♀. Statura corporis præsertim abdominis ovata, magnitudine & colore *Lonchææ vaginali* sat similis, at seta mystacina utrinque unica perspicua, nec nulla, & antennis orbiculatis, nec elongatis, aperte & mox dignota. Vertex setulosus. Antennæ majusculæ, fulvo-testaceæ, seta nigra. Oculi majusculi.

Epistoma nigrum, orbita oculorum inferne ferruginea. Thorax supra brevissime puberulus. Abdomen ovatum, parum acutum. Alæ albo-hyalinæ, nervis pallidis, basi flavicantibus, auxiliari subduplici h. e. a secundario anguste remoto. Squamæ albidæ. Halteres flavi. Pedes robusti, nigri, trochanteribus & geniculis flavis. Metatarsi postici interdum etiam flavidi.

b) nervis longitudinalibus 3 & 4 versus apicem non exacte parallelis, sed lenissime subconvergentibus. Seta utrinque mystacina unica brevis. Thorax opacus. Scutellum planum. Abdomen angustatum. Pedes graciles; antici in ♂ subtus breviter spinulosi. Sepsiformis. *Anisophysa* Macq. *Nemopoda* Macq. Meig. *Saltella* Löw. Rob. Desv.

15. *P. scutellaris:* nigra, epistomate antennisque rufis; pedibus discoloribus; scutello fulvo (♂), aut atro (♀). ♂♀. (Long. 1 fere $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Heteromyz. 10. 3. ♂♀. typica. Meig. Dipt. 5. 397. 7. (e descriptione Fall. transscripta). — *Anisophysa* Macqv. Buff. 2. 544. 1. ♂♀. T. 22. f. 5. *Saltella* Löw. Ent. Zeit. 2. 1841. p. 182. *Nemopoda scutellata* Macq. Buff. 2. 481. 3. ♂. *Nemopoda ruficoxa* Ejusdem 2. 481. 4. ♀.

Varietates seqventes in Svecia observavi:

Var. a. ♂. nigra, scutello fulvo, pedibus nigris, coxis anticis totis, trochanteribus omnibus, femorumque posteriorum basi flavis.

Var. b. *humeralis* ♂. nigra, scutello fulvo, callis humeralibus abdominisque basi lateribus rufis, pedibus nigris, coxis, trochanteribus, femorumque anticorum basi

anguste, & posteriorum late, flavis, tibiis intermediis pallescentibus.

Var. c. *scutellata* Macq. *scutellaris* Auctor. ♂. nigra, scutello fulvo, callis humeralibus, pectore abdominisque basi lateribus rufo-flavis, pedibus nigris, coxis, trochanteribus, femoribus anticis subtus, posterioribusque fere totis, flavis, tibiis intermediis pallescentibus.

Var. d. *ruficoxa* Macq. ♀. nigra, scutello atro, coxis anticis totis, trochanteribus omnibus femorumque posteriorum basi anguste, flavis.

Hab. hæ omnes varietates simul in stercore bovino recenti, mihi in Svecia meridionali a medio mensis Maji usque ad finem Julii non parce obviæ; scilicet in Scania ad Lund, Kjellby, Lomma, Kjetlinge *(Dahlbom)*, Räften &c. frequens. In floribus a me numquam observata.

♂♀. Affinis *Sepsi*, eique gracilitate corporis & pedum similis, sed setis mystacinis, licet brevibus & minutis tamen præsentibus, distincta. Glabricula, setis ordinariis præsentibus. Caput in omnibus rufescens, fronte l. tota l. saltem vertice plus minus late nigricante. Antennæ breviter oblongæ, deflexæ, rufescentes. Epistoma antice subprominens. Proboscis magna, testacea. Oculi majusculi in viva æneі, unicolores. Thorax nitidus, dorso opacus; aut totus niger ut in var. a. & d., aut niger, callis humeralibus & macula pectorali antica rufo-flavis ut in var b., aut denique niger, callis humeralibus, pectoreque toto rufo-flavis, macula supra coxas intermedias nigro-cinerea, ut in var. c. Scutellum subtrigonum planum, aut in var. a. b. & c. majusculum fulvum (in var. a. ima basi leniter nigricans), aut totum atro-holosericeum ut in var d. Metathorax niger, nitidus. Abdomen oblongum, subangustatum, subdepressum, nigrum nitidum, segmentis subæque longis, horum 1:mo vel 1:mo & 2:do in variet. b. & c. macula laterali plus minus distincta flava, ferruginea l. picea. Anus in ♂

subinflexus rufus, in ♀ acutiusculus niger. Alæ abdomine nonnihil longiores, sordide hyalinæ. Nervi: auxiliaris fere ad medium costæ extensus, a secundario subremotus, longitudinales 3 & 4 versus apicem lenissime subconvergentes, 5:tus non usque ad marginem productus, 6:tus nullus, 7:mus seu basalis abbreviatus; transversi non longe remoti, ordinarius longe ante medium areæ insertus. Squamæ parvæ, albidæ. Halteres in variet. a. & d. nigricantes, in b. & c. testaceæ. Pedes mediocres l. tenues, glabriculi, femoribus præsertim posticis versus apicem superne parce setulosis; ut in diagnosi varietatum colorati; antici in ♂ subtus: femoribus in medio & tibiis versus apicem brevissime subspinulosis; postici in utroque sexu elongati. — A *Copromyza* mox dignoscitur: metatarso postico simplici.

Obs. In Scania duo inveni specimina, ut videntur mascula, varietati d. simillima, sed ano subinflexo rufescente, &, ni valde fallor, pedum anticorum femoribus subtus in medio & tibiis versus apicem brevissime & subtiliter spinulosis, distincta. An *Anisophysa albipennis* Macq.? Aut ♂ *P. scutellaris* v. d. nobis?

Obs. Cum nulla individua *P. scutellaris* in copula juncta, deprehendere mihi contigit, pro certo dicere non audeo, an omnes l. quædam allatarum varietatum ut diversæ, species aut tantum aberrationes unius ejusdemque sint considerandæ. Feminæ vero similiter coloratæ varietatum a. b. & c. a me haud deprehensæ. Interea auctoritate D. *Macqvarti* varietates c. & d. ut ad unam eandemque pertinentes propono. Veritatem in posterum doçebunt observationes.

B. Alæ hyalinæ, puncto apicis nigro. Corpus rufum.

16. *P. bipunctata:* rufo-testacea, nitida, glabricula; abdomine nigro; pedibus flavis; alarum macula baseos punctoque apicis atris. ♂♀. (Long. 1—1½ lin.).

Zett. Ins. Lapp. 773. 6. ♂♀. *Geomyza* Fall. Geomyzid. 3. 3. ♂♀. *Opomyza* Meig. Dipt. 6. 110. 22.

Hab. in foliis fruticum, sed frequentius in fungis putridis terrestribus, per Sveciam & Lapponiam, Jul.—Sept., vulgaris, in copula multoties capta & pupa versus autumnum sæpe exclusa; inventa scilicet in Scania ad Lund, Kjellinge, Lackalänga *(Dahlbom)*, Widtsköfle *(von Borck)* &c. passim copiose; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Lärketorp, Wadstena, Gusum; in Gottlandia ad Gothem & Lummelund; in Jemtlandia ad diversorium Faxelfven; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina, Lulensi ad Qvickjock, D. *Wahlberg*, Tornensi ad Muonioniska & Kengis, ipse.

♂♀. Colore corporis rufo, & pictura alarum a præcedentibus facile dignota. Oblongo-ovata, convexa. Flavo-ferruginea, setis in vertice, thoracis lateribus & scutello ordinariis nigris. Antennæ breviter oblongæ, deflexæ, rufæ, seta nuda nigra. Seta mystacina utrinque unica. Oculi mediocres, rotundi, brunnei, in viva æneo-micantes. Thorax ad latera vestigio suturæ mediæ transversæ. Scutellum mediocre, convexum. Abdomen ovale, 5-annulatum? piceo-nigrum, basi sæpe flavo-bifasciatum. Vagina feminæ sæpe longe erumpens ut in *Ortale*. Alæ pure hyalinæ, striga costali baseos (ad nervum auxiliarem) subinterrupta plus minus conspicua punctoque apicis alæ magno saturatiori, atris. Nervi ut in *P. Casei* directi; auxiliaris non usque ad medium costæ extensus, subsimplex. Squamæ parvæ, sordide rufescentes. Halteres albi. Pedes mediocres, subnudi, inermes, flavi, tarsis apice interdum obscuris. Variat præsertim in speciminibus borealibus tibiis posterioribus imprimis basi fuscis. Variat præterea thorace plus minus saturate flavo l. ferrugineo.

Obs. Respectu habito ad nervorum in alis directionem, antennarum setæ nuditatem, corporis formam insectique victum,

quibus ceteris *Piophilis* valde affinis & similis hæc species est, illam potius ad hoc genus, quam ad *Geomyzam*, quæ setam antennarum plumatam habet, retuli.

---

180. RHYNCHÆA Zett.

Corpus parvum, ovale, nitidum, parce pubescens. Caput magnum, rotundatum. Frons decliva, non prominula, postice parce setulosa. Antennæ incumbentes, epistomate paullo breviores, articulo ultimo oblongo, apice subobtuso, seta dorsali nuda. Epistoma infra oculos subdescendens, seta utrinque mystacina unica. Proboscis paullo exserta, saccata. Palpi exserti, magni, rotundi. Oculi magni, rotundato-oblongi, nudi, in fronte non late distantes. Thorax lævis. Abdomen ovatum, subdepressum, læve, 5-annulatum. Alæ abdomine longiores, incumbentes, non vibrantes, nervis ut in *Lonchæa* directis, auxiliari vero breviori, vix ad medium costæ extenso, simplici, h. e. secundario nullo. Nervi transversi remoti. Squamæ minutæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, simplices, mutici. *Color* nigro-cærulescens. *Motus* - - - - - *Habitatio* - - - - - *Differentia sexus* - - - - -. Palpis rotundatis, nec filiformibus, alarum nervo auxiliari brevi simplici, & sqvamis sub alis minutis, nec magnis, ab *Aricia* & *Anthomyza*; ore mystaceo, nec nudo, a *Lauxania* & *Lonchæa;* & nervis transversis remotis, nec appropinqvantibus, ut & statura corporis magis ovali, a *Piophila*, distincta. Nomen generis e partibus oris exsertis desumtum.

1. *R. Lonchæoides:* ovalis, parce pilosa, nitida, cærulescenti nigra, metatarso flavo-albido; antennis, ore balteribusque atris; alis hyalinis. ♀? (Long. circiter 1 lin.).

Hab. in Uplandia ad Nacka prope Holmiam a beato Prof. *B. F. Fries* mense Maji 1834 inventa & ad me pro describenda benevole communicata.

♀? *Lonchææ tarsatæ* hujus operis p. 2352 n:o 7 valde affinis & similis, sed paullo minor, & seta mystacina perspicua, antennis brevioribus, alis hyalinis, nec albidis, &c. distincta. Oculi nudi, in fronte anguste, nec late, & paralleliter remoti. Frons nigro-cærulescens, nitida, breviter & parce pubescens, setis verticis paucis. Epistoma infra oculos parum descendens, nigrum, lenissime cinereo-micans. Partes oris paullo exsertæ, nigræ, pubescentes, palporum articulo ultimo rotundato. Thorax & abdomen lævia, cærulescentia, nitida, parum pilosula, setis scutelli & thoracis postici distinctioribus. Alæ abdomine paullo longiores. Halteres nigri. Pedes atri, metatarsis testaceis l. flavidis; pilosuli, sed non spinulosi.

Famil. 34. GEOMYZIDES.

181. GEOMYZA Fall.

Corpus minutum, oblongum, subnitidum, interdum opacum, glabriculum, setis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine distinctis; molle. Caput rotundatum. Frons latiuscula posterius sensim latior, antice non prominula. Epistoma infra oculos haud descendens, subimpressum, seta mystacina utrinque unica distincta. Antennæ breves, deflexæ, articulo ultimo ovato l. ovali, basi seta dorsali breviter plumata (in *G. marginella* n:o 6, *socculata* n:o 9, *ungvicella* n:o 4, &c., pubescente l. nudiuscula). Oculi majusculi, rotundi, nudi. Scutellum margine apicali bisetosum. Abdomen elongatum, evidenter 6-annulatum. Alæ elongatæ, subangustatæ, parallelæ, rectæ.

Nervi longitudinales: omnes recti, integri & paralleli, horum 2:dus longissimus, 3:tius in ipso apice excurrens, 6:tus abbreviatus. Nervus auxiliaris brevissimus, simplex. Nervi transversi perpendiculares, recti, subappropinqvantes, saltem non longe remoti, horum ordinarius paullulum ante medium areæ insertus, medius perspicue pone apicem auxiliaris ductus. Segmentum costæ 1:mum circiter 6:tam partem totius costæ attingens, 2:dum 1:mo fere qvintuplo longius, 3:tium 2:do sextuplo brevius, 4:tum 3:tio fere dimidio vix duplo longius; segmentum nervi longitudinalis 4:ti 3:tium seu ultimum 2:do fere dimidio longius. Costa nuda. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes simplices, parum setulosi. *Color* pallidus aut obscurus. Alæ sæpe maculatim pictæ. *Motu* agilis. *Habitatio* in graminosis libenter locis uliginosis; imagines sæpe versantur in plantarum foliis, quorum succum roridum amant. *Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore, leniter subclavato, ano obtuso; *femina:* ano acutiore. *Typus* generis: *G. combinata.* Ab *Opomyza* ore mystaceo nec nudo, a *Notiphila* & *Ephydra* epistomate retuso nec convexo, a *Piophila* seta antennarum plumata l. pubescente nec nuda, & ab *Agromyza* & *Phytomyza* nervulo transverso ordinario propius ad marginem alæ retracto, mox dignoscitur *Geomyza. Anthophilinæ* (gen. 195) adhuc propius accedit, sed antennarum articulo ultimo non orbiculato & seta non nuda distingvitur. A *Drosophila* alis angustioribus & nervo auxiliari breviori, 2:do vero longitudinali plerumque longiori, discrepat.

A. thorace pallido.

1 *combinata* Linn.? Fall. (var. a. b. c. — *Musca* Linn. — *Tephritis* Fabr. *Opomyza* Meig. exclus. syn. *Musca germinationis* Schrank, quod ad *Opomyzam Germinationis* mihi pertinet) ♂♀. 2 *angustipennis* Stæg. (*Opomyza* eadem Stæg.) ♂♀. 3 *consobrina* Zett. Ins. Lapp. ♂♀. 4 *ungvicella* Zett. Ins. Lapp. (*Sapromyza* eadem Zett. l. c.). ♂♀.

B. thorace cinerascente vel obscuro.

5 *tripunctata* Fall. (var. a. b. — *Opomyza* Meig.) ♂♀. 6 *marginella* Fall. (*Opomyza* Meig.) ♂♀. 7 *Unipunctum* Zett. n. sp. ♂♀. 8 *terminalis* Zett. n. sp. ♂♀. 9 *socculata* Stenh.

Geomyza.

A. thorace pallido.

1. *G. combinata:* rufo-testacea, capite pedibusque flavis; alis hyalinis, nervis transversis maculaque apicis fuscis; abdomine nigro, basi pallescente. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Var. a. ♂♀. alis hyalinis, nervis transversis, apiceque dimidiatim, fuscis.

Fall. Geomyzid. 2. 1. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 773. 1. ♂♀. *Musca* Linn. Syst. Nat. 2. 997. 114? Fabr. Ent. Syst. 4. 352. 163. *Tephritis* Fabr. Antl. 317. 2. *Opomyza* Meig. Dipt. 6. 109. 18. ♂♀. (exclus. syn. *Musca germinationis* Schrank, quæ ad *Opomyzam Germinationis* nob. pertinet). T. 59. f. 23. ♀. — Macq. Buff. 2. 558. 12.

Var. b. *apicalis* ♂♀. alis hyalinis, nervis transversis, apiceque toto, fuscis.

Opomyza apicalis Meig. Dipt. 6. 109. 19. ♂♀.

Var. c. *venusta* ♂♀. alis hyalinis, nervo transverso ordinario apiceque fuscis.

Opomyza venusta Meig. Dipt. 6. 110. 20. ♀. Macq. Buff. 2. 558. 13. ♀. — *Tephritis maculata* Germar. in Ahrensii Fn. Ins. Europ. fasc. 3. tab. 22. ♂.

Hab. hæ omnes varietates simul in graminosis per hortos, prata & pascua Scandinaviæ præsertim meridionalis & mediæ, Jul. Aug. Sept. sat vulgaris; in copula aliquoties etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Björnstorp, Silfåkra, Lindholmen, Tranås, Esperöd, Widtsköfle &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena &c., non parce; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in provinciis magis borealibus rarissime; in Gottlandiæ pratis ad Öja & Sanda haud raro; in Dania passim, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & e Stetino 8 Jun. 1812 capta var. b. a D. *Dahlbom*, communicata).

♂♀. Angusta cylindrica præsertim ♂. Rufo- l. flavo-testacea, subnitida, setis ordinariis nigris. Caput flavum, epistomate, proboscide palpisque albidis. Antennæ sessiles rotundatæ flavæ, seta sat distincte plumata nigra. Seta mystacina utrinque una distincta infra & juxta quam aliquot exiguæ; omnes obscuræ. Oculi in viva ferruginei æneo-micantes. Abdomen nigrum l. piceum, basi latius l. angustius pallidum, apice puberulum, in ♀ plerumque rufum nigro- l. piceo-fasciatum. Alæ angustæ, albo-hyalinæ, nervis longitudinalibus pallidis, auxiliari obscuro. Var. a.: nervis transversis medio leniter, ordinario magis perspicue, maculaque apicis subquadrata a costa plerumque paullo infra nervum longit. 3:tium, sed non ad 4:tum extensa, fuscis; var. b.: nervis transversis ut in var. a., macula apicis fusca majori infra nervum long. 4:tum extensa totum apicem alæ implente; var c.: nervis transversis medio immaculato, ordinario leniter, maculaque apicis minori non ultra nervum long. 3:tium extensa, fuscis; in hac varietate c. color thoracis intensius rufus, subcinerascens & alarum costa basi per totum nervum auxiliarem evidentius obscura. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, tarsis vix infuscatis. Femora antica tenuiter pilosa.

Obs. *Linnè* l. c. suam *Muscam combinatam* "thorace cinereo" describit, unde de identitate nostræ oritur dubium.

2. *G. angustipennis:* rufo-testacea, capite pedibusque flavis; alis hyalinis, puncto apicis fusco; abdomine nigro, basi pallescente. ♂♀. (Long. 1¼ fere 1½ lin.).

Opomyza angustipennis Stæg. in litt.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; in Scania semel capta; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Priori simillima, & ut mihi videtur vix nisi alarum nervis transversis immaculatis, nec fuscedine cinctis, diversa. Alæ etiam forte paullo angustiores quam in præcedente, puncto l. macula apicis fusca minore a costa tantum ad nervum longitudin. 3:tium extensa. Reliqua ut in *G. combinata*, a qua tamen áuctoritate Nobilissimi *Stæger* ut distinctam speciem propono.

3. *G. consobrina:* rufa, capite pedibusque flavis; thoracis postico scutelloque cinerascenti rufis; alis hyalinis, nervis transversis maculaque apicis fuscis; abdomine nigro. ♂♀. (Long. 1¼—1½ lin.).

Opomyza consobrina Zett. Ins. Lapp. 762. 2. ♀.

Hab. in Svecia & Lapponia valde rara; in Smolandia ad villam Skärsjö uterque sexus deprehensus; in Lapponia Umensi ad Lycksele femina semel lecta; in Dania parce, D. *Stæger*.

♂♀. A *G. combinata*, cui proxime accedit, thoracis postico scutelloque intensius rufis cinereoque micantibus, ut & abdomine toto in utroque sexu nigro, nec basi pallido, differre videtur. Frons flava, vertice rufo. Antennæ flavæ, seta modice plumata (in specimine lapponico minus bene conservato pube-

scentia in antennarum seta parum perspicua), obscura. Epistoma & partes oris albida. Seta utrinque mystacina cum adjacentibus exiguis ut in *G. combinata;* (in specimine lapponico subdetrito setæ mystacinæ parum perspicuæ). Pectus jam rufum, jam flavum. Abdomen totum nigrum, nitidum, oviductu ♀ brevi, pallido. Alæ angustæ, sordide albido-hyalinæ, nervo auxiliari obscuriori. Ambo nervi transversi modice infuscati (unde ab *Opom. venusta* Meig. distingvitur). Macula apicis fusca plerumque majuscula totum apicem occupans, raro parva & dimidiata. Halteres albi. Pedes pallide flavi. Femora antica tenuiter pilosa.

4. *G. ungvicella:* flava, capite pedibusque pallidioribus, tarsorum articulo ultimo nigro; alis subhyalinis immaculatis; abdominis dorso in ♂ toto, in ♀ macula, fuscis. ♂♀. (Long. $\frac{3}{4}$ vix 1 lin.).

Sapromyza ungvicella Zett. Ins. Lapp. 753. 12. ♂♀.

Hab. in graminosis Lapponiæ Umensis passim; ad Lycksele, Umenäs & Wilhelmina 1—19 Jul. 1832 decem feminas & unicum marem inveni.

♂♀. Magnitudine paullo minore, colore corporis pallidiore, seta antennarum nudiuscula, alis immaculatis & tarsorum apice atro, a præcedentibus mox distincta. Seta mystacina utrinque adest, unde ad *Geomyzam* nec ad *Sapromyzam* referenda. Tenera mollis. Caput pallidum. Antennæ rotundæ, flavæ, seta fusca. Oculi in viva virides, in mortua ferruginei. Thorax testaceus, in ♂ vittis 3 obscurioribus obsoletis. Abdomen oblongum, ventre pallido, supra in ♂ nigricans, in ♀ disco fuscum. Alæ pallide hyalinæ, nervis transversis nonnihil magis approximatis quam in prioribus. Halteres pallidi. Pedes in utroque sexu simplices, flavi, tantum articulo ultimo tarsorum atro. — Affinis *G. socculatæ* infra n:o 9.

Obs. Geomyz. bipunctata Fall. in genere *Piophila* quærenda.

B. thorace cinerascente l. obscuro.

5. *G. tripunctata:* thorace scutelloque cinereis, capite, antennis pedibusque testaceis; alis hyalinis, nervis transversis maculaque apicis fuscis; abdomine nigro. ♂♀. (Long. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Geomyzid. 2. 2. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 774. 2. ♂♀. *Opomyza* Meig. Dipt. 6. 110. 21. ♂♀. Macq. Buff. 2. 538. 11.

Hab. in graminosis & Urticetis per Scandinaviam præsertim versus autumnum, mihi ab initio Julii usque ad ineuntem Octobrem obvia, vulgaris, in copula etiam sæpe deprehensa, & e fungo putrido semel exclusa; occurrit nempe in Scania ad Lund, Kjeflinge, Räften, Björnstorp, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh*; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, Fredensborg &c., non parce; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Gottlandia ad Fardhem & Kjellunge; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Dalecarlia; in Jemtlandia boreali ad Mullfjellet rarius; in Lapponia rarissime; in Dania passim, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* missa. Ad Gryphiam, Trawemündiam, Hamburgum & Berolinum (ad Moabite) a D. *Dahlbom* lecta).

♂♀. Frons flava. Antennæ flavæ, seta modice plumata, nigra. Epistoma & instrumenta cibaria flavo-alba. Oculi ferruginei, in viva æneo-micantes. Thorax fusco-cinereus, supra parum nitidus. Scutellum concolor, raro apice rufescens. Abdomen nigrum, nitidum. Alæ nonnihil latiores quam in *G. combinata*, cinereo-hyalinæ, nervis subobscuris; basi leniter infuscatæ. Nervi transversi fuscedine late cincti. Macula apicalis fusca superius dimidium apicis occupans ad nervum longitudinalem 3:tium extensa, ut in *G. combinatæ* var. a. Halteres albi.

Pedes flavi, coxis anticis albidis. Femora antica in ♂ subcrassiora, in utroque sexu pilosula. Tarsi rarius leniter subinfuscati.

Var. b. thoracis limbo antico rufescente; de cetero var. a. simillima. Ad Lund in Paradislyckan & ad Björnstorp Scaniæ mense Septemb. a D. *Dahlbom* & me inventa.

6. *G. marginella:* thorace scutelloque cinereis, fronte, antennis pedibusque testaceis; vertice obscuro; epistomate albido; femoribus anticis fuscis; abdomine nigro; alis nigricantibus, vitta media maculisque duabus versus apicem albis. ♂♀. (Long. circiter $\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Geomyz. 3. 5. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 774. 3. ♂♀. *Opomyza* Meig. Dipt. 6. 101. 6. Macq. Buff. 2. 556. 6.

Hab. in graminosis & plantis humilibus sæpe in nuda terra, interdum in Pinetis, per pascua arida & arenosa imprimis Scandinaviæ meridionalis, Jul. Aug. passim; scilicet in Scania ad Lund, Silfåkra, Esperöd &c., frequens; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp parce; deinde versus septentrionem tantum valde rara occurrit; e Dania a D. *Stæger* missa. (Ad Moabite & Jungfern-Heide prope Berolinum 7—12 Jul. 1842 a D. *Dahlbom* lecta mecumque communicata).

♂♀. Per picturam alarum ab aliis sui generis abunde dignota. Prioribus paullo brevior, sed robustior, subovata. Opaca. Frons testacea, vertice cinereo. Orbita oculorum albida. Antennæ breviter oblongæ, testaceæ, seta breviter puberula, fusca. Epistoma & genæ albida, seta mystacina nigra. Partes oris pallidæ. Thorax & scutellum cinerea, ille lineolis 2 fuscis sæpe obsoletis. Pleuræ etiam in bene conservatis dilute brunneo-lineatæ. Abdomen nigrum, subnitidum, apice puberulum, ano in ♂ subrotundato inflexo cinerascente, in ♀ obtuso. Alæ modice angustæ, nigricantes l. saturate fuscæ, plaga cuneiformi

fere a basi alæ ad nervum transvers. ordinarium extensa & inter nervos longitudinales 3 & 5 locata, maculaque pone nervum transv. ordinarium majuscula per nervum longitud. 4:tum secata, albo-hyalinis. Costa vaga tenuissime setulosa. Halteres albi. Pedes flavo-testacei, tenuiter pilosuli, femoribus anticis nigricantibus, præsertim in ♂ subincrassatis. Tarsi antici vel toti l. saltem metatarso nigricantes.

7. G. *Unipunctum:* thorace scutelloque griseis, fronte, antennis pedibusque flavo-testaceis; epistomate albido; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, puncto apicis nigro. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Hab. in Svecia boreali valde rara, scilicet in Dalecarliæ alpibus a D. Prof. *Boheman* inventa; in Helsingia ad Arbrå 24 Aug. 1840 a me quoque capta.

♂♀. Alis totis hyalinis, puncto tantum apicali nigro, ab omnibus facile dignoscenda. Parva angusta opaca. Frons flavida. Antennæ parvæ, rotundatæ, flavæ, seta sat longe & distincte plumata, obscura. Epistoma breve, flavo-albidum. Seta mystacina utrinque unica, at setulæ oris plures exiguæ. Proboscis flava. Oculi mediocres, rotundi, rufi. Thorax læte griseus, linea dorsali dilute brunnea obsoleta. Abdomen nigricans puberulum subnitens. Alæ modice angustæ, cinereo-hyalinæ immaculatæ, puncto tantum in apice nervi longitudinalis 3:tii parvo rotundato nigro. Nervus auxiliaris valde brevis, cujus apici opponitur nervulus transversus medius. Nervus transversus ordinarius a medio modice distans, a margine interiori sat longe remotus, in medio alæ situs. Costa nuda, basi tantum brevissime puberula. Halteres pallidi. Pedes mediocres, flavi, tarsorum articulo ultimo saturatiori.

8. G. *terminalis:* nigro-fusca, fronte brunnea; antennis pedibusque flavis; epistomate albido; abdomine ni-

gro; alis cinereo-hyalinis, macula apicis magna fusca. ♀. (Long. ¾ lin.).

Hab. in Scania rarissime; ad prædium Björnstorp prope Lund d. 26 Jun. 1838 specimen descriptum ab oculatissimo D. *Dahlbom* inventum.

♂♀. Potius forte *Geomyzæ* quam *Diastatæ* species, pictura alarum a prioribus diversa. Statura præcedentis, fere paullo minor, colore alio. Subnitens. Frons brunnea, antice dilutior, postice setosa. Antennæ parvæ ovatæ flavæ, seta fusca breviter plumata. Epistoma breve, flavum, orbita oculorum alba. Seta mystacina utrinque unica. Oculi majusculi. Thorax & scutellum nigro-brunnea. Abdomen nigrum. Alæ angustæ, cinereo-hyalinæ, macula terminali fusca magna totum apicem alæ occupante. Nervi transversi modice remoti, horum ordinarius ad marginem alæ interiorem retractus, leniter infuscatus, medius paullo pone nervum auxiliarem omnium brevissimum ductus. Pedes mediocres flavi.

9. *G. socculata:* obscure cinerea, epistomate albido; frontis antico, antennis pedibusque flavis, tarsorum articulo ultimo atro; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, immaculatis. ♂. (Long. ¾ vix 1 lin.).

Stenhamm. in litteris d. 3 April. 1847.

Hab. in Ostrogothia ad Häradshammar forte rarissime, mihi in unico exemplo ab amicissimo & oculatissimo Doct. *Stenhammar* nuperrime communicata.

♂. Magnitudo, statura, formatio partium & tarsorum pictura omnino ut in *G. angvicella* n:o 4, cui proxime accedit, sed verticis, thoracis abdominisque colore obscuro nimis recedit; locus etiam natalis ambabus alius. Nitens. Vertex & occiput cinereo-nigra. Frons antice indeterminate pallida. Antennæ rotundatæ, pallide flavæ, seta nudiuscula, fusca. Facies minime prominens. Epistoma infra oculos non descendens, albidum,

seta mystacina utrinque unica sat distincta. Partes oris retractæ, flavæ. Genæ brevissimæ. Oculi magni rotundi. Thorax & scutellum tota cinereo-nigra. Abdomen angustum, subcylindricum, nigrum, ventre saltem basi anguste rufescente. Alæ cinereo-hyalinæ, immaculatæ, nervis nonnihil minus approximatis quam in *G. ungvicella.* Halteres albidi. Pedes cum coxis toti pallide flavi, articulo tarsorum ultimo tantum nigro. Femora antica reliquis paullo validiora.

---

182. DIASTATA Meig.

Corpus minutum, oblongum, opacum, glabriculum, setis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine distinctis; molle. Caput rotundatum, subtransversum. Frons latissima præsertim posterius, antice minime prominula. Epistoma latum, infra oculos parum descendens, subimpressum, seta mystacina utrinque unica distincta. Antennæ breviusculæ, deflexæ, articulo ultimo compresso ovato l. ovali subotuso, basi seta dorsali breviter, sed sat dense plumata. Oculi majusculi, rotundi, nudi. Scutellum margine 4-setosum. Abdomen elongatum, segmentis 5 distinctis. Alæ elongatæ, modice angustatæ, parallelæ, rectæ, hyalinæ, in nostris speciebus saltem ad nervum transversum ordinarium sæpissime infuscatæ. Nervi ut in *Geomyza* directi, at transversi paullo magis remoti, horum nempe ordinarius fere in medio alæ & areæ ultimæ insertus, medius vero nonnihil magis ad basin alæ retractus apicique auxiliaris oppositus. Costa subnuda raro ciliata. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes simplices, parum setulosi. *Color* cinerascens l. griseus. *Motus & habitatio* ut in *Geomyza. Differentia sexus; mas:* abdomine angustiore, leniter subclavato, ano obtuso; *femina:* ano acutiore. *Typus* generis: *Diastata nebulosa.* (A *Geomyza,* cui valde accedit, vix nisi nervis transver-

sis nonnihil magis remotis discernitur *Diastata*. Hæc vero nota interdum etiam vacillat, unde species *Geomyzæ* & *Diastatæ* sæpe ægre distingvuntur, & forte sub uno tantum genere comprehendi debent).

1. *D. nebulosa:* cinerea, fronte, antennis pedibusque testaceis; epistomate albido; abdominis segmentis basi obscuris; alis fuscanis; disco maculis duabus nigricantibus totidemque albis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 99. 12. forte? — Macq. Buff. 2. 551. 9? — *Geomyza nebulosa* Fall. Geomyzid. 3. 4. ♂♀. genuina. — Zett. Ins. Lapp. 774. 4. ♂♀. — An quoque *Diastata ornata* Meig. l. c. 98. 11. & Macq. l. c. 553. 8? — *Geom. obscurella* Zett. Ins. Lapp. ex parte (specimen nempe Nordlandicum ad Finkrog).

Hab. in pratis paludosis; per Scandinaviam a medio mensis Maji usque ad finem Augusti mihi passim obvia, in copula quoque deprehensa; scilicet in Scania ad Silfåkra, Lindholmen, Tranås, Esperöd &c., haud raro; in Smolandia, mus. *Ljunghii*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & ad Lärketorp, ipse; in Gottlandia ad Rhone parce; in Helsingia ad diversorium Kårböle; in Bottnia boreali ad Karungi semel; in Lapponia Tornensi rarissime; in infer-alpinis Nordlandiæ Norwegicæ ad diversorium Finkrog quoque rarissime. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg*; & ex Austria a D. *Andersch* communicata, Mus. *Fallèni*).

♂♀. Opaca. Frons lutea, vertice sat fortiter setoso. Antennæ luteæ, articulo ultimo præsertim versus apicem sæpe fuscescente, seta nigricante, in medio evidenter licet non longe plumata. Epistoma flavido-albidum. Prælabrum plerumque prominulum. Palpi pallidi. Proboscis fusca. Seta mystacina utrinque

unica distincta nigra, sub qua setulæ plures valde exiguæ. Thorax latitudine capitis, sæpe obscurus, sed in illæsis cinerascens, lineolis 2 dorsalibus fuscis, interdum obsoletis. Pleuræ glaucescentes. Abdomen plerumque (in detritis) nigricans, subnitens, sed in bene conservatis brunneum, segmentorum margine apicali canescente. Segmenta abdominis 5 distincta, sed in ♀ nuper capta 6 numeravi, quorum primum & ultimum minora. Alæ fuscanæ; in disco longitudinaliter maculæ 4 subquadratæ, quarum 2 nigricantes nervos transversos transeunt ad nervos longitudinales 3 & 5 extensæ, & 2 albo-hyalinæ cum nigricantibus ita alternantes, ut una inter maculas nigras & altera paullo longior immediate pone maculam posteriorem nigram sint sitæ. Costa basi distincte sed breviter, pone apicem nervi auxiliaris parce & tenuissime setulosa. Hæ setulæ facile deteruntur, ita ut costa plerumque nuda appareat. Alæ etiam basi obscuræ. Halteres flavo-albidi. Pedes l. lutei l. testacei, femoribus præsertim anticis interdum fuscioribus. Coxæ cinerascentes. Tarsorum articulus ultimus obscurus.

Obs. *Meigen* & *Macquart* l. c. antennas *Diast. nebulosæ* "basi nigras" describunt; in nostris autem speciminibus iisque pluribus, inter quæ etiam Falleniana typica deprehenduntur, antennæ saltem basi semper flavæ, versus apicem vero interdum fuscescentes inveniuntur. *Diast. ornata* Meig. igitur *D. nebulosæ* Fall. magis accedere videtur.

2. *D. unipunctata:* cinerea, fronte, antennis pedibusque obscure testaceis; epistomate albido; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, macula basali, nervoque transverso ordinario late, fuscis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{4}$ lin.).

Stenhamm. in litteris.

Hab. in Scandinavia meridionali & media ab ineunte Junio usque ad finem Augusti minus frequens; scilicet in Scania ad Esperöd (in paroecia Tranås) utrumque sexum mense Julio 1820 inveni, deinde ad Silfåkra specimina quoque deprehendi; in Ostrogothia ad Gusum, D.

D. *Stenhammar & Wahlberg*; e Dania femina in unico individuo a D. *Stæger* missa.

♂♀. Priori proxima & similis, sed antennis pedibusque saturatius luteis, abdomine nigro immaculato, ut & alarum tantum nervo transverso ordinario infuscato, vere diversa. Caput ut in præcedente constructum & setosum. Frons lutea. Antennæ luteæ, articulo ultimo sæpe fuscescente, seta ut in *D. nebulosa* breviter plumata. Thorax & scutellum cinereo-grisea. Pleuræ glaucescentes. Abdomen nigrum, subnitens; segmentis 5 distinctis. Alæ sordide hyalinæ, macula basali ad nervum auxiliarem fusca. Nervus transversus ordinarius fuscedine late & distincte cinctus, quæ fuscedo paullo supra nervum transversum & fere ad nervum longitudinalem 3:tium extenditur. Nervus transversus medius immaculatus, at costalis niger. Costa ut in priori tenuissime setulosa. Halteres albi. Pedes ferrugineo-fusci, femoribus sæpe obscurioribus. Coxæ cinerascentes.

Obs. Sub nomine: *Geomyza maculipennis* exempla inter amicos entomologicos olim divulgavi.

3. *D. Punctum:* grisea, fronte antennarumque obscurarum basi luteis; epistomate albido; vertice fusco-bimaculato; abdomine nigro, basi macula flavida; pedibus pallide flavis; alis fuscis, plaga posteriori hyalina. ♂♀. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 98. 10. Macq. Buff. 2. 553. 7. (e *Meigen* ut videtur transscripta).

Hab. in Dania; ex Hafnia a Nobiliss. *Stæger* in tribus exemplis mecum benigne communicata.

♂♀. Antennis longiusculis obscuris, abdominis basi lutescente apiceque albo, ut & pictura alarum, ab aliis abunde dignota. Frons lutea, vertice maculis 2 cohærentibus obscuris. Antennæ longiusculæ (non vero apicem epistomatis attingentes), nigro-brunneæ, basi lutescentes, seta pubescente obscura. Epi-

stoma flavo-album. Thorax griseus, lineis dorsalibus 4 brunneis, horum lateralibus obsoletis. Calli humerales pallescentes. Pleuræ glaucescentes. Scutellum griseum. Abdomen i ♀ subdepressum, in utroque sexu nigricans subnitens, basi macula lutescente vix ad marginem apicalem segmenti 2:di extensa, interdum obsoleta. Anus puncto albo. Alæ fuscæ, plaga pone medium disci (h. e. pone nervum transversum ordinarium) a nervo 3:tio longitudinali ad marginem interiorem dilatata, albido-hyalina. Costa nuda. Pedes toti cum coxis pallide flavi.

4. *D. costata:* cinerea, fronte, antennis pedibusque flavis; epistomate albido; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, macula baseos ad costam fusca, nervo costali atro. ♂♀. (Long. fere 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 96. 4. Macq. Buff. 2. 533. 4. *Drosophila fuscula* Fall. Geomyz. 7. 8. ♂♀. certe. — *Drosoph. marginella* Zett. Ins. Lapp. 777. 10. ♂♀.

Hab. in Scandinaviæ graminosis passim; a Junio ad Octobrem obvia; scilicet in Scania ad Lund, Björnstorp, Tranås, Esperöd, &c., ipse, ad Kjeflinge & Lackalänga, D. *Dahlbom;* in Smolandia, D. *Boheman* (1835); in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena &c., sat frequens; in Westrogothia ad Gothoburgum; in Gottlandia parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi ad Stensele, rarissime; in Nordlandia Norwegica ad Schiervœ semel; in Dania mense Aug. aliquoties a D. *Stæger* etiam lecta mihique sub nomine descripto missa.

♂♀. Per antennarum setam sat distincte licet non longe plumatam, & alas præter maculam basalem juxta costam fuscam nervumque costalem atrum immaculatas, a prioribus, facile dignoscitur. Frons flava. Antennæ breviusculæ flavæ, articulo ultimo ovali, superne ciliato, seta mediocriter l. potius breviter,

plumata, obscura. Epistoma album. Proboscis testacea. Oculi magni, rotundi, in viva læte rufi l. ferruginei. Thorax & scutellum griseo-cinerea immaculata. Pleuræ glaucescentes. Abdomen nigrum; in ♂ subcylindricum, ano subclavato. Alæ cinereo-hyalinæ immaculatæ præter interstitium inter nervum auxiliarem & costam fuscum l. nigricans. Nervus costalis a basi ad apicem ater, nudus, basi tantum ciliatus. Setulæ costæ ad apicem nervi auxiliaris perspicuæ. Halteres albi. Pedes cum coxis pallide flavi, immaculati. — A *Drosophila costata* n:o 6, cui similis, nervis transversis magis remotis & antennarum seta brevius plumata distingvitur.

Var. b. ♂. simillima varietati a., sed costa tota a basi ad apicem alæ umbra fusca anguste tincta & nervo transverso ordinario fuscedine modice late cincto diversa. — *Diast. obscurellæ* Meig. valde similis videtur, sed antennæ in nostra totæ flavæ, nec apice brunneæ, & seta distinctius plumata. — Specimen descriptum ut "*Diast. costata* Meig. ♂" a D. *Stæger* e Dania missum.

5. *D. obscurella:* griseo-cinerea, fronte, antennis pedibusque flavis; epistomate albido; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis distincte infuscatis. ♂♀. (Long. vix 1 lin.).

Geomyza obscurella Fall. Geomyz. 4. 6. ♂♀. typica. — Zett. Ins. Lapp. 774. 5. e parte. — (Vix *Diastata obscurella* Meig. Dipt. 6. 96. 3? quam sub forma variante *Diastatæ costatæ* potius quærere vellem).

Hab. in aridis & arenosis libenter ad litora maris & lacuum per Scandinaviam meridionalem & mediam mense Julio passim, in copula quoque visa; scilicet in Scaniæ litoribus marinis & arenosis ad Lomma, Malmogiam, Limhamn, Sandhammar, Esperöd, Raflunda &c., frequens; sed etiam in campis aridis Scaniæ interioris ex. gr. ad Lund, Fogelsång, Abusa, Kjeflinge &c. non raro; in Ble-

kingia ad Carlscrona, *C. Aspegren*; in Ölandia ad Gärdslösa; in Smolandia, D. *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum, D. *Wahlberg*, & prope Wadstena ad ripas lacus Wettern sat frequens, sæpe etiam in copula observata; supra hanc provinciam versus septentrionem vix nisi rarissime inventa; ex Hafnia a D. *Stæger* communicata (Ad Jungfern-Heide & Moabite prope Berolinum 6 Aug. 1842 a D. *Dahlbom* lecta. Ut "*Diasta obscurella* Macq." e S:t Sever Galliæ etiam a D. *Leon Dufour* par in copula junctum missum).

♂♀. In hoc genere fere minima. Pedibus pallidius flavis & nervis transversis distincte infuscatis a prioribus dignoscitur. Opaca. Frons flava, orbitis oculorum albidis. Antennæ modice breves, flavæ, seta nudiuscula, obscura. Epistoma albidum. Seta mystacina utrinque unica, nigra. Oculi rotundi, in viva purpurei, æneo-micantes. Thorax setosus & scutellum griseo-cinerea, immaculata. Abdomen 6-annulatum, dorso nigrum, subnitens, ano maris cinereo-cano. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis obscuris; ima basi albescentes. Nervi transversi remotiusculi late infuscati. Ad apicem nervi auxiliaris umbra fusca. Apex nervorum longitudinalium 2, 3 & 4 fuscedine etiam plerumque anguste cingitur. Costa ciliata. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, tarsorum articulo ultimo obscuro. Variat femoribus anticis leniter infuscatis.

---

183. DROSOPHILA Fall.

Corpus parvum aut minutum, oblongo-ovatum, parum l. raro nitidum, glabriculum, setis ordinariis in vertice, thoracis lateribus, scutellique margine quatuor, distinctis vestitum. Caput

rotundatum, subtransversum. Frons latissima præsertim posterius, antice non prominula. Epistoma latum, perpendiculare, infra oculos parum descendens, pro antennarum receptione bi-impressum, seta mystacina utrinque unica distincta, sub qua setulæ quædam valde exiguæ. Genæ parum elongatæ. Antennæ incumbentes, breviusculæ, articulo ultimo oblongo-ovato, basi seta dorsali longe & vage plumata, radiis nempe distantibus. Oculi rotundati nudi, in viva ferruginei l. plerumque læte rufi, unicolores. Abdomen oblongo-ovatum, 6-annulatum. Alæ longiusculæ, modice latæ, parallelæ, rectæ, hyalinæ, immaculatæ, raro nervis transversis infuscatis, remotis, interdum approximatis. Nervus auxiliaris simplex vix 4:tam partem costæ attingens (in *D. annulata* n:o 2 longior). Costa nuda. Spinula parva adest. Squamæ rudimentariæ. Halteres nudi. Pedes mediocres, simplices, nudiusculi, præter femora antica subtus sæpe parce pilosula. *Color* niger, griseus, pallidus. *Motu* haud agilis. *Volatus* abruptus, insecto ante locum quieti aptum in aëre pendulo. Incessus lentus & gravis; attactæ vel inqvietæ motu saltatorio aufugere sæpe tentant imagines. *Habitatio* in graminosis, locis umbrosis humidis, in fungis; succum exstillantem arborum avide quærunt; in fenestris etiam interdum tarde reptantes, larvæ in fungis non putrescentibus, fermentis &c. degunt. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acutiore. *Typus* generis: *Drosoph. funebris* n:o 17.

Conspectus Specierum cum Synonymis.

A. Alarum nervi transversi approximati aut subapproximati, h. e. nervus transversus ordinarius distincte & tam longe ante medium areæ ultimæ insertus, ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio (*) triplo aut saltem duplo brevius evadat.

---

*) quod per *segmenta* nervi longitudinalis 4:ti *secundum* & *tertium* intelligatur, conferatur nota sub *Ephydra* p. 1809 hujus operis.

*) thorace obscuro, h. e. cinerascente l. nigricante (in *Dr. obscura* n:o 4 obscure testaceo).

1 *variegata* Fall. ♂♀. 2 *annulata* Zett. (*Notiphila eadem* Fall. *Ephydra eadem* Meig.) ♂♀. 3 *albo-guttata* Wahlb. ♂♀. 4 *obscura* Fall. (an Meigeni eadem?) ♂♀. 5 *spurca* Zett. n. sp. ♂. 6 *cinerella* Fall. ♀. 7 *costata* Zett. Ins. Lapp. ♂♀.

**) thorace pallescente, ferrugineo aut testaceo (*Dr. obscura:* thorace obscure testaceo, in subdivisione priori sub n:o 4 quærenda).

† alarum nervis transversis infuscatis.

8 *transversa* Fall. Meig. (*D. phalerata* Meig. varietas hujus videtur) ♂♀ & var. b. læta ♀.

†† alarum nervis transversis non infuscatis.

9 *tristis* Fall. (an Meigeni eadem?) ♂♀. 10 *fuscimana* ♂. 11 *nigriventris* Zett. n. sp. ♂♀. 12 *approximata* Zett. n. sp. ♀. 13 *congesta* Zett. n. sp. ♂.

B. Alarum nervi transversi remoti aut subremoti, h. e. nervus transversus ordinarius aut in medio aut tantum paullo ante medium areæ ultimæ insertus, atque ita ductus, ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio aut æque longum aut ad summum $1\frac{1}{2}$ brevius evadat.

α) thorace obscuro, h. e. cinerascente l. nigricante.

14 *glabra* Fall. ♂♀. 15 *Graminum* Fall. (var. a., b. *sordida*, c. *flavipennis* Zett. Ins. Lapp. — An etiam *D. incana* Meig.?) ♂♀ (*). 16 *griseola* Zett. n. sp. ♀. — (**).

β) thorace pallescente, h. e. rufo, testaceo aut flavo.

17 *funebris* Fabr. Fall. (*Musca cellaris* Linn., testante *Meigen.* — *Musca erythrophthalma* Panz.?) ♂♀. 18 *confusa* Stæg. (*Dr. fenestrarum* Meig. non Fall. — *Dr. funebris* var. ♂ Fall.) ♂♀. 19 *Histrio* Meig. 20 *picta* Stæg. ♀. 21 *Fenestrarum* Fall. (var. a. b. — *Dr. melanogaster* Meig. ♂. *Dr. virginea* Meig. ♀.) ♂♀. 22 *flava* Fall. ♂♀. 23 *pallida* Zett. (*Dr. graminum* var. d. Fall.) ♂.

Drosophila.

A. Alarum nervi transversi approximati aut subapproximati, h. e. nervus transversus ordinarius distincte ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio triplo aut saltem duplo brevius evadat.

*) thorace obscuro, h. e. cinerascente l. nigricante (in *D. obscura* n:o 4 obscure testaceo).

1. *D. variegata:* cinerea, thorace lineis subqvinis brunneis; capite albicante, fronte flava, macula verticis

*) *Drosophilam graminum* var. d. Fall. distinctam speciem putamus sub nomine: *D. pallida* n:o 23 infra inveniendam.

**) *Dr. fuscula* Fall. antennarum seta breviter plumata sub *Diastata costata* hujus operis p. 2539 n:o 4 quærenda.

nigra; antennis testaceis; abdomine obscuro, maculis dorsalibus flavo-albis; pedibus pallidis, femoribus late tibiarumque annulis fuscis; alarum nervis transversis perspicue approximatis. ♂♀. (Long. circiter $1\frac{1}{2}$ lin.).

Fall. Geomyzid. 5. 2. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 82. 1. (e descriptione Falleni transscripta). — Macq. Buff. 2. 518. 1. ♂♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum, succo exstillante Qvercus, fungis Populi tremulæ, &c., per Sveciam meridionalem & mediam, a medio Junii usque ad finem Augusti mihi passim obvia; scilicet in Scania ad Krageholm, Tranås, Esperöd (12—19 Aug. 1846, Profess. *Wahlberg*), parce; in Ostrogothia ad Gusum, idem *Wahlberg*, ad villam Lärketorp in paroecia Mjölby sat frequenter, ipse.

♂♀. Inter nostrates maxima. Opaca. Frons flava, macula verticis magna trigona nigra. Setæ verticis nigræ. Antennæ testaceæ, seta obscura pectinata, superne radiis 4—5. Epistoma albidum, carina media sæpe fusca. Seta utrinque mystacina nigra, sub qua setulæ plures exiguæ. Prælabrum prominulum. Proboscis sæpe fusca. Oculi magni tota capitis latera implentes, in viva læte rufi. Thorax cinereus, lineis 5 brunneis, quarum lateralibus minus regularibus, maculiformibus. Scutellum fuscum cano-maculatum. Abdomen ovatum nigro-fuscum, segmento 1:mo fascia interrupta albida, segmentis vero 2, 3 & 4 ad basin singuli in medio maculis semi-rotundis in viva albidis, in mortua plerumque flavis. Alæ cinereo-hyalinæ immaculatæ. Nervus auxiliaris vix ad 4:tam partis costæ nudæ extensus. Segmentum costæ 2:dum 1:mo saltem duplo longius, 3:tium 2:do saltem duplo brevius. Nervi longitudinales: 3:tius in apice alæ desinit, 3:tius 4:tusque versus apicem leniter convergentes, 5:tus ad marginem extensus, 6:tus nullus l. valde abbreviatus, 7:mus ad basin alæ fere ad marginem productus.

Nervi transversi perpendiculares, eximie approximati, obscuri, horum medius sat longe pone apicem auxiliaris ductus. Segmentum nervi 4:ti longitudinalis secundum tertio seu ultimo triplo & ultra brevius. Halteres pallidi. Pedes subnudi, mutici, pallide flavi, coxis anticis femoribusque omnibus a basi & fere ad apicem nigro-fuscis. Tibiæ omnes singulæ annulis 3 fuscis, quorum 1 ad basin, 1 in medio, & 1 ad apicem.

Var. b. ♀. tota pallida, signaturis verticis, thoracis, abdominis pedumque dilute brunneis; junior, nuper exclusa, in gramine ad Esperöd Scaniæ 28 Aug. semel a me inventa.

Obs. Sub nomine: "*Dros. maculata* Duf." e S:t Sever Galliæ plura specimina & horum quædam e pupa cylindrica nuda ferruginea exclusa, nuper a Nobiliss. D. *Leon Dufour* obtinui, *D. variegatæ* affinia & subsimilia ejusque magnitudine; sed antennis longioribus, macula verticis nigra deficiente, thoracis dorso argenteo-micante immaculato, pectore scutelloque pallidis, hoc puncto utrinque nigricante, abdomine flavo, segmentis 1:mo immaculato, 2:do puncto utrinque nigricante, 3, 4 & 5 singulo maculis tribus subconfluentibus nigro-brunneis, alis magis hyalinis, nervis transversis modice, nec eximie, approximatis, ut & pedibus pallide flavis immaculatis, abunde dignota. Nec talis in Scandinavia occurrit.

2. *D. annulata:* cinerea, thorace sublineato; epistomate albicante; antennis sulphureis, basi nigris; abdomine nigro, punctis lateralibus albis; pedibus pallidis, femoribus late tibiarumque annulis fuscis; alarum nervis transversis perspicue approximatis, auxiliari longiusculo. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Notiphila annulata Fall. Monogr. Act. Holm. 1813. p. 250. 3. ♂♀. vera, & Ejusdem Hydromyzid. Svec. 9. 3. ♂♀. *Ephydra eadem* Meig. Dipt. 6. 114. 1. Macq. Buff. 2. 536. 1 (e descriptione Meigeniana transscripta).

Hab. in succo distillante Populi, Betulæ, at imprimis Qvercus, per Sveciam præsertim mediam mense Julio minus frequens, in copula etiam observata; scilicet in Ostrogothia in prato sylvatico Krogängen prope Wadstena, D. *Dahlbom* & ipse, ad Gusum, D. *Wahlberg*.

♂♀. Priori proxima, sed triplo minor & in multo recedit, atque antennis tuberculatis insignis. Frons cinerea. Antennæ basi nigræ, articulo 2:do in corniculum superne extenso, 3:tio flavo, seta distincte plumata, concolore. Epistoma albido-flavum, in medio carinatum, setulis oris exiguis. Oculi majusculi. Thorax opacus, cinereus, lineolis 3 ferrugineis l. fuscis, sæpe obsoletis. Abdomen ovatum, subdepressum, nigricans, subnitens, ad basin segmentorum utrinque puncto laterali minuto albo l. argenteo. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis pallescentibus, ut in priori directis, at auxiliari longiori fere ad medium costæ extenso, cujus apici nervus transversus medius opponitur. Halteres pallidi. Pedes subnudi (præter femora antica subtus subtiliter pilosula), pallidi, femoribus a basi & fere ad apicem, tibiarum annulis 2, quorum uno basali altero apicali, tarsorumque articulo ultimo, obscure brunneis. Genua omnia & annulus angustus femorum posteriorum flava. Annulus femorum posticorum flavus interdum parum perspicuus. — An novum genus?

Obs. Sub nomine: "*Dros. cornigera*" etiam a D. Prof. *Wahlberg* hæc olim missa.

3. *D. albo-guttata:* nigra nitida, capite concolore, epistomate inferne thoracisque callis humeralibus punctoque utrinque subalari argenteo-niveis; antennis basi rufescentibus; proboscide flava; pedibus pallidis; alis immaculatis, nervis transversis approximatis. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Wahlb. Act. Acad. Scient. Holm. 1838. p. 22. 11. ♂♀.

Hab. in Svecia meridionali & media valde rara; in Scania ad Esperöd in graminosis die 16 Septemb. 1818 feminam detegi; in Ostrogothia ad Ursäter prope Gusum in succo stillante Qvercus die 21 Jun. 1837 a Cel. Prof. *Wahlberg* etiam deprehensa mihique amicissime communicata.

♂♀. Colore corporis nigro nitido, & epistomatis margine apicali thoracisque punctis humeralibus albis, ab aliis facile dignota. *Notiphilæ nigrinæ* p. 1887 quodammodo affinis & similis, *Drosoph. glabræ* forma & magnitudine æqvalis. Ovata. Frons modice lata, nigra, opaca, postice nitens. Antennæ breviusculæ, apice rotundatæ, basi rufescentes, articulo ultimo nigro-fusco, seta pectinata, radiis paucis. Epistoma infra oculos parum descendens, lenissime emarginatum, in medio obtuse carinatum, infra medium argenteo-niveum, superne sub antennis determinate nigrum. Setulæ mystacinæ in individuis a me visis exiguæ. Instrumenta cibaria retracta. Proboscis pallida, Palpi nigri. Genæ brevissimæ, pallidæ. Oculi maximi tota capitis latera occupantes. Thorax magnus, convexus, niger, nitidus, supra brevissime fusco-subpuberulus, maculis utrinque 2 lateralibus subrotundis argenteo-niveis, anteriori majori humerali, posteriori minuto punctiformi sub radice alarum. Scutellum nigrum. Abdomen ovatum subdepressum nigrum, nitidum. Alæ latiusculæ, hyalinæ, certo luminis situ iricolores, nervis pallidis, fere ut in prioribus directis, at transversis vix tam perspicue approximatis. Nervi: auxiliaris brevis simplex, transversi modice approximati, horum medius mox pone apicem auxiliaris ductus, ordinarius a margine sat longe remotus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio seu ultimo $2\frac{1}{2}$ brevius. Costa nuda & spinula nulla. Halteres clava alba. Pedes mutici flavi, femoribus anticis supra dilute fuscis, subtus pilosulis. Femora postica versus apicem interdum etiam dilute brunnea.

4. *D. obscura:* obscure fusca, capite concolore, epistomate cinerascente; antennis nigris, basi rufescentibus; abdomine nigricante; pedibus ferrugineis; alis subimmaculatis, nervis transversis modice approximatis. ♂♀. (Long. ½—¾ lin.).

Fall. Geomyz. 6. 6. ♂♀. vera. — Meig. Dipt. 6. 85. 11? Macq. Buff. 2. 550. 7? Zett. Ins. Lapp. 776. 4. ♂♀.

Hab. in succo exsudante arborum Betulæ & Quercus, per Scandinaviam, a fine mensis Maji usque ad Augustum, passim; scilicet in Scania ad Lindholmen, Esperöd &c., minus frequens; in Ostrogothia ad Gusum, Wadstena, Lärketorp &c., haud parce; in Westrogothia, beat. *Gyllenhal*; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; deinde vix nisi in betuletis ad Öfver-Torneå mihi obvia; e Dania a D. *Stæger* communicata.

♂♀. Corpore fusco, antennis parvis abdomineque nigricantibus, pedibus testaceis, alisque brunnedine lenissime tinctis, nervis transversis subapproximatis, in hac subdivisione dignoscitur. Parva. Parum nitida. Frons obscura. Antennæ parvæ nigræ, articulis basalibus plerumque rufescentibus, seta undique & distincte plumata. Epistoma in illæsis cinerascens, in mortuis & detritis sæpe fuscum. Setulæ mystacinæ parvæ, sed perspicuæ. Oculi magni, rotundi. Thorax obscure fuscus, lineis dorsalibus 3 obscurioribus, in individuis non bene conservatis parum perspicuis; in junioribus plus minus fusco-testaceus. Scutellum fuscum. Abdomen ovatum, brunnescenti nigrum, subnitidum. Alæ latiusculæ, sordide hyalinæ, certo situ iricolores, nervis brunneis l. ferrugineis, ut in priori directis, at segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio tantum duplo breviore. Costa nuda; spinula minuta. Halteres albidi. Pedes jam rufescentes, jam fusco-testacei, jam pallidiores, tarsis apice obscuris.

Obs. *Meigen* & (secundum illum) *Macquart* caput & thoracem hujus speciei "testacea" describunt; in nostris vero exemplis, iisque multis, hæ partes fuscæ vel obscure testaceæ deprehenduntur, unde synonyma dubia.

5. *D. spurca:* nigricans, capite antennisque concoloribus; abdomine nigro; tarsis posticis obscure testaceis; alarum costa posterius infuscata, nervis transversis modice approximatis. ♂. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Hab. in Dania forte rarissime, mihi in Svecia non obvia, sed a D. *Stæger* sub nomine: "*Dros. tristis* Fall.", in unico specimine communicata.

♂. Valde similis *Dr. tristi* n:o 9. eademque pictura alarum gaudens, sed toto corpore obscuriore, nec thorace brunneo-testaceo, & pedibus nigris, nec flavis, tarsis posticis tantum ferrugineis, differt. Opaca. Caput nigricans, vertice setoso. Antennæ nigræ, seta mutilata. Epistoma infra oculos parum descendens, seta utrinque mystacina nigra. Os retractum. Oculi magni, rotundi. Thorax convexus nigricans l. obscure cinereus, setis lateralibus & posticis nigris. Scutellum concolor. Abdomen oblongo-ovatum, nigrum, nitidum. Alæ cinereo-hyalinæ, costa a medio ad apicem alæ perspicue fusca, fuscedine ad nervum longitudinalem 3:tium descendente. Nervi transversi obscuri, horum medius apicis auxiliaris brevis oppositus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter $1\frac{3}{4}$ brevius. Nervus costalis subnudus. Halteres albidi. Pedes nigricantes, tarsis posticis obscure testaceis l. obscure ferrugineis. Tarsi anteriores etiam subfuscescentes.

Obs. E Finlandia a D. Prof. *Sahlberg* obtinui specimen nostræ *D. spurcæ* magnopere simile, sed alarum fuscedo costalis ab apice nervi auxiliaris ad apicem nervi longitudinalis 2:di extensa & tantum interstitium nervi costalis & longitudinalis 2:di implens, ut & pedes toti nigro-picei, tarsis posticis vix dilutioribus, tandemque ni fallor, halteres obscuri, aliam omnino speciem produnt.

6. *D. cinerella:* cinerea, fronte antennisque lutescentibus, epistomate albescente; abdomine nigro; pedibus obscuris, tarsis flavis; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis modice approximatis. ♀. (Long. circiter ½ lin.).

Fall. Geomyz. 7. 9. ♀. verissima (secundum individuum typicum in museo Falleni asservatum). — Meig. Dipt. 6. 88. 19. (e descriptione Falleniana transscripta).

Hab. in graminosis Sveciæ meridionalis & mediæ rarissime; duo tantum specimina lustravi, unum in Scania ad Esperöd d. 20 Jul. 1820 captum, alterum in Ostrogothia ad Wadstena 28 Jul. 1821 a me inventum.

♀. Per thoracem cinereum immaculatum, frontem antennasque luteas, pedes nigricantes, tarsis tantum flavis, a præcedentibus optime dignoscitur. Pusilla, opaca. Frons in specimine (vetustiore) Scanico lutea, in Ostrogothico obscure lutea. Vertex setulosus. Antennæ parvæ, lutescentes, seta fusca pectinata, radiis superne 5—6. Epistoma infra oculos vix l. parum descendens, albo-micans l. canum, in medio subcarinatum, prælabro perspicue prominente cinereo. Setulæ mystacinæ perspicuæ. Partes oris retractæ, obscuræ. Genæ brevissimæ, albicantes. Oculi magni, rotundi. Thorax cinereus, ad latera & postice ut in prioribus setulosus. Scutellum concolor. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, nudiusculum, nigrum, nitidum, apice subacutum. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis fuscis, costali nigro. Nervi transversi modice approximati, horum ordinarius fere ante medium alæ insertus, a margine sat longe remotus, medius ad basin alæ retractus, minutus, apici nervi auxiliaris brevissime oppositus. Costa a basi ad exitum nervi auxiliaris ciliata, deinde nuda. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter 2½ brevius. Halteres albi. Pedes nigricantes, tarsis omnibus pallide flavis. — Alarum nervus costalis paullo pone apicem alæ desinens ibique cum qvarti longitudinalis apice conjunctus. Affinis *Notiphilæ*. ♂ deest.

7. *D. costata:* nigricans, fronte concolore; epistomate albicante; antennis pedibusque flavis, horum anticis nigris coxis pallidis; alis hyalinis, nervis pallidis, costali crassiusculo atro, transversis modice approximatis. ♂♀. (Long. ¾ fere 1 lin.).

Zett. Ins. Lapp. 776. 5. ♂♀.

Hab. in graminosis & fungis Betulæ albæ &c., per Sveciam mediam & borealem parcius, per Lapponiam passim frequens, ab ineunte Julio usque ad medium Septembris mihi obvia & in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania boreali ad Widtsköfle semel; in Smolandia ad Skärsjö rarissime, *Ljungh;* in Ostrogothia ad Gusum & Wadstena, rarius; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Lapponia Umensi non rara ex. gr. ad Åsele, Stöttingsfjellet, Tresunda, Wilhelmina & Umenäs, usque in alpes Brattiksfjellen adscendens; in Lapponia Tornensi parce, ad lacum Torneträsk procedens; in inferalpinis Nordlandiæ Norwegicæ tantum in monte subalpino Gamsttind a me lecta.

♂♀. Thorace fronteque obscuris, antennis pedibusque flavis, anticis nigricantibus, ut & alarum nervo costali subcrasso atro, a prioribus facile dignoscenda. Oblonga, subopaca. Frons obscura, sæpe detrita nigra, ad latera & postice setis ordinariis vestita. Antennæ breves subrotundatæ, seta distincte plumata obscura. Epistoma breve, infra oculos haud descendens, subecarinatum, albidum, in detritis area media sæpe albo-flavum. Prælabrum occultum. Setulæ mystacinæ nigræ. Instrumenta cibaria retracta, testacea. Genæ brevissimæ, albæ. Oculi majusculi rotundi ferruginei. Thorax & scutellum obscure cinerea l. nigricantia, setis ordinariis ornata. Abdomen oblongum, nigrum, nitens. Alæ elongatæ, subangustatæ, albo-hyalinæ, nervis tenuibus pallidis, 2 & 3 longitudinalibus versus apicem

obscurioribus & interdum leniter subinfuscatis. Nervus costalis crassiusculus nudus ater. Nervi transversi approximati, horum ordinarius longe a margine remotus, medius auxiliaris mediocriter longi apici oppositus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter $2\frac{1}{2}$ brevius. Halteres albi. Pedes pallide flavi, antici brunneo-nigri, coxis anticis albo-flavis. — A *Diastata costata* p. 2539 n:o 4, cui similis, fronte obscura, antennarum seta longius plumata, alis basi immaculatis, nervis transversis minus remotis, nec non femoribus tibiisque anticis nigris, abunde dignoscitur. A *Dros. fuscimana* n:o 10 fronte thoraceque testaceis diversa.

** thorace rufescente, ferrugineo aut testaceo (*Dr. obscura*: thorace obscure testaceo, in subdivisione priori sub n:o 4 invenienda).

† alarum nervis transversis fuscedine cinctis.

8. *D. transversa*: rufo-testacea, nitida, epistomate pedibusque pallidioribus; abdomine flavo, serie subquadruplici punctorum nigrorum; alarum nervis transversis subapproximatis, fuscedine cinctis. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$—1 lin.).

Fall. Geomyz. 6. 5. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 84. 5. Macq. Buff. 2. 519. 5. Zett. Ins. Lapp. 776. 3. ♂♀. *Drosoph. phalerata* Meig. Dipt. 6. 83. 3. T. 59. f. 3. varietas hujus videtur.

Hab. in graminosis (libenter locis umbrosis), fungis putridis, fenestris, &c., per prata, hortos, pascua & domos Scandinaviæ, ab initio Junii usque ad initium Octobris, sat vulgaris; nempe in Scania ad Lund, Paradislyckan, Absa, Esperöd &c., frequens; in Smolandia ad Skärsjö, collectio *Ljunghiana*; in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Wadstena, Medhamra, Fredensborg &c., minime parce; in Gottlandia ad Lummelund, Ahlskog, Westerby,

Thorsborg, Rhone, Gardc, frequens; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg*; in Jemtlandia ad Faxelfven, Berge & Alsen, passim; in Lapponiis: Umensi ad Näslansjö & Wilhelmina, Tornensi ad Wittangi (♀ sub cortice truncorum Pini sylvestris), rarius; in Dania, D. *Stæger* (qui etiam specimina sub nomine: "*Dr. phalerata* Meig." misit). (E Finlandia a D. *Sahlberg*, & a D. *Dahlbom* in Pinetis ad Neuenkirchen Germaniæ 20 Maji & 12 Sept. capta, mecum quoque communicata).

♂♀. Pictura abdominis & alarum a reliquis statim dignoscitur. Setæ verticis thoracisque ordinariæ nigræ. Caput opacum. Frons rufo-ferruginea. Antennæ mediocres l. parvæ, flavæ, raro apice fuscescentes, seta semper longe plumata, nigra. Epistoma albido-flavum, setulis mystacinis obscuris. Prælabrum occultum. Instrumenta cibaria retracta, flava. Genæ breves. Oculi mediocres, rotundi, in viva miniati l. læte rufi. Thorax convexus, rufo-ferrugineus, dorso breviter obscure puberulus. Scutellum concolor. Abdomen oblongo-ovatum, subdepressum, nitidum, glabriculum, flavum, dorso serie quadruplici punctorum nigrorum (nempe 4 in singulo segmento), quorum media semper majora, perspicuiora, jam subrotundata, jam subtransversa, & lateralia (in segmentis 2, 3 & 4) minora subrotunda, sæpe libera, interdum cum mediis oppositis subconfluentia, raro omnino deficientia. In abdomine saltem ♀ annulos 6 distinctos præter analem numero. Alæ hyalinæ, præsertim versus costam omnium levissime brunnedine diluta tinctæ. Nervi transversi modice approximati, infuscati, horum medius apici nervi auxiliaris brevis fere oppositus l. mox pone ejus apicem ductus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio $1\frac{2}{3}$ vix duplo brevius. Costa nuda. Halteres & pedes toti palide flavi. — Variat magnitudine; mares plerumque minores. Variat etiam colore plus minus saturate ferrugineo. Variat denique raro abdomine fere toto fusco.

Var. b. *læta.* ♀. toto corpore pallide flavo, abdomine immaculato, alarum nervis transversis solum infuscatis; forte tantum juvenilis, nam præter colorem pallidiorem in omnibus convenit cum variet. a., cum qua etiam inventa ad Lund in Paradislyckan & in Ostrogothia ad Fredensborg.

†† alarum nervis transversis non fuscedine cinctis.

9. *D. tristis:* brunneo-testacea, capite abdomineque obscurioribus; pedibus flavis; alarum costa posterius late infuscata, nervis transversis approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio fere duplo breviori. ♂♀. (Long. fere ¾ lin.).

Fall. Geomyz. 7. 7. ♀. typica. — Meig. Dipt. 6. 86. 12? Macq. Buff. 2. 550. 8?

Hab. in Scania Sveciæ meridionalis valde rara; feminam in uliginosis ad Esperöd mense Augusto 1822 detegit Illustr. *Fallèn*, & utrumque sexum in succo exstillante Qvercus ad idem Esperöd 3—10 Aug. 1824 ipse inveni; in Ostrogothia ad Gusum & in Uplandia ad Holmiam etiam a Prof. *Wahlberg* deprehensa fuerit.

♂♀. Color corporis brunnescens & fuscedo alarum costalis postica speciem designant. Ipsissimum specimen, quod descripsit *Fallèn* jam ante oculos habeo, & illud cum nostris bene congruentibus comparavi. Parum nitida. Caput obscure testaceum. Antennæ minores, fuscæ, seta distincte plumata. Seta mystacina nigra. Os retractum. Oculi majusculi rotundi. Thorax & scutellum obscure testacea. Abdomen ovale, in nostris individuis totum nigricans, nitens. Alæ cinereo-hyalinæ, costa a medio ad apicem sat perspicue fusca, fuscedine ad nervum longitudinalem 3:tium dilatata. Nervi transversi obscuri, horum ordinarius sat longe a margine distans, medius fere apici auxiliaris brevis oppositus. Costa tantum basi subtiliter ciliata.

Halteres & pedes pallide flavi. — Valde affinis & similis *D. obscuræ* n:o 4, sed thorace forte nonnihil dilutiore, & alarum plaga costali postica perspicua diversa.

Obs. *Meigen* & *Macqvart* suam *D. tristem* "totam testaceam nitidam, abdominis apice solo nigro, & pedibus obscure flavis" describunt, unde synonyma eorum mihi dubia videntur.

Obs. Sub nomine: "*Dr. tristis* Fall." specimen masculum e Dania a D. *Stæger* obtinui, quod ad *Dr. spurcam* n:o 5 retuli.

10. *D. fuscimana:* flavo-testacea, epistomate albido; pedibus pallide flavis; abdomine nigro; thoracis linea dorsali pedibusque anticis fuscis; alis hyalinis, nervis: costali atro, transversis perspicue approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio triplo breviori. ♂. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 87. 17? Zett. Ins. Lapp. 776. 6. ♂.

Hab. in Lapponia meridionali Umensi rarissime; scilicet in succo exsudante Betulæ albæ ad novaculum Nordanås in paroecia Frederica d. 31 Jul. 1832 a D. *Dahlbom*, & in fungis ad novaculum Nästansjö in paroecia Wilhelmina d. 13 Jul. a me, capta. In Scandinavia meridionali non observata, quantum noverim.

♂. Parva, angusta, subopaca, testacea, setis ordinariis nigris. Antennæ breviusculæ, seta nigra. Epistoma flavo-album, seta utrinque mystacina nigra. Os retractum. Oculi majusculi, rotundi, in viva rufi. Thorax linea dorsali ferruginea subobsoleta. Abdomen angustum, nigrum, basi piceum. Alæ hyalinæ, nervis tenuibus pallidis, costali atro. Ad apicem nervi 2:di longitudinalis umbra obsoleta. Nervi transversi aperte approximati, horum ordinarius sat longe a margine distans, medius paullo post apicem auxiliaris brevis ductus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio circiter $2\frac{3}{4}$ brevius, at seg-

mentum costæ secundum tertio fere triplo longius. Costa nuda. Halteres albidi. Pedes pallide flavi, antici fuscescentes, coxis pallidis.

11. *D. nigriventris:* flavo-testacea, epistomate pedibusque pallide flavis; abdomine nigro; alis cinereo-hyalinis, nervis transversis eximie approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio triplo breviori. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Smolandia ad Skärsjö rarissime; duo tantum individua lustravi.

♂♀. Priori paullo robustior, sed non longior, ferrugineo-flava, subopaca, setis ordinariis nigris. Antennæ parvæ, flavæ, seta plumata nigra. Epistoma infra oculos parum descendens, in medio subconvexum, totum pallide flavum, seta utrinque mystacina distincta nigra. Organa oris retracta flava. Genæ breves, albicantes. Oculi majusculi rotundi rufi. Thorax & scutellum immaculata. Abdomen ovatum subdepressum nigrum nitidum, ventre pallescente. Alæ hyalinæ, lenissime flavido-tinctæ, nervis subferrugineis. Nervi: 2:dus longitudinalis proportione brevis; transversi perspicue approximati, horum ordinarius longe a margine remotus, medius nonnihil pone apicem auxiliaris brevissimi ductus. Segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio fere triplo brevius, at segmentum costæ secundum tertio vix $1\frac{1}{2}$ longius. Costa nuda. Halteres pallidi. Pedes toti pallide flavi. —

Obs. Caveas ne hanc confundas cum simili *Dros. melanogaster* Meig. seu *D. Fenestrarum* nobis infra n:o 21, quæ tamen nervis transversis magis remotis certe diversa.

12. *D. approximata:* flava, abdomine ferruginante; alis hyalinis, nervis transversis perspicue approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $2\frac{3}{4}$ breviori. ♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Svecia meridionali & media rarius; scilicet in Scania ad Lund semel a me inventa; in Smolandia a D. *Ljungh* capta.

♀. Similis *D. flavæ* (22), nervis transversis magis approximatis diversa. A priori, cui quoque similis, magnitudine paullo minore & abdomine saturate flavo, nec nigro, discrepat. Tota flava, parum nitida, epistomate pedibusque adhuc pallidioribus. Setæ ordinariæ nigræ. Antennæ parvæ flavæ, seta pectinata nigra; superne radios 4—5 in exemplis haud bene conservatis numero. Seta mystacina nigra. Oculi mediocres l. majusculi rotundi, in mortua ferruginei. Abdomen oblongo-ovatum, saturate flavum l. testaceum, versus apicem dilute brunneum. Alæ hyalinæ, nervis pallidis ut in priori directis. Nervus vero 2:dus longitudinalis proportione nonnihil longior, ita ut segmentum costæ 2:dum 3:tio fere duplo longius evadat. Halteres & pedes toti pallide flavi.

13. *D. congesta:* pallide flava; alis hyalinis, nervis transversis valde approximatis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio fere quadruplo breviori. ♂. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Hab. in Ostrogothia, ubi ad Lärketorp specimen descriptum inveni.

♂. Differt a priore, cui alias valde similis, abdomine flavo, nec dilute brunneo, & imprimis nervis transversis adhuc magis approximatis. Tota pallide flava, setis ordinariis nigris. Antennæ parvæ flavæ, seta, quantum in individuo vetusto videri possit, plumata. Seta utrinque mystacina distincta nigra. Oculi mediocres, rotundi, ferruginei. Alæ latiusculæ, nervis tenuibus haud pallidis. Nervi transversi evidenter approximati, horum ordinarius longissime a margine remotus, in disco alæ paullo ante medium insertus, medius nonnihil pone apicem auxiliaris ductus. Nervus 2:dus longitudinalis solito in hoc genere brevior, ita ut segmentum costæ 2:dum 3:tio tantum $1\frac{1}{4}$ longius eva-

dat. Costa nuda. Halteres & pedes toti pallide flavi. — Vix *Agromyzæ* speciei.

B. Alarum nervi transversi remoti aut subremoti, h. e. nervus transversus ordinarius aut in medio aut tantum paullo ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum tertio aut æque longum aut ad summum $1\frac{1}{2}$ brevius evadat.

α) thorace obscuro, h. e. cinerascente l. nigricante.

11. *D. glabra:* æneo-nigra, nitida; antennis luteis; pedibus flavis, femoribus fuscis; alis subhyalinis, nervis transversis modice remotis. segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $1\frac{1}{3}$ breviori. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$ fere 1 lin.).

Fall. Geomyz. 8. 12. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 85. 10.

Hab. in graminosis & floribus per prata & pascua Sveciæ meridionalis & mediæ mense Julio passim vulgaris, in fenestris jam mense Aprili aliquoties etiam a me visa; scilicet in Scania ad Lund, Abusa, Esperöd &c., sat frequens; in Smolandia, D. D. *Ljungh* & *Boheman*; in Ostrogothia ad Gusum (*Wahlberg*) & Wadstena parce; in Gottlandia in insulis Stora Carlsön & Furillen, nec non ad Nähr minime rara; sed deinde versus septentrionem longius procedens non observata.

♂♀. Ovata robusta, colore corporis æneo nitido ab omnibus facillime dignota. Setæ ordinariæ adsunt nigræ. Caput latiusculum æneum nitidum, fronte antice summo margine plerumque flavido. Antennæ parvæ, luteæ, seta nigra pectinata, radiis 7—8 basi longis versus apicem sensim decrescentibus. Epistoma breve impressum, infra oculos minime descendens, seta utrinque mystacina mediocri & setulis oris parvis. Genæ brevissi-

mæ. Proboscis crassa nigra. Oculi maximi rotundi, in viva ferruginei. Thorax, scutellum & ovatum abdomen obscure ænea nitidissima glabricula præter setas ordinarias. Alæ cinereohyalinæ, nervis pallescentibus. Nervi: longitudinales paralleli, horum 2:dus elongatus; transversus medius paullo ante apicem auxiliaris mediocriter longi ductus (nota singularis). Segmentum costæ 2:dùm 3:tio fere sextuplo longius, sed segmentum nervi 4:ti longitudinalis secundum tertio $1\frac{1}{3}$ l. $1\frac{1}{4}$ brevius. Costa basi tenuiter ciliata, spinula parva. Halteres flavo-albi. Pedes jam toti flavi l. lutei, jam femoribus præsertim posticis plus minus late nigricantibus aut brunneis.

15. *D. Graminum:* cinerea, subopaca, thoracis linea media fusca; epistomate albido; antennis, frontis antico pedibusque flavis; abdomine nigricante; alis hyalinis, nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $1\frac{1}{3}$ breviori. ♂♀. (Long. $\frac{2}{3}$ vix 1 lin.).

Var. a. ♂♀. cinerea, thoracis linea media fusca; epistomate albido; antennis, fronte antice pedibusque flavis; abdomine nigricante; frequens; in copula.

Fall. Geomyz. 8. 11. var. a. ♂♀. — Meig. Dipt. 6. 86. 13. Macq. Buff. 2. 550. 9. Zett. Ins. Lapp. 777. 9. ♂♀.

Var. b. ♂♀. similis var. a., sed thoracis linea media fusca vix conspicienda.

D. sordida Zett. Ins. Lapp. 777. 7. ♂♀.

Var. c. ♂♀. similis quoque var. a., sed thorace paullo obscuriore.

D. flavipennis Zett. Ins. Lapp. 777. 8. ♂♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum, fenestris, &c., per prata, arva, pascua, silvas, &c., a mense Majo usque ad Octobrem, ubique vulgatissima; scilicet var. a. in Scania, Blekingia, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Gott-

landia (ad Kyllej, Westö &c.) & Nericia, frequentissima; in Uplandia ad Holmiam, D. D. *B. Fries* & *Wahlberg*; in Dalecarlia ad Rusgård; in Bottnia boreali ad Johannis Ro; in Lapponiis: Umensi ad Wilhelmina, & Tornensi ad Kengis, rarius; in Dania, D. *Stæger*. (E Finlandia a D. *Sahlberg* ut frequens incola communicata; & ad Neuenkirchen Germaniæ jam 15—20 Maji a D. *Dahlbom* sat copiose capta); var. b. in Lapponia Umensi ad Wilhelmina, & in Norwegia ad Dowre, parce lecta; var. c. in Scania ad Lund, & in Lapponia ad Wilhelmina minus frequenter observata.

♂♀. Statura angusta, tenera, parum nitida, thorace cinerascente lineola media tenui fusca, abdomine obscuriore, fronte antice, antennis pedibusque pallidis, epistomate albicante, alis immaculatis, nervis transversis nec longe remotis, nec approximatis, sed modice distantibus, facile dignoscitur hæc species, individuis passim abundans. Caput rotundatum opacum. Frons flava, vitta media lutea, vertice cinereo l. fusco, nigrosetoso. Antennæ mediocres, ovatæ, flavæ (in ♀ sæpe rufæ), seta pectinata nigra. Epistoma infra oculos vix descendens, albicans, seta utrinque mystacina nigra. Setulæ oris exiguæ. Instrumenta cibaria retracta flava. Genæ breves, albicantes. Oculi majusculi, rotundi, microscopice puberuli, ferruginei, in viva læte rufi. Thorax cinereus, opacus, lateribus setulosus, linea media, scutellum cinereum etiam transeunte, brunnea. Vestigium lineolæ brunneæ utrinque lateralis quoque adest, sed plerumque parum perspicuum. In var. b. thorax fere immaculatus, & in var. c. totus magis obscurus, interdum fere nigricans. Abdomen oblongum nigricans aut nigro-brunneum, subnitens, ventre interdum pallido. Alæ cinereo-hyalinæ, nervis subpallescentibus ut in priori directis, at transverso medio apici (nec ante apicem) auxiliaris opposito. Segmentum costæ secundum 3:tio circiter quintuplo longius. Costa nuda, basi tenuissime

ciliata, spinula parva. Alæ certo situ cinereo-subflavescunt. Halteres & pedes toti pallidi, tarsorum apice sæpe dilute fusco. Femora antica subtus pilosula. — Variat interdum corpore livido l. rufescente; forte juvenilis.

Obs. *Dr. incana* Meig. Dipt. 6. 86. 14. ab hac parum abludere videtur. — *Dros. graminum* var. d. Fall. l. c. ad diversam speciem referenda, & sub nomine: *D. pallida* n:o 23 apud nos invenienda.

16. *D. griseola:* cinerea, subopaca, thoracis linea media fusca; capite obscuro, regione antennarum flava; antennis fuscis, basi rufescentibus; abdomine nigro; pedibus ferrugineis, femoribus nigricantibus; alis hyalinis, nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti secundo tertio $1\frac{1}{3}$ breviori. ♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in alpibus Dalecarlicis forte rarissima, mihi non obvia, sed in specimine unico a Detectore D. Professore *Boheman* ad describendam communicata.

♀. Statura, magnitudo & color corporis omnino ut in præcedente, cui valde similis & affinis, sed antennis, fronte, epistomatis area media femoribusque obscurioribus distincta. Frons obscure cinerea, summo margine antico flavo. Antennæ obscuræ, basi rufescentes, seta pectinata. Epistoma nigricans, lateribus pallidis. Genæ pallidæ. Pedes flavo-ferruginei, coxis posterioribus & femoribus omnibus nigricantibus seu nigro-brunneis, geniculis posterioribus ferrugineis. Tarsi omnes apice fuscescentes. Thorax, abdomen, alæ & reliqua omnino ut in priori.

Obs. *Dros. fuscula* Fall. antennarum seta breviter plumata sub *Diastata costata* hujus operis p. 2539 n:o 4 quærenda.

β) thorace pallescente, h. e. rufo, testaceo aut flavo.

17. *D. funebris:* rufo-ferruginea, epistomate pedibusque pallidioribus; antennis oblongo-ovatis, versus apicem angustioribus; abdomine nigricante, aut incisuris tenuissime pallidis (♂), aut fasciis integris flavis (♀); alarum nervis transversis distincte remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente parum longiore. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Mas: abdomen oblongum, nigricans, raro immaculatum, plerumque segmentorum præcipue 2, 3 & 4 margine apicali tenuissime albido, interdum etiam margine basali eorundem segmentorum anguste pallido, segmento 1:mo sæpe piceo l. rufescente;

Fem.: abdomen oblongo-ovatum, supra nigricans l. nigro-brunneum, segmentis basi fascia in anticis lata, in posticis angustiore, flava; in copula.

Fall. Geomyz. 5. 3. ♂♀. vera. — Meig. Dipt. 6. 82. 2. Zett. Ins. Lapp. 775. 1. ♂♀. *Musca* Fabr. Antl. 299. 76. — *Musca cellaris* ("antennis setariis, pilosa nigra, alis nervosis, oculis ferrugineis") Linn. Fn. Svec. n:o 1848, opinantibus *Meigen* & *Macqvart*. — *Dros. cellaris* Macq. Buff. 2. 549. 2. ♂♀. T. 22. f. 9. certe. — *Musca erythrophthalma* Panz. Fn. Germ. 17. f. 24. ♀. videtur.

Hab. in Fungis arboreis, Agaricis putridis (ubi ova deponunt feminæ), succo arborum sauciatarum, fenestris, & primo vere in foliis Gageæ luteæ & Ranunculi Fica-

riæ, per totam Scandinaviam, alpibus lapponicis tantum exceptis, ab initio Aprilis usque ad finem Novembris, vulgaris, in copula quoque observata; scilicet in Scania, Smolandia, Ostro- & Westrogothia, Ölandia (ex. gr. ad Ottenby), Gottlandia (ad Garde), Uplandia, Bottnia, frequens; in Lapponiis: Umensi ad Tresunda & Lycksele non parce, Lulensi, D. *Andersson*, & Tornensi ad Öfver-Torneå, Turtola & Karesuando, rarius; in Norwegiæ litoralibus a me frustra quæsita; in Dania freq., D. *Stæger*. — Feminas in fenestris ipso mense brumali aliquando vidi.

♂♀. Colore corporis rufo-brunneo l. ferrugineo, nec flavo, a seqventibus primo obtutu dignoscitur. In hoc genere majuscula, robusta, subnitida, setis ordinariis nigris. Frons valde lata lutea. Antennæ incumbentes, flavæ, articulo ultimo oblongo sæpe fuscescente, versus apicem subangustato, seta versus apicem undique, sed basi tantum superne longe & distincte plumata; obscura. Epistoma infra oculos nonnihil descendens, latum, flavum, in medio obtuse carinatum, setis mystacinis utrinque paucis nigris. Genæ mediocres flavæ. Oculi mediocres rotundi, in viva obscure ferruginei. Thorax convexus puberulus & scutellum rufo-ferruginea. Abdomen nitidum, ut in diagnosi sexus constructum & pictum. Alæ abdomine longiores, amplæ, sordide hyalinæ, immaculatæ, nervis ferruginantibus. Nervi: longitudinales recti, 3 & 4 paralleli, horum 3:tius in apice desinens, 4:tus pone apicem cum costali conjunctus, 2:dus elongatus, auxiliaris simplex modice brevis; transversi distincte remoti, horum medius apici auxiliaris oppositus, ordinarius fere in medio l. mox ante medium areæ ultimæ insertus, ita ut segmentum nervi 4:ti longitudinalis ultimum 2:do parum l. paullo tantum longius evadat. Costa nuda; spinula minuta. Halteres albidi. Pedes toti cum coxis pallide flavi, subnudi, femoribus anticis subtus parce pilosis. — Variat thora-

ce obscure rufo. — Hæc species *Dros. virgineæ* Meig. valde accedere videtur.

Obs. Varietas *mas:* "corpore toto testaceo, ano solum nigro", Fall. l. c. in descriptione, ad speciem seqventem pertinet.

18. *D. confusa:* flava, epistomate albicante, pedibus pallide flavis; antennis oblongo-ovatis, versus apicem angustioribus; abdomine rufo apice nigro (♂), aut fasciis interruptis (♀) nigricantibus; alarum nervis transversis in utroque sexu distincte remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente parum longiore. ♂♀. (Long. 1—1¼ lin.).

Stæg. in Kröy. Tidskr. 1. 1. p. 18. 2. ♂♀. — *Dros. fenestrarum* Meig. Dipt. 6. 83. 4. ♂♀. Macq. Buff. 2. 519. 4. ♂♀. *Drosoph. funebris* var. Fall. Geomyz. 5. 3. *mas* in descriptione.

Mas: abdomine flavo, ano fusco l. obscuro;

Fem.: abdomine flavo, fasciis nigris, anticis interruptis, posticis integris.

Hab. in Scandinavia meridionali rarius; mihi in foliis fruticum, & arborum truncis nuper abscissis, in Scania ad Esperöd Jul. Sept. aliquoties obvia; e Dania a D. *Stæger* in utroque sexu etiam communicata.

♂♀. Magnitudo, statura, formatio partium & directio nervorum in alis exacte ut in præcedente, cui igitur valde similis & affinis; sed colore thoracis constanter dilutiore, late flavo, nec ferrugineo l. rufo-brunneo, ut & abdomine in ♂ flavo apice tantum fusco, in ♀ pallido fasciis mediis interruptis anoque

nigris, distingvitur. Caput cum antennis longiusculis, seta distincte plumata, setis mystacinis & oculis omnino ut in priori. Thorax & scutellum etiam ut in illa, præter colorem, ut dictum, pallidiorem. Abdomen ovatum flavum l. rufo-flavum, in ♂ ano l. segmentis apicalibus pilosulis fuscis, in ♀ fasciis quatuor (quarum 3 anticis anguste interruptis, 4:ta integra) anoque nigris. Fasciæ vero hæ e margine segmentorum apicali sat late nigro formantur. In individuo unico femineo anum flavidum vix infuscatum vidi. Alæ, halteres & pedes plene ut in antecedente.

Obs. Hujus feminæ valde simile est specimen femineum, quod sub nomine: "*Dros. fasciata* Perris" (nec Meigeni eadem) e S:t Sever Galliæ a D. *Leon Dufour* nuper obtinui, & ab Illo in Annal. des Scienc. Natur. Paris 1839. p. 49. 14. T. 3. f. 85 descripta & delineata exstat; hæc vero corpore "griseo-rufescente", nec pallidius flavo, & abdominis segmento etiam 1:mo fascia nigra interrupta ornato, nec toto flavo subimmaculato, differe videtur. Nec talis in Scandinavia observata.

19. *D. Histrio:* flava, epistomate pallidiore; abdomine maculis geminis trigonis nigris; alarum nervis: longitudinalibus 3 & 4 versus apicem leniter convergentibus, transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente circiter $1\frac{1}{2}$ longiore. (Long. circiter 1 lin.).

Meig. Dipt. 6. 8. T. 59. f. 4. Macq. Buff. 2. 550. 6.

Hab. in Svecia rarissime, testante Prof. *Wahlberg*, qui eam in Uplandia ad Holmiam in Haga-Park in succo e trunco Sorbi Aucupariæ cæsæ sudante verno tempore invenerit. A me neque capta, neque visa.

Auctoritate Cel. *Wahlberg* speciem ut Scandinaviæ incolam propono, descriptionem e *Meigen* l. c. præcipue hauriens. — E-

pistoma & frons antice pallide flava. Frons postice, antennæ, & thorax nitidus, testacea. Abdomen pallide flavum, segmento 1:mo utrinque strigula nigra; in singulo segmentorum 2, 3 & 4 maculis duabus magnis approximatis trigonis nigris angulo acuto basin segmenti spectantibus & attingentibus. Anus niger. Venter flavus, incisuris brunneis. Alæ hyalinæ, lenissime brunnescentes, nervis 3 & 4 longitudinalibus non exacte parallelis, sed versus apicem paullulum convergentibus. Halteres albi. Pedes testacei. — Specimen in figura Meigeni masculum videtur delineatum.

Obs. D. *Leon Dufour* specimina utriusque sexus plura, quorum pupæ in Boleto mense Octob. captæ, e S:t Sever Galliæ mihi sub indicio: "*Dros. maculata* Leon Duf. Annal. des Scienc. Natur. Paris 1839. p. 50. 15. T. 3. f. 91." communicavit, quæ huic (*D. Histrio*) in multis accedunt; sed magnitudine ($1\frac{1}{2}$ lin.) paullo majore, thoracis dorso dilutissime brunneo-bilineato, nec immaculato, scutello fascia transversa lata fusca certo situ perspicua, abdominis dorso segmento 1:mo immaculato, 2:do macula utrinque, 3:tio, 4:to & 5:to in singulo maculis tribus majusculis rotundatis, nigris, liberis (in segmento 3:tio transversim subconfluentibus), & 6:to minuto retracto subimmaculato, ut & alis hyalinis, nervis longitudinalibus 3 & 4 subparallelis, vix versus apicem convergentibus, abunde recedunt; Scandinaviæ Faunæ hactenus ignota.

20. *D. picta:* flavo-testacea, epistomate pedibusque pallidioribus; abdomine maculis trifariam dispositis brunneo-nigris; alarum nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente circiter $1\frac{1}{2}$ longiore. ♀. (Long. $\frac{3}{4}$ lin.).

Stæg. in litteris 5 Aug. 1843.

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime, mihi numquam obvia, sed e Dania in specimine unico pro describendo mihi a D. *Stæger* mutuo communicata.

♀. A priori, cui accedit, abdominis maculis nigricantibus trifariam, nec bifariam, dispositis, & nervis longitudinalibus 3 & 4 parallelis, nec versus apicem subconvergentibus, & a *Dr. maculata* (in observatione sub priori) magnitudine minore, colore corporis minus saturate flavo, &c., certe differt. — Frons lata fulvo-flava, opaca. Antennæ breves, oblongæ, testaceæ, seta longe & distincte plumata, nigra. Epistoma infra oculos haud descendens, latum pallidum, seta utrinque mystacina perspicua nigra. Proboscis testacea. Oculi mediocres l. majusculi rotundi rufi. Thorax testaceus opacus. Scutellum sordide testaceum. Abdomen ovatum nitidum ferrugineo-flavum, dorso linea media subinterrupta obscure brunnea, & præterea in singulo segmento maculis 2 majusculis difformibus ejusdem coloris. Hæ autem signaturæ minus regulares & in 1:mo & ultimo segmentis magis obsoletæ obveniunt. Incisuræ anticæ certo situ quoque tenuissime brunneæ apparent. Alæ sordide hyalinæ, nervis ferruginantibus, ut in *Dr. funebri* (17) directis, sed transversis magis appropinqvantibus. Pedes toti pallide flavi immaculati.

21. *D. Fenestrarum:* rufo-flava, epistomate albicante, pedibus pallidis; abdomine in mare nigro, in femina rufo fasciis integris anoque nigris; alis hyalinis, nervis transversis modice remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente circiter 1½ longiori. ♂♀. (Long. ¾ lin.).

Mas: angustior, abdomine toto nigro;

Fem.: abdomine nigro, a basi & ultra medium rufo-fasciato; in copula.

Fall. Geomyz. 6. 4. ♂♀. Zett. Ins. Lapp. 775. 2. ♂♀. (exclus. syn. Meigeni quod ad *Dr. confusam* nobis n:o

18 pertinet). — Stæg. in Kröy. Tidskr. 1841. 1. 1. p. 18. 1. ♂♀. — *Dr. melanogaster* Meig. Dipt. 6. 85. 9. (sexu non determinato). ♂. — *Dr. virginea* Meig. Dipt. 6. 84. 6. (sexu non determinato). ♀.

Hab. in graminosis, foliis fruticum & herbarum, at præsertim in fenestris cubicolorum, per totam Scandinaviam, a medio Aprilis usque ad medium Octobris, vulgaris, in copula quoque sæpe deprehensa; larvæ in serragine in vasculo vitreo conservata aliquoties observatæ; occurrit in Scania ubique frequens; in Smolandia, D. *Ljungh;* in Ostrogothia ad Lärketorp, Gusum, &c.; in Ölandia & Gottlandia, parce; in Uplandia ad Holmiam, D. *Wahlberg;* in Helsingia ad Storbyn paroeciæ Färila & ad diversorium Kårböle; in Lapponiis: Umensi ad Lycksele, & Tornensi, rarius; in Daniæ Arctio Lappa &c. frequens, D. *Stæger.* (In pinetis ad Neuenkirchen & Elisenheine prope Gryphiam Sept. 1844, D. *Dahlbom).*

♂♀. Per abdomen maris totum nigricans, feminæ rufum fasciis dorsalibus integris anoque nigris, hæc species sine difficultate cognoscitur. — Similis & affinis *Dr. funebri* n:o 17, sed fere duplo minor angustior, antennis nonnihil brevioribus, magnis obtusis, colore corporis paullo lætiori, abdomine ♂ toto nigricante, ut & nervis transversis in utroque sexu minus longe remotis, mox dignoscenda. Frons flava. Antennæ parvæ, oblique exsertæ, nec incumbentes, flavæ, seta distincte plumata nigra. Epistoma breve infra oculos non descendens, flavum albo-micans, seta mystacina obscura. Organa cibaria retracta flava. Genæ brevissimæ. Oculi majusculi rotundi microscopice puberuli, rufi, in viva miniati. Thorax rufo- l. ferrugineo-flavus, nitens. Scutellum concolor. Abdomen ut in diagnosi sexuali, maris nempe nigricans nitens, feminæ l. plerumque nigro-brunneum, nitidum segmentis basi late rufo-flavis, l. ob-

scure fuscum segmentis anticis basi anguste pallidis, ano semper nigro. Alæ sordide hyalinis, nervis paullo dilutioribus, ut in priori directis. Nervi transversi: ordinarius sat longe a margine distans, medius apici auxiliaris oppositus. **Costa** nuda. Halteres albidi. Pedes pallide flavi immaculati.

Var. b. ♂. abdomine nigro, basi pallido.

Zett. Ins. Lapp. 776. 2. var. b. ♂. — *Dros. nitidiventris* Macq. Buff. 2. 551. 12. ♂. Meig. Dipt. 7. 377. 22. ♂. (e descriptione Macqvarti transscripta).

Hab. cum var. a. passim.

Obs. In Scania ad Lund (in Paradislyckan) die 4 Oct. individuum unicum femineum forte juvenile inveni: abdomine toto rufo immaculato; & ad Esperöd d. 12 Aug. 2 specimina etiam feminea deprehendi: abdomine toto nigricante; de cetero varietati a. simillima & vix ad aliam speciem referenda.

22. *D. flava:* pallide flava, pedibus dilutioribus, epistomate albicante; alarum nervis transversis distincte remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente $1\frac{1}{4}$ longiori. ♂♀. (Long. vix $\frac{3}{4}$ lin.).

Fall. Geomyz. 7. 10. ♂♀. Meig. Dipt. 6. 88. 20 (e descriptione Falleni transscripta).

Hab. in graminosis locis paludosis per prata & silvas Scandinaviæ meridionalis & mediæ a fine Julii usque ad initium Septembris minus frequenter observata; nempe in Scania ad Lund, Abusa, utrumque Esperöd (alterum in paroecia Tranås, alterum in paroec. Mellby), rarius; in Westrogothia ad Gothoburgum, & in Uplandia ad Holmiam, Prof. *Wahlberg*; e Dania a Dom. *Stæger*

mas in unico exemplo communicatus. (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* etiam olim missa).

♂♀. Colore totius corporis in utroque sexu flavo immaculato, a prioribus dignota. Parva, parum robusta, subopaca. Setæ ordinariæ nigræ. Frons lata flava. Antennæ parvæ, oblique exsertæ (non incumbentes), flavæ, articulo ultimo ovato, seta basi pectinata, versus apicem undique plumata, radiis longiusculis nigris, non densis. Epistoma infra oculos non longe descendens, biimpressum, albo-micans, seta mystacina non valida, nigra. Genæ longiusculæ albidæ. Oculi minusculi rotundi rufo-ferruginei. Thorax flavus, dorso vestigio lineolæ mediæ brunneæ, sed valde obsoletæ & parum conspiciendæ. Abdomen flavum, appendiculo supra anum sæpe fusco. Alæ subhyalinæ irisantes, nervis tenuibus flavis ut in præcedente directis, sed transversis forte nonnihil magis distantibus, ita ut segmentum nervi longitudinalis 4:ti ultimum antecedens longitudine parum ultra $1\frac{1}{1}$ superet. Halteres albidi. Pedes simplices, toti flavo-albidi, subnudi, femoribus anticis subtus ut solito parce pilosulis.

23. *D. pallida:* pallide flava, pedibus dilutioribus, epistomate albicante; thoracis dorso flavo-canescente lineola media dilute brunnea obsoleta; alarum nervis transversis remotis, segmento nervi longitudinalis 4:ti ultimo antecedente $1\frac{1}{4}$ longiori. ♂. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Dros. graminum var. d. Fall. Geomyz. 8. 11.

Hab. in graminosis per litus maris Balthici ad Esperöd Scaniæ mense Julio in 5 speciminibus a me capta.

♂. Inter minimas hujus generis. Similis priori, sed magnitudine paullo minori & thoracis dorso leniter canescente, nec pure flavo, differt. *Dr. Graminum* (15) quoque valde affinis,

sed statura graciliore, thorace flavo cano-micante, ut & abdomine pallido, nec nigricante, specifice recedere videtur. Tandem *Dr. approximatæ* (12) & *congestæ* (13) colore corporis flavo & parvitudine accedit, nervis vero transversis aperte magis remotis ab illis vere diversa. — Parum nitida. Frons lata pallida albido-micans. Epistoma infra oculos vix descendens, albidum, in medio longitudinaliter carinatum, seta mystacina parva nigra. Proboscis flava. Genæ breves albidæ. Oculi mediocres rotundi rufo-ferruginei. Thorax flavus, disco dorsali præsertim antico in individuis bene conservatis cano-micante, lineola media dilute brunnea l. ferruginea plerumque parum observanda. Abdomen flavum, ano interdum fusco. Alæ subhyalinæ, nervis tenuibus flavis, ut in priori directis. Halteres albidi. Pedes flavo-albidi immaculati, simplices, nudiusculi, femoribus anticis subtus parce pilosulis.

---

184. ASTEIA Meig.

Corpus minutum, ovato-oblongum, nitidum, glabriculum, setis ordinariis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine vestitum. Antennæ deflexæ, breves, articulis: 1:mo minutissimo, ultimo rotundato, compresso, basi seta dorsali vage & parce plumata, plumis remotis. Frons latissima, antice non prominula. Epistoma latum, perpendiculare, infra oculos parum descendens, margine antico integro, seta mystacina utrinque unica parva (*). Genæ breves. Oculi mediocres rotundi nudi. Abdomen oblongo-ovatum, segmentis 5 distinctis (**).

---

*) a Clar. *Meigen* epistoma "nudum" describitur.

**) abdominis annulos 5 distinctos numero, sed forte adsunt 6, licet ultimus minutus retractus.

Alæ haud latæ, sed abdomine multo longiores, parallelæ, rectæ, hyalinæ immaculatæ. Nervi: auxiliaris brevissimus; longitudinales: 2:dus etiam valde brevis, mox pone apicem auxiliaris in costa desinens, 3:tius mox ante, & 4:tus leniter curvatus mox pone apicem alæ excurrentes, horum 4:tus cum costali conjunctus, 5:tus fere ad marginem interiorem extensus, 6:tus nullus; transversi: ordinarius nullus, medius ad basin alæ retractus, apici auxiliaris oppositus. Costa nuda, microscopice tantum ciliata; spinula nulla; margo interior subtilissime ciliatus. Pedes simplices, nudi, inermes. *Color* e parte ferrugineus l. niger. *Motus* - - -? *Habitatio* in graminosis & floribus. *Differentia sexus; mas:* ano rotundato subclavato; *femina:* ano acuto. — Similis *Drosophilæ*, sed nervis longitudinali 2:do brevissimo, transverso ordinario omnino deficiente, & ab hac & ab aliis hujus Familiæ facillime distincta. — *Typus* generis: *A. concinna.*

1. *A. concinna:* flava, epistomatis margine antico atro-bipunctato; verticis maculis thoracisque dorso nigris. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 90. 2. ♂. Macq. Buff. 2. 621. 2. ♂. T. 23. f. 20 (frons & epistoma nimis prominentia, sed antennarum seta plumata & directio nervorum in alis exacte delineata).

Hab. in Scandinavia meridionali rarissime; e Dania in litore maris locis arenosis a D. *Stæger* ♀ capta mihique communicata. (Plura exempla mascula ad Hamburgum d. 4 Jul. 1838 a D. Doct. *Dahlbom* collecta quoque obtinui).

♂♀. Tenera. Frons flava. Vertex flavus, lineolis 2 angustis & puncto medio (loco ocellorum) nigricantibus. Antennæ flavæ, articulo ultimo rotundato-ovato, seta parcissime plumata nigra.

Seta sub microscopio composito visa rachidem leniter flexuosam, plumulis 1. radiis 6—9 alternantibus ornatam repræsentat. Epistoma pallide flavum, certo situ albido-micans, margine apicali utrinque in regione setæ mystacinæ puncto parvo atro. Instrumenta cibaria retracta flava. Genæ breves albicantes. Oculi mediocres, in mortua obscure ferruginei. Thorax flavus, dorso toto nigro nitido, antice in masculis lineolis 2 approximatis pallidis. Scutellum flavum, basi macula nigricante. Abdomen: in ♂ breviusculum angustum subcylindricum stramineum, supra in medio leniter fuscum, ano rotundato pallido; in ♀ oblongum angustum apice acutum, totum rufo-flavum. Alæ abdomine duplo longiores, haud latæ, sordide hyalinæ iridicolores. Nervi tenues pallescentes ut in diagnosi generis indicatum directi. Nervi longitudinales 3 & 4 non exactissime paralleli, sed versus apicem lenissime convergentes. Alæ basi subangustatæ, alula nulla. Pedes toti pallide flavi, nudi, femoribus anticis subtus tenuissime pilosulis. Tarsorum articulus ultimus obscurus.

Obs. Cf. *Meigen* tantum unicum individuum masculum hujus speciei in gramine invenit.

2. *A. amoena:* flava, epistomate inferne argenteo-micante; fronte thoracisque dorso nigris; abdomine rotundato, rufo, nigro-maculato. ♂♀. (Long. $\frac{1}{2}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 89. 1. ♂♀. T. 59. f. 7. ♀ (antennarum seta radiis tantum 3 supernis prave delineata). Macq. Buff. 2. 620. 1. ♂♀.

Hab. in Scandinavia meridionali & media mensibus Jun.—Augusto, certe rara; nempe in Ostrogothia ad Häradshammar initio Junii 1812 a D. *Stenhammar*, & ad Gusum, teste D. *Wahlberg;* in Uplandia ad Holmiam, affirmante Eodem; mihi non obvia, sed ex Hafnia Dano-

rum ante plures annos a D. *Stæger* communicata, hodie in collectione mea deperdita.

♂. "Frons nigra, antice anguste pallida. Antennæ parvæ, ferrugineo-flavæ, articulo 1:mo minutissimo, ultimo compresso, suborbiculato. Epistoma pallide flavum, margine oris argenteo. Oculi virides, lineis 2 purpureis. Thorax rufo-flavus nitidus, dorso nigro postice macula laterali flava. Pectus punctis 2 nitidis nigris. Scutellum rufo-flavum. Abdomen ovatum, rufo-flavum, linea dorsali angusta abbreviata nigra. Incisuræ etiam tenuiter nigricantes per lineolam nigram incompletam ad latera subconfluentes. In segmento 5:to utrinque punctum album. Alæ pure hyalinæ, abdomine multo longiores. Nervi longitudinales: 1:mus (nobis 2:dus) brevissimus; 2:dus (3:tius nob.) rectus ad apicem alæ extensus; 3:tius (4:tus nob.) leniter curvatus mox pone apicem alæ excurrens; 4:tus (5:tus nob.) ad medium marginis interioris ductus; nervi transversi: medius apici auxiliaris oppositus; ordinarius deest. Halteres flavi (capitulo sæpe nigro-brunneo). Pedes rufo-flavi."

♀. "Epistoma album, in sinu oris subrufo-flavum. Frons tota nigra, nigredine paullo infra antennas descendente. Abdomen fere globosum, rufo-flavum, basi punctis 5 nigris. Incisuræ segmentorum 2 & 3 anguste nigræ, nigredine ad latera nonnihil dilatata, sed non usque ad summum marginem lateralem extensa. Oviductus brevis niger. Reliqua omnia ut in mare".

Obs. Clar. *Meigen* hoc insectum in floribus Heraclei legit.

3. *A. elegantula:* flavo-ferruginea, epistomatis margine apicali argenteo; fronte thoraceque fusco-lineatis; abdomine ovato oblongo, nigro-punctato. ♂♀. (Long. circiter $\frac{2}{3}$ lin.).

Hab. in Westrogothia, ubi a D. Prof. *Boheman* 1831 detecta mihique benigne communicata.

♂♀. Affinis & similis priori, sed fronte thoracisque dorso ferrugineis fusco-lineatis, nec totis nigris, &c., distincta. Tota flavo-ferruginea nitida glabra, setulis ordinariis nigris. Frons lineolis 2 fuscis obsoletis. Antennæ mediocres flavæ, articulo ultimo rotundato-ovato, seta pauci-plumata nigra, sub microscopio visa omnino ut in *A. concinna* constructa; radios nempe 6—9 alternantes numero. Epistoma infra oculos haud descendens, toto margine apicali antico argenteo, superne lineola transversa nigra terminato, seta mystacina parva. Proboscis testacea. Genæ breves ferrugineæ. Oculi mediocres rotundi, in mortua obscure ferruginei. Thorax ferrugineo-flavus, dorso vittis subqvatuor abbreviatis fuscis obsoletis. Scutellum flavum immaculatum. Abdomen, in ♀ oblongum, apice acutum, totum pallidum, punctis pluribus atris, plerisque in lineas tres transversas dispositis; in ♂ ovatum, signaturis atris, ita confluentibus, ut fere totum dorsum nigrum evadat, relicto ano obtuso l. rotundato pallido. Alæ longæ subangustatæ hyalinæ, nervis tenuibus pallidis, omnino ut in *Dr. concinna* directis. Halteres flavi, clava supra fusca. Pedes graciles, nudi, toti pallide flavi.

Obs. Descriptio supra allata secundum specimen masculum præcipue confecta fuit. Femina, hodie mihi deperdita, in collectione non diutius adest, unde adumbrationem feminæ secundum annotationes hujus sexus olim factas tantum dare potui.

185. STEGANA Meig.

Corpus parvum, ovato-oblongum, nitidulum, glabriculum, setis ordinariis in vertice, thoracis lateribus scutellique margine vestitum. Antennæ incumbentes, breviusculæ, articulo 1:mo brevissimo, ultimo ovato-oblongo compresso apice obtuso, basi

seta dorsali undique longe plumata. Frons modice lata, non prominula, nuda, orbitis oculorum posticis verticeque ut in congeneribus setosis. Ocelli verticis 3 approximati. Epistoma infra oculos leniter descendens, leniter bi-impressum, latum, margine antico integro, seta mystacina utrinque unica conspicua. Setulæ laterales oris plures valde exiguæ. Apertura oris ampla. Haustellum geniculatum, proboscide crassa puberula. Palpi oblongiusculi, dilatati seu obtuse triangulares, compressi. Prælabrum subprominulum. Genæ modice longæ. Oculi magni, perpendiculariter rotundato-oblongi, nudi. Thorax oblongus, ad latera vestigio suturæ transversæ. Scutellum majusculum, planum, margine 4-setosum. Abdomen oblongum, segmentis 6 subæque longis, ultimum parvum. Alæ abdomine longiores, latiusculæ, incurvæ, deflexæ, fuscedine tinctæ. Nervi longitudinales: auxiliaris brevis (circiter 4.tam costæ partem attingens), 2:dus elongatus rectus, 3:tius rectus mox ante, & 4:tus leniter incurvatus mox pone apicem alæ excurrentes (hinc 3 & 4 versus apicem lenissime convergentes ut in *Asteia*), horum 4:tus cum costali conjunctus, 5:tus ad marginem interiorem alæ extensus, basalis ad marginem non continuatus: transversi modice distantes, perpendiculares recti, horum medius apici auxiliaris oppositus, ordinarius paullo ante medium areæ ultimæ insertus, a margine modice remotus. Segmentum costæ 2:dum 3:tio duplo longius, at segmentum nervi longitudinalis 4:ti secundum ultimo saltem $1\frac{3}{4}$ brevius. Costa nuda, basi breviter setulosa. Pedes simplices inermes, puberuli, femoribus anticis subtus pilosulis. *Color* niger aut ferrugineus. *Motu* sat agilis. *Volatus* brevis. *Reptatus* celer. *Habitatio* in foliis. *Metamorphosis* ignota. *Differentia sexus; mas:* ano obtuso; *femina:* ano acuto. *Typus* generis: *St. nigra.*

1. *S. hypoleuca:* fusco-ferruginea, subtus albicans; capite flavo-alboque maculato; abdomine nigro; pedibus flavicantibus; alis fuliginosis. ♂♀. (Long. ♂ $1\frac{1}{4}$, ♀ 2 lin.).

Mas: minor, "fuscus, subtus albus, thorace ferruginoso, pedibus flavo-albis" Meig.;

Fem.: duplo major, thoracis dorso ferrugineo, femoribus posterioribus a medio ad apicem obscure brunneis.

Meig. Dipl. 6. 80. 2. ♂♀. Macq. Buff. 2. 551. 2. Zett. Ins. Lapp. 775. 1. ♀. var.

Hab. in Scandinavia valde rara; in Ostrogothia ad Gusum, testante Prof. *Wahlberg*; in Lapponia Umensi ad Lycksele, in Pino resinosa d. 19 Jun. 1832 unicum individuum femineum inveni; in Dania af Hafniam, D. D. *Westermann* & *Stæger*; ad Strandmölle Selandiæ ♀ etiam a D. *Drewsen* capta mecumque communicata. (Duo præterea exempla exotica in museo meo adsunt).

♂ (qualis ad Kiliam occurrat): frons & thoracis dorsum ferruginosa, nitida. Epistoma, corpus subtus & pedes flavido-alba. Abdomen nigro-brunneum. Alæ fuliginosæ, ad costam saturatiores. Halteres albidi.

♀ (qualis in Dania obvia): frons lata rufa, nitida, antice macula gemina fusca sæpe obsoleta, postice setis nigris. Antennæ oblongæ fusco-rufæ, basi superne breviter setulosæ, articuli ultimi seta pallida distincte plumata, plumis fuscis. Epistoma flavido-album, lineis 2 transversis nigris, una sub antennis, altera mox ante marginem apicalem. Seta mystacina & setulæ oris laterales nigræ. Instrumenta cibaria flava. Genæ albidæ. Oculi in mortua fusco-brunnei, in viva rufo-brunnei, lineis 2 transversis purpureis. Thorax supra rufo-ferrugineus nitidus subtilissime punctulatus nigro-puberulus, vittis 3 dilute brunneis plerumque parum conspicuis; subtus albidus, vitta pectorali (sub thoracis margine laterali) a capite ad abdomen ducta sat lata determinata atra. Scutellum magnum, rufo-ferrugineum, maculis duabus brunneis obsoletis. Abdomen oblongum nitidulum, nigrum & nigro-puberulum, apice sensim acuminatum. Alæ latæ, deflexæ, fuscanæ, ad costam saturatius fu-

liginosæ. Nervus longitudinalis 5:tus infra transversum ordinarium ad marginem interiorem curvatim flexus, nec recte excurrens. Halteres pallidi. Pedes cum coxis albidi, posteriorum femoribus a medio ad apicem, tibiisque basi late, nigris.

Obs. Specimen femineum Lapponicum a nuper descriptis Danicis discrepat: magnitudine paullo minore (circiter $1\frac{2}{3}$ lin. long.), frontis vittis 2 longitudinalibus fuscis, nec solum maculis anticis 2 obscuris, thoracis vittis 3 dorsalibus nigro-brunneis ita confluentibus, ut fere totum dorsum obscurum evadat, relicto limbo antico & laterali inæqualiter flavo, scutello supra toto nigricante, alis sordide hyalinis, ad costam tantum fuscanis, ut & femorum tibiarumque posteriorum, nigredine multo dilutiore. Cetera omnia exacte quadrant. Vix specie distincta.

2. *S. nigra:* nigra, capite lutescente; antennis pedibusque flavis, femoribus posterioribus obscuris; alis fuliginosis. ♂♀. (Long. 1—$1\frac{1}{4}$ lin.).

Meig. Dipt. 6. 79. 1. T. 58. f. 24 & 25. Macq. Buff. 2. 551. 1. T. 22. f. 10. — *Drosophila curvipennis* Fall. Geomyz. 4. 1. ♂♀.

Hab. in foliis fruticum præsertim Coryli Avellanæ, per hortos, prata silvatica, nemora &c., Scandinaviæ meridionalis & mediæ passim, in copula etiam deprehensa; scilicet in Scania ad Fogelsång prope Lund, Esperöd &c.; in Smolandia, museum *Ljunghii;* in Ostrogothia ad Gusum, Lärketorp, Egebylund, Rismarken prope Wadstena, Medhamra &c., sat frequens; in Westrogothia, beat. *Dalman;* in Ölandia; in Gottlandia ex. gr. ad Nähr, Gothem, Thorsborg, Westerby, Fardhem, Öja &c., non parce; in Helsingia ad Storbyn in paroecia Färila rarissime, sed supra hanc provinciam a me frustra qvæsita; in

Norwegia ad Christianiam, D. *Moë*, ad Thynæs Værdaliæ semel, D. *Dahlbom;* in Dania, D. *Stæger.* (E Finlandia a Prof. *Sahlberg* missa).

♂♀. Priori similis, sed magnitudine duplo minore, antennarum seta plumata albida, nec obscura, epistomate sordide albicante impicto, nec lineis transversis nigris ornato, palpis nigris, thorace & supra & subtus nigro, ut & femoribus posterioribus fere totis obscuris, præcipue dignota. Frons modice & æque lata, lutea, vertice fuscescente, puncto ocellorum obscuro. Antennæ flavæ, seta distincte plumata albida. Epistoma sordide albidum, seta mystacina parva nigra. Palpi nigri, basi flavicantes. Proboscis testacea. Genæ albicantes. Oculi magni, oblongi. Thorax crassiusculus, niger nitidus nigro-puberulus, setis lateralibus distinctis nigris. Scutellum nigrum. Abdomen thorace nonnihil angustius, nigrum nitidum nigro-puberulum. Alæ latæ deflexæ fuliginosæ, ad marginem interiorem indeterminate fusco-hyalinæ. Nervi ut in priori directi, sed nervus longitudinalis 5:tus infra ordinarium minus curvatim flexus. Forte etiam nervi transversi nonnihil magis approximati. Halteres albidi. Pedes cum coxis flavido-albidi, posteriorum femoribus fuscis, basi pallescentibus. Tibiæ posticæ etiam basi anguste fuscæ.

Variat (in specimine Helsingico) femoribus anticis apice, fronteque fere tota, nigris. — Variat etiam forte juvenilis pleuris pallescentibus l. rufescentibus, vitta pectorali semper atra.

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 01027 4058